Beatissimae Virgini Mariae
de Monte Carmelo dicatum.

THEOLOGIA
DOGMATICO-SCHOLASTICA

AD

MENTEM S. THOMAE AQUINATIS

AUCTORE

VALENTINO ZUBIZARRETA

EX ORDINE CARM. EXC. ARCHIEP. S. JACOBI DE CUBA

Vol. III

DE GRATIA DEI,
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS
ET
DE VERBO INCARNATO

EDITIO TERTIA AB AUCTORE CORRECTA

BILBAO
Ed. Eléxpuru Hnos., Typographi S. Rituum Congr.
1938

http://www.obrascatolicas.com

Nihil obstat:
S. Jacobi de Cuba, 2 Octobris 1937.
JOANNES JOSEPHUS BADIOLA,
S. E. Cathed. Metrop. Oeconomus,
Censor.

Imprimatur:
Victoriae, 9 Novembris 1937.
✠ XAVERIUS, A. A. VICTORIENSIS.

Quae juris sunt auctor sibi reservat.

TRACTATUS I

DE GRATIA DEI

1. AUCTORES CONSULENDI.—I. **Ex S. Scriptura.** Evangelium praecipue S. Joannis et Epistolae S. Pauli apostoli.

2. II. **Ex SS. Patribus. S. Hieronymus,** *Dialogus contra pelagianos;* ML **43,** 495 sqq.; **S. Augustinus,** *Ep. ad Innocentium I;* ML **33,** 764 sqq.; *De peccatorum meritis et remissione;* ML **44,** 109 sqq.; *De natura et gratia;* ML **44,** 247 sqq.; *De gestis Pelagii;* ML **44,** 319 sqq.; *De gratia Christi;* ML **44,** 359 sqq.; *De nuptiis et concupiscentia;* ML **44,** 413 sqq.; *Contra duas epistolas pelagianorum;* ML **44,** 549 sqq.; *De gratia et libero arbitrio;* ML **44,** 881 sqq.; *De correptione et gratia;* ML **44,** 915 sqq.; *De praedestinatione Sanctorum;* ML **44,** 959 sqq.; *De dono perseverantiae;* ML **44,** 993 sqq.; et alibi passim; **Paulus Orosius,** *Liber apologeticus contra Pelagium;* ML **31,** 1173 sqq.; **Marius Mercator,** *Hypomnesticon contra pelagianos et caelestianos;* ML **45,** 1611 sqq.; *Commonitorium super nomine Caelestii;* ML **48,** 63 sqq.; *Adversus haeresim Pelagii et Caelestii;* ML **48,** 109 sqq.; **S. Prosper Aquitanus,** *Epistola ad Rufinum de gratia et libero arbitrio;* ML **51,** 77 sqq.; *De gratia et libero arbitrio contra Collatorem;* ML **51,** 213 sqq.; **S. Fulgentius,** *Ad Monimum;* ML **65,** 151 sqq.; Epistola 17 *De Incarnatione et gratia;* ML **65,** 451 sqq.; *De veritate praedestinationis et gratiae;* ML **65,** 603 sqq.; **S. Anselmus,** *De concordia praed. et praesc.;* ML **158,** 507 sqq.; *De libero arbitrio,* ML **158,** 489 sqq.; **S. Bernardus,** *De gratia et libero arbitrio;* ML **182,** 1001 sqq.; et alii.

3. III. **Ex Conciliis. Labbé,** *Collectio Conciliorum regia maxima,* Parisiis, 1715; **Mansi,** *Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio,* Parisiis, 1903 sqq.; *Collectio Lacensis, Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum,* Friburgi Brisg., 1870 sqq.

IV. **Ex theologis. Saeculo XII: Richardus a S. Victore,** *De statu interioris hominis;* ML **196,** 1115 sqq.; **Petrus Lombardus,** *lib. II Sent.,* dist. 26 sqq. **Saeculo XIII: S. Albertus M.,** O. P., *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **Alexander Alensis,** O. M., *Summa Theologiae,* p. III, q. 61 sqq.; **S. Thomas,** O. P., *I-II,* q. 109 sqq.; et *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **S. Bonaventura,** O. M., *in II Sent.,* dist. 26 sqq. **Saeculo XIV: Joannes Duns Scotus,** O. M., *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **Aegidius a Columna,** O. S. A., *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **Durandus,** O. P., *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **Gulielmus Ockam,** O. M., *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **Joannes Bachonus,** O. C., *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **Gregorius Ariminensis,** O. S. A., *in II Sent.,* dist. 26 sqq. **Saeculo XV: Joannes Capreolus,** O. P., *in II Sent.,* dist. 26 sqq.; **Gabriel Biel,** O. M., *in II Sent.,* dist. 26 sqq. **Saeculo XVI: Tho-**

http://www.obrascatolicas.com

mas de Lemos, O. P., *Panoplia divinae gratiae;* **Didacus Alvarez,** O. P., *De auxiliis divinae gratiae;* **Gregorius de Valentia,** S. J., *Comment. in I-II S. Thomae;* **Ludovicus Molina,** S. J., *Concordia;* **Gabriel Vazquez,** *Comment. in I-II S. Thomae;* **Bartholomaeus Medina,** O. P., *Comment. in I-II S. Thomae;* **Banez,** O. P., *Comment. in I p. S. Thomae.* **Saeculo XVII: Suarez,** S. J., *De gratia;* **S. Bellarminus,** S. J., *De gratia et libero arbitrio;* **Becanus,** S. J., *Summa theol. schol., De gratia;* **Salmanticenses,** O. C. Ex., *De gratia;* **Philippus a SS. Trinitate,** O. C. Ex., *De gratia;* **Gabriel a S. Vincentio,** O. C. Ex., *De gratia;* **Lezana,** O. C. C., *Comment. in I II S. Thomae;* **Gonet,** O. P., *Clypeus theol., tr. de gratia;* **Joannes a S. Thoma,** O. P., *Comment. in I-II S. Thomae;* **Ripalda,** S. J., *De ente supernaturali.* **Saeculo XVIII: Gotti,** O. P., *Theologia scholastico-dogmatica, tr. de gratia;* **Billuart,** O. P., *Tractatus de gratia Dei;* **Josephus a Matre Dei,** O. C. Ex., *Cursus triennalis, tr. de gratia Dei;* **Wirceburgenses,** S. J., *Tractatus de gratia Dei;* **Gener,** S. J., *Universae theologiae pars III, tr. de gratia;* **Frassen,** O. M. C., *Scotus academicus, tr. de gratia;* **Berti,** O. S. A., *Opus de disciplinis theologicis, tr. de gratia.* **Saeculo XIX: Knoll,** O. M. C., *Institutiones theol., tr. de gratia;* **Jungmann,** *Tractatus de gratia;* **Herrmann,** C. SS. R., *Tractatus de gratia divina;* **Lahousse,** S. J., *Tractatus de divina gratia;* deinceps plura compendia.

PRAEFATIUNCULA

4. Gratuito, ut alibi dixi, homo elevatus fuit a Deo ad ordinem supernaturalem, ut finem aeternae gloriae adipisceretur. Ordinem supernaturalem praecipue constituunt gratia sanctificans et, quae ipsam comitantur, virtutes, dona et auxilia divina.

Nemo est, ut puto, ex theologiae tyronibus, qui gratiae praestantiam hujusque tractatus momentum vel ignoret vel contemnat. «Gratia enim, ajunt *Salmanticenses*, pauperes locupletat, caecutientes illuminat, inermes armat, idiotas instruit, timidos roborat, et cunctos ad magna quaeque, vires artesque superantia, sollicitat ac perducit» [1]. Gratia revera homines perficit, Deo gratos reddit, et ad caelestem beatitudinem conducit.

Quare diligenter exponenda sunt in hoc tractatu et sedulo discutienda ea omnia, quae circa gratiam Dei versantur.

Veterem ordinem sequutus hunc tractatum et alium de virtutibus theologicis praeposui tractatui de Verbo incarnato, quia notiones, quae hic traduntur, necessariae sunt ad intelligendas quaestiones, quae tum in Christologia, tum in Soteriologia, tum etiam in Mariologia discutiuntur [2].

---

[1] *De gratia Dei*, prooem.

[2] Recentiores quidam theologi ita veterum ordinem invertunt, ut prius de incarnatione Verbi, et deinde de gratia et virtutibus theologicis disserant, sed non sunt imitandi.

http://www.obrascatolicas.com

SECTIO I

DE GRATIA DEI IN GENERE

QUAESTIO I

DE NOTIONE ET DIVISIONIBUS GRATIAE

ARTICULUS I

QUID SIT GRATIA DEI IN GENERE

5. I. **Ratio nominis.** Vox *gratia* multipliciter in sacris profanisque litteris usurpari solet. Tres ejus acceptiones refert *Angelicus* his verbis: «Secundum communem modum loquendi tripliciter gratia accipi consuevit. *Uno modo* pro dilectione alicujus, sicut consuevimus dicere, quod iste miles habet gratiam regis, id est, rex habet eum gratum. *Secundo* sumitur pro aliquo dono gratis dato, sicut consuevimus dicere: hanc gratiam facio tibi. *Tertio modo* sumitur pro recompensatione beneficii gratis dati, secundum quod dicimur agere gratias beneficiorum. Quorum trium secundum dependet ex primo; ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat; ex secundo autem procedit tertium, quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio consurgit» [1].

Sumimus hic gratiam in secunda acceptione pro aliquo dono gratis a Deo nobis collato.

6. II. **Donum naturale et supernaturale.** Dona, quae nobis caelitus conferuntur, alia sunt *naturalia*, ut vita, salus, divitiae, etc., alia *supernaturalia*, ut participatio divinae naturae, fides, spes et caritas, aliaque dona, quae naturae creatae vires superant.

Dona naturalia non semel vocantur *gratia* a SS. Patribus et theologis in sensu quodam lato, quatenus gratia significat omne quod gratuito nobis collatum est. Sic *S. Augustinus* loquitur: «Etsi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus; nec ita essemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, aut arbor, quae non sentit, aut pecus, quod non intelligit, sed homines, qui et essemus, et viveremus, et sentiremus, et intelligeremus, et de hoc tanto

[1] *I-II*, q. 110, a. 1. Venustas etiam seu pulchritudo et elegantia sermonis saepe dicuntur gratia.

http://www.obrascatolicas.com

beneficio Creatori nostro gratias agere valeamus: unde merito et ista gratia dici potest, quia non praecedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est» [1].

Usu tamen biblico et ecclesiastico in theologia recepto, gratia solum significat donum supernaturale naturae rationali gratis a Deo concessum in ordine ad vitam aeternam consequendam.

Hinc S. *Augustinus* loco citato ita prosequitur: «Alia est tamen, qua praedestinati vocamur, justificamur, glorificamur, ut dicere possimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom., 8, 32... De hac gratia quaestio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quod eam suis disputationibus oppugnaret... Hanc apostolica doctrina gratiam non immerito isto nomine appellat, qua salvamur et justificamur ex fide Christi» [2].

Natura autem rationalis et ea, quae ipsi debentur, quamvis a Deo collata fuerint, non habent rationem gratiae, quia gratia supponit naturam, et, quae ipsi debentur, perfectiones [3].

7. III. **Definitio gratiae.** Gratia rigorose accepta, de qua locuturi sumus, definitur: *Donum seu beneficium supernaturale creaturae rationali gratis a Deo collatum in ordine ad vitam aeternam.* «Sub nomine gratiae... ajunt *Salmanticenses*, ea dumtaxat intelligenda relinquuntur, quae important aliquod gratuitum Dei donum et beneficium superans ordinem, institutionem et exigentiam naturae, proindeque non illi debitum, sed gratis et ex speciali Dei benevolentia exhibitum» [4].

Dicitur 1) *Donum* seu *beneficium*, ut salvetur propria ratio gratiae, quae consistit in dono.

2) *Supernaturale*, id est, quod excedit totum ordinem naturae sive quoad substantiam sive quoad modum, vel saltem quod superat exigentias naturae, cui confertur, et dicitur *praeternaturale*. Donum supernaturale quoad substantiam est absolute et simpliciter gratia; et dona supernaturalia quoad modum et praeternaturalia dicuntur gratia, non absolute et simpliciter, sed quantum ad modum et secundum quid.

3) *Creaturae rationali a Deo collatum*, quo significantur auctor et subjectum gratiae, Deus scilicet et creatura rationalis.

4) *Gratis*, id est, sine ullo praecedenti merito vel exigentia collatum, quia, ut ait Apostolus: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia* [5].

5) *In ordine ad vitam aeternam*, ut innuatur gratiam eo fine nobis conferri, ut finem beatitudinis aeternae adipiscamur.

---

1 *Ep. ad Innocentium I*, n. 7; ML **33**, 767.
2 *Ep. ad Innocentium I*, nn. 7-8; ML **33**, 767 sqq.
3 Cfr. **Suarez**, *De gratia*, Proleg. 3, c. 2, n. 4.
4 *De gratia*, disp. 1, n. 6.
5 *Rom.*, 11, 6.

ARTICULUS II

DE DIVISIONIBUS GRATIAE

8. Sicut hominum plures sunt necessitates in vita spirituali, ita etiam gratia, quae nobis a Deo datur ad vitam aeternam consequendam, est multiplex juxta diversitatem auxiliorum.

1) Una est *increata* alia *creata*. Gratia *increata*, quatenus importat donum a Deo creaturae rationali datum, est imprimis ipsa essentia divina, cui juxta *Angelicum* competit dari [1]; deinde tres personae SS. Trinitatis juxta illud Joannis: *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* [2]; ac tandem singulae personae, praesertim Filius et Spiritus Sanctus, de quibus dicitur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* [3]. Et: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* [4]. Gratia *creata* est quodlibet donum supernaturale a Deo creaturae rationali collatum in ordine ad salutem aeternam consequendam, ut sunt auxilia quamplurima nobis in hac vita concessa.

Gratia creata, de qua loquimur, potest esse:

2) *Gratia Dei* et *Christi*. Gratia *Dei* dicitur, quae confertur a Deo independenter a meritis Christi, ut gratia sanctificans angelorum et primi hominis in statu innocentiae [5]. Gratia *Christi* est, quae confertur intuitu meritorum Christi Servatoris, ut omnes gratiae concessae hominibus post Adami lapsum.

3) *Gratia gratum faciens* et *gratis data*. Gratia *gratum faciens* est, qua homo sanctificatur vel Deo conjungitur [6]. Gratia *gratis data* est, qua homo saluti alterius cooperatur. Prima datur ad sanctificationem propriam, altera ad utilitatem et salutem aliorum.

Gratiae gratis datae numerantur novem ab Apostolo his verbis: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* [7].

Hujus numeri rationem dilucide exponit *Angelicus* dicens: «Gratia gratis data illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc quod alterum instruat in rebus divinis, quae sunt supra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur: *primo* quidem, quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc instruere alios possit; *secundo*, ut possit confirmare vel probare ea, quae dicit; alias non esset efficax ejus doctrina; *tertio*, ut ea quae concipit, possit convenienter auditoribus proferre».

«Quantum igitur ad primum tria sunt necessaria, sicut etiam apparet in

---

1 *In I Sent.*, dist. 18, a. 1.
2 *Joan.*, 14, 23.
3 *Joan.*, 3, 16.
4 *Rom.*, 5, 5.
5 Cfr. *De Verbo incarnato*, q. 8, a. 3.
6 Dicitur *gratum faciens*, quia hominem, cui confertur, facit Deo dispositive et praeparatorie gratum, si sit actualis, et formaliter gratum, si sit habitualis.
7 *I Cor.*, 12, 8 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

magisterio humano. Oportet enim quod, qui debet alium instruere in aliqua scientia, primo quidem ut principia illius scientiae sint ei certissima; et quantum ad hoc ponitur *fides*, quae est certitudo de rebus invisibilibus, quae supponuntur ut principia in catholica doctrina. Secundo oportet quod doctor recte se habeat circa principales conclusiones scientiae, et sic ponitur *sermo sapientiae*, quae est cognitio divinorum. Tertio oportet, ut etiam abundet exemplis et cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas; et quantum ad hoc ponitur *sermo scientiae*, quae est cognitio rerum humanarum; quia *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Rom., 1, 20.

»Confirmatio autem in his, quae subduntur rationi, est per argumenta; in his autem, quae sunt supra rationem divinitus revelata, confirmatio est per ea, quae sunt divinae virtuti propria; et hoc dupliciter: uno quidem modo, ut doctor sacrae doctrinae faciat, quae solus Deus facere potest in operibus miraculosis, sive sint ad salutem corporum, et quantum ad hoc ponitur *gratia sanitatum;* sive ordinentur ad solam divinae potestatis manifestationem, sicut quod sol stet aut tenebrescat, quod mare dividatur; et quantum ad hoc ponitur *operatio virtutum*. Secundo, ut possit manifestare ea, quae solius Dei est scire, et haec sunt contingentia futura, et quantum ad hoc ponitur *prophetia;* et etiam occulta cordium, et quantum ad hoc ponitur *discretio spirituum*.

»Facultas autem pronuntiandi potest attendi vel quantum ad idioma, in quo aliquis possit intelligi, et secundum hoc ponuntur *genera linguarum;* vel quantum ad sensum eorum, quae sunt proferenda, et quantum ad hoc ponitur *interpretatio sermonum*» [1].

S. Bellarminus, Suarez, et alii [2], praeter novem gratias gratis datas, quas ex Apostolo retuli, alias, ut munus docendi, gubernandi atque ministrandi, characterem ordinis, jurisdictionem in foro interno, etc., ponunt, sed, ut reor, minus recte. Gratiae siquidem gratis datae conferuntur homini, ut «alterum instruat in rebus divinis, quae sunt supra rationem» [3], et ad hoc sufficiunt novem gratiae numeratae. Quae autem ultra hunc numerum referuntur a S. Bellarmino, non sunt proprie gratiae sed ministeria, quibus personae in dignitate constitutae exercent suorum munerum actus.

4) *Actualis* et *habitualis* seu *sanctificans*. Gratia *actualis* est, quae aliquem disponit vel movet per modum qualitatis fluidae et transeuntis ad aliquid agendum vel recipiendum in ordine ad vitam aeternam. Complectitur omnes habitus, dispositiones, motiones, illustrationes, etc., quae transeunter movent hominem ad operandum in ordine supernaturali. Gratia *habitualis*, quae plerumque *sanctificans* et *gratum faciens* [4] nuncupatur, est quaedam forma accidentalis permanenter recepta in anima, qua homo fit Deo gratus.

---

[1] *I-II*, q. 111, a. 4.

[2] **S. Bellarminus,** *De gratia et libero arb.*, lib. 1, c. 10; et **Suarez,** *De gratia*, Proleg. 3, c. 5, n. 64 sqq.

[3] **S. Thomas,** *I-II*, q. 111, a. 4.

[4] Ut superius innuimus, gratia gratum faciens potest esse actualis vel habitualis, sed in usu theologico saepius usurpatur pro gratia habituali seu sanctificante.

ARTICULUS III

ERRORES CIRCA GRATIAM DEI

9. Circa gratiam Dei alii per defectum, alii per excessum erraverunt.

10. I. **Errores per defectum.** 1) *Ethnici* generatim, cum notionem revelationis primitivae jam olim corruperint vel etiam penitus amiserint, plerumque erraverunt circa naturam et necessitatem gratiae Dei. Unde *Tullius* in persona Cottae academici ajebat: «Virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis, haberemus... Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit unquam?» [1]. Et *S. Augustinus:* «Philosophi hujus mundi... vehementer egerunt, ut putarentur vel putarent sibi beatam vitam virtute propriae voluntatis efficere» [2].

2) *Judaei* quoque gratiam Christi penitus negant, et gratiam Dei Creatoris parvipendunt [3]. De his loquens ait *S. Augustinus:* «Per legem quippe et illi justificari se arbitrantur, sufficiente sibi ad eam custodiendam libero arbitrio» [4].

3) *Pelagiani* eo gravius circa hoc erraverunt, quo magis tenebantur Ecclesiae dogmata admittere ac profiteri.

Horum magister fuit Pelagius, in Britannia majori ad fines Scotiae natus ac professione monachus. Nescimus, an fuerit presbyter. Cum acuto ingenio non careret, et virtutis specimen daret, visus est aliquando sapientiae sanctitatisque fama florere, sed Origenis, Rufini et Theodori Mopsuesteni doctrinis plus aequo imbutus, sanctitati simul ac scientiae valedixit, et errores plurimos spargere coepit.

Caelestium jurisconsultum sibi adscivit Romae in socium, quocum primo in Siciliam, deinde perrexit in Africam. Relicto Caelestio in Africa, petiit Palaestinam [5].

Pelagius in Palaestina et Caelestius in Africa docuerunt:

a) Primum hominem a Deo creatum fuisse mortalem.

b) Peccatum Adami ad posteros nullatenus transiisse.

c) Concupiscentiam et mortem esse homini conditionem naturalem.

d) Hominem posse ad primam gratiam propriis viribus pervenire, in eaque progredi, ac tandem vitam aeternam consequi.

Pelagius a catholicis exagitatus suam sententiam circa necessitatem gratiae saepe modificavit. Possunt tres ejus phases considerari.

a) *In prima periodo* docuit gratiam Dei nullatenus esse necessariam ad recte vivendum vitamque aeternam adipiscendam, sed ad hoc sufficere liberum arbitrium. «Nec ultra ejus (Dei) indigemus auxilio, ne, si indiguerimus, liberum frangatur arbitrium» [6]. Imo ipsum liberum arbitrium aliaque naturalia Dei beneficia, quae nullo hominis praecedenti merito collata sunt, dicebat esse gratiam [7].

b) *In secunda periodo* ultra liberum arbitrium et beneficia naturalia admisit gratiam externam, qua intelligebat legem, doctrinam, atque exempla Christi.

c) *In tertia periodo* gratiam interiorem certe admisit. Sed quid Pelagius intellexerit per gratiam interiorem disputant theologi. Plures cum *Sua-*

---

[1] *De natura deorum*, lib. 3, c. 36, n. 87.

[2] *Ep.* 186, n. 37; ML **33,** 830.

[3] Cfr. **Suarez,** *De gratia*, Proleg. 5, c. 1.

[4] *Ep.* 177, n. 14; ML **33,** 770.

[5] Scripsit *Expositiones in epistolas S. Pauli; Librum fidei ad Innocentium I; De natura; De libero arbitrio* (quatuor libros); *Capitula S. Eclogae; Epistolas*. Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, seg. periodo, c. 2, § 8, n. 107.

[6] Apud **S. Hieronymum,** *ep.* 132, n. 5; ML **22,** 1153.

[7] Cfr. **S. Augustinus,** *De haeresibus*, haer. 88; ML **42,** 48.

http://www.obrascatolicas.com

rez [1] affirmant Pelagium nonnisi voce admisisse concursum Dei simultaneum, gratiam sanctificantem, gratias interiores excitantes, et auxilia efficacia. Sed alii plures, praesertim thomistae, dicunt Pelagium in sua ultima evolutione posuisse in homine concursum Dei simultàneum, gratiam sanctificantem, et gratias interiores excitantes, non vero auxilia Dei efficacia. Has tamen non necessarias sed utiles esse, neque gratuito sed pro merito dari hominibus contendebat [2].

Pelagium sequuti sunt Caelestius in Africa, Julianus episcopus eclanensis in Campania, atque Anianus diaconus cenetensis in Italia ac Aegypto.

Contra hunc errorem strenue dimicarunt viri doctissimi *Paulinus*, diaconus mediolanensis, *Orosius*, presbyter hispanus, *S. Hieronymus*, *S. Augustinus* et alii [3].

Errores pelagianorum proscripti fuere a Concilio Milevitano II (a. 416), quod approbavit Innocentius I, et a Concilio Carthaginensi plenario (a. 418), quod Zosimus Papa per epistolam, quae *tractoria* appellatur, solemniter confirmavit. Hac occasione scripsit *S. Augustinus* illud celebre effatum: «Inde (Roma) etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam aliquando finiatur error» [4].

4) *Semipelagiani*, ut ipsa vox innuit, affines fuerunt pelagianis. Non recte intelligentes necessitatem et efficaciam gratiae, scandalizati sunt de praedicationibus S. Augustini, et nimis accesserunt Pelagio.

Doctrinam semipelagianorum his verbis exposuit *S. Augustinus:* «Solum initium fidei, et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad haec habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes et voluntates, caetera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentes fide» [5].

Unde semipelagiani admittebant hominem lapsum esse quidem debiliorem quam in statu naturae integrae, et sic opera virtutum exerceri ab homine sano vel gratia adjuto, sed volebant hominem infirmum posse per liberum arbitrium sine gratia desiderare, petere, precari, atque ideo hominem lapsum posse viribus naturae a) *mereri de congruo* gratiam necessariam ad opera virtutum; b) *producere initium fidei*, id est, pium credulitatis affectum; c) *perseverare* usque in finem.

Haec haeresis initium habuit apud monachos adrumetenses in Byzacena Africae provincia sub duce Floro. Sed pacatis opera S. Augustini monachis Africae, vehementius ignis exarsit in Gallia opera Cassiani abbatis S. Victoris prope Massiliam [6], Fausti rhegiensis episcopi [7], Gennadii presbyteri massiliensis [8], et Vincentii Lirinensis [9].

Semipelagianismus damnatus est in Concilio Arausicano II (a. 529), confirmato a *Bonifacio II* [10].

5) *Rationalistae* hodierni, qui ordinem supernaturalem penitus negant, omnibus sunt audaciores. Juxta eos nulla indiget homo gratia. Ipse sibi sufficit, et jugi rationis progressu perfectionem et finem a natura praefixum valet attingere.

---

1 *Proleg.* 5, c. 2 sqq.; et *De auxiliis*, lib. 3, c. 5 sqq.

2 Cfr. **Goudin,** *De gratia*, q. 1, a. 1, § 3.

3 **Paulinus,** *Adv. Caelestium;* ML **20,** 711 sqq.; **Orosius,** *Apologia contra Pelagium;* ML **31,** 1173 sqq.; **S. Hieronymus,** *ep. 132 ad Ctesiphontem;* ML **22,** 1147; *Dial. adv. Pelagium;* ML **23,** 517 sqq.; **S. Augustinus,** *De peccat. merit. et remiss.;* ML **44,** 109; *De spiritu et littera;* ML **44,** 199; *De natura et gratia;* ML **44,** 247; *De perfectione justitiae hominis;* ML **44,** 291; *De gestis Pelagii;* ML **44,** 319.

4 *Serm.* 131, c. 10; ML **38,** 734.

5 *De dono persev.*, c. 17, n. 42; ML **45,** 1019.

6 Hic **Cassianus** fuit auctor *Collationum* 24 (ML **49,** 477 sqq.). Collatione XIII indigitavit haeresim semipelagianam.

7 Cfr. ML **58,** 775 sqq.

8 Cfr. ML **58,** 979 sqq.

9 Cfr. **Bardenhewer,** *Patrologia* (hispanice v.), § 96.

10 Cfr. **Denz-Bannw.,** 174 sqq.

Damnati sunt a *Pio IX* [1] et *Leone XIII* [2].

11. II. **Errores per excessum.** Alii sunt errores, qui plus aequo gratiae concedunt.

1) *Praedestinatiani*, auctoribus Gotteschalco, monacho saeculi IX; Bradwardino, professore oxoniensi; Joanne Hus, professore pragensi; et Wicleffo, parocho luterworthensi in Anglia, exaggerabant doctrinam S. Augustini, et dicebant: a) libertatem hominis per peccatum penitus disparuisse; b) homines ad gratiam et peccatum, ad salutem et perditionem, a Deo praedestinari, ac propterea hominum actiones bonas et malas fatali necessitate ab aeterno esse determinatas [3].

2) *Protestantes* seu *Reformatores* saeculi XVI erraverunt circa gratiam actualem et circa justificationem.

Circa gratiam actualem dixerunt: a) Justitiam originalem fuisse homini essentialem, sicut essentialis est ei voluntas [4]; et amissa per peccatum justitia originali, naturam hominis fuisse substantialiter corruptam [5].

b) Liberum arbitrium hominis per peccatum fuisse penitus exstinctum, et in homine lapso esse *titulum sine re*.

c) Concupiscentiam non solum in ethnicis sed etiam in christianis esse peccatum.

d) Non dari gratiam, quam vocamus sufficientem, sed tantum efficacem, eamque ita agere, ut necessitatem nobis semper imponat.

e) Neminem posse in statu lapso resistere gratiae.

f) Quamplurima Dei praecepta esse homini impossibilia.

Circa justificationem autumant: a) hominem, non per deletionem peccatorum neque per gratiae sanctificantis infusionem, sed per solam fidem sine caritate justificari. Hoc autem ita intelligunt, ut fides sit, non quidem virtus theologica intrinsecus nobis inhaerens, sed specialis quaedam fiducia et firma persuasio, qua quis confidit promissionem divinam de remittendis vel potius de non imputandis peccatis sibi applicari [6].

b) Hominem, quando confidit accipere promissionem Dei, esse certum de sua justificatione.

c) Opera bona non requiri ad justificationem [7].

d) In justificatione hominis non infundi gratiam sanctificantem et virtutes supernaturales.

e) Opera infidelium esse peccata.

12. III. **Bajanismus.** *Bajus*, Melini in Belgio natus et Lovanii olim theologiae professor, inter alia docuit:

1) Justitiam originalem et beneficia inde sequentia fuisse primo homini naturalia, non gratuito sed necessario ipsi a Deo collata, et merita per gratiam originalem facta sicut et aeternam beatitudinem fore naturalia.

2) Peccatum originale formaliter constitisse in concupiscentia seu libidine carnis, quae ita laesit lumen naturale intellectus ac liberum arbitrium, ut homo lapsus nunquam valeat cognoscere verum aut facere bonum, sed solum peccare, quia ipsa concupiscentia peccatum est.

3) Hominem lapsum semper duci delectatione ac vi vel caritatis vel

---

1 Allocutione *Singulari quadam*, 9 Dec. 1854; **Denz-Bannw.,** 1642 sqq.; et *Syllabus*, prop. 3 sqq.; **Denz-Bannw.,** 1703 sq.

2 Encyclica *Immortale Dei*, 1 Nov. 1885; **Denz-Bannw.,** 1885.

3 Cfr. **Wouters,** *Hist. Eccl. Comp.*, Epocha 3, n. 82.

4 **Lutherus,** *In Genesim*, c. 3, v. 7; § «Quin hoc statuamus».

5 **Lutherus,** *In Genesim*, c. 3, v. 7; § «Quin hoc statuamus».

6 «Illa fides, quae justificat, non est tantum notitia historiae, sed est adsentiri promissioni Dei, in qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum et justificatio... Est velle et accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum et justificationis». **Melanchthon,** *Apologia II Confessionis*. «Quid sit fides justificans».

7 «Sola fide et quidem fide proprie dicta accipitur remissio peccatorum, quia promissio non potest accipi nisi fide». **Melanchthon,** *Apologia II, De justificatione*. «Arbitramur hominem justificari fide, non ex operibus». Ibidem.

http://www.obrascatolicas.com

cupidinis terrenae, liberumque arbitrium, quod idem est ac voluntarium, nisi ducatur caritate, nihil valere nisi peccare. Si delectatio caelestis superet gradu delectationem terrenam, necessario nos rapit ad bonum, si autem delectatio terrena vicerit, necessario nos ducit ad malum.

4) Gratia efficax est delectatio caelestis victrix, cui resistere non possumus, sed sub ea necessario operamur bonum, sicut sub delectatione terrena victrici necessario ducimur ad malum.

5) Libertas non tollitur necessitate sed solum violentia ac coactione. Unde quidquid necessario et voluntarie, non violenter, facimus, libere operamur.

13. IV. **Jansenismus.** *Cornelius Jansenius* in Hollandia a. 1585 natus, fuit professor lovaniensis et episcopus iprensis. Mortuus est relicto opere posthumo pergrandi sub titulo *Augustinus*, in quo easdem fere ac *Bajus* doctrinas tradidit, praesertim in materia de delectatione relative victrici. Contendit hominem recte operari, cum fertur delectatione caelesti, quae infert necessitatem ad bonum, peccat vero, cum impellitur delectatione terrena, quae pariter obligat ad malum. Ex hac theoria deduxit quinque famosas propositiones, quae ex Augustino excerptae sic se habent:

1) *Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

2) *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.*

3) *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

4) *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

5) *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse* [1].

14. V. Quidam denique theologi recentiores, *Hermesius* nempe († 1831), *Hirscherus* († 1865), et *Guntherus* († 1863) circa justitiam originalem primi hominis, gratiam habitualem, justificationem, gratiam actualem, et gratiae actualis necessitatem ad singulos actus salutares, minus recte locuti sunt. Eorum theorias suis respective locis breviter attingemus [2].

---

[1] Damnatae sunt a Clemente X, Alexandro VII, et Clemente XI. Cfr. **Denz-Bannw.,** 1092 sqq. **Quesnell** († 1719) et post ipsum synodus pistoriensis strenue defenderunt haeresim jansenianam, sed Clemens XI proscripsit Quesnelli propositiones; **Denz-Bannw.,** 1351 sqq.; et Pius VI per constitutionem *Auctorem fidei* damnavit synodi pistoriensis errores; **Denz-Bannw.,** 1501 sqq.

[2] Vide **Katschthaler,** *De gratia*, n. 31 sqq.

SECTIO II

DE GRATIA ACTUALI

QUAESTIO II

DE NATURA GRATIAE ACTUALIS

ARTICULUS UNICUS

QUID ET QUOTUPLEX SIT GRATIA ACTUALIS

15. I. **De natura gratiae actualis.** Dato consilio movemus hic quaestionem de natura gratiae actualis, ut modos dicendi obscuros et minus rectos corrigamus, et germanam ejus notionem tradamus tyronibus.

16. Placita theologorum. 1) Aliqui dicunt gratiam actualem esse formaliter actionem vitalem supernaturalem intellectus vel voluntatis hominis, nempe vocationem, illuminationem, etc., quibus homo incipit attendere ad divina et prosequi in bonis operibus. Ita *Vazquez, Zumel, Tanner, Ripalda*, et novissime *Hurter* [1].

Sed hoc perperam dicitur. Actio siquidem vitalis supernaturalis intellectus et voluntatis, cum eliciatur a potentia, praesupponit gratiam actualem, quae est auxilium supernaturale elevans potentias hominis ad operationem vitalem. Unde gratia actualis non est ipsa operatio vitalis [2].

2) Alii defendunt gratiam actualem in iis, qui carent habituali, esse ipsum Deum vel saltem concursum Dei seu virtutem et omnipotentiam Dei homini adsistentem. Ita *Suarez* [3] cum aliis.

Neque hoc mihi probatur. Tum quia Deus uniri nequit intellectui creato per modum luminis, tum quia, concursus Dei simultaneus non sufficit, ut homo eliciat actiones vitales supernaturales. Potentiae siquidem intellectuales hominis ex se impotentes ad operationem supernaturalem, per concursum Dei simultaneum non mutantur nec fiunt potentiores, sed postulant elevari per aliquod auxilium praevium, quod est gratia actualis. In operationibus igitur supernaturalibus, in quibus Deus concurrit cum creatura, Deus dicitur causa prima, et potentiae intellectuales hominis per gratiam actualem excitatae vel adjutae sunt causa secunda.

3) Omnino probanda mihi videtur sententia *S. Thomae* et thomista-

---

[1] **Vazquez,** *In I-II*, disp. 185; **Zumel,** *In I-II*, q. 111, a. 2, disp. 1; **Tanner,** t. 2, disp. 6, q. 3; **Ripalda,** *De ente supernaturali*, t. 2, disp. 104; **Hurter,** *De gratia*, n. 15.

[2] Cfr. **Joannes a S. Thoma,** disp. 23, a. 1.

[3] *De gratia*, lib. 3, cc. 18-19.

http://www.obrascatolicas.com

rum, quae docet gratiam actualem formaliter esse qualitatem supernaturalem fluidam a Deo productam et potentiis animae per modum motus et impressionis transeuntis communicatam.

Haec gratia actualis, si active consideretur, est quidem in recto operatio Dei increata, sed passive considerata in potentiis animae est auxilium seu qualitas se habens ex parte potentiarum, ipsasque elevans ad operandum in ordine supernaturali [1].

Ratio hujus doctrinae est, quia gratia actualis non est nisi auxilium quoddam supernaturale, quo potentiae animae elevantur et fiunt capaces ad actus supernaturales eliciendos. Unde recipitur in iisdem potentiis animae. Auxilium autem receptum in potentiis animae easque elevans ad producendos sive actus indeliberatos, ut fit in gratia operante, sive deliberatos, ut contingit in gratia cooperante, est qualitas fluens a Deo communicata et impressa potentiis animae instar motus et passionis transeuntis. Non enim datur aliud praedicamentum, ad quod reducatur gratia actualis.

17. Objicies. *Angelicus Doctor* contradicit huic doctrinae dicens: «Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo, in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum (gratia actualis). Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine *non est qualitas*, sed motus quidam animae; actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur *in 3 Physic.*, tex. 18. Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate secundum quod aliquod habituale donum a Deo animae infunditur (gratia habitualis)... Et sic donum gratiae qualitas quaedam est» [2].

Respondeo *S. Thomam* hic, quando negat gratiam actualem esse qualitatem, loqui de qualitate permanente non de fluida. «Qualitates enim fluidae non solent absolute appellari qualitates, sed magis passiones et mobiles impressiones. Et hac ratione *Aristoteles, 1 Ethic.*, c. 3, dicit: *Non enim virtutis operationes qualitates sunt neque facilitas; non quia verae qualitates non sint, sed quia habent esse fluidum et transiens*» [3].

18. II. **De divisione gratiae actualis.** Gratia actualis dividitur *in operantem* et *cooperantem;* in *excitantem* et *adjuvantem;* in *praevenientem, concomitantem*, et *subsequentem;* in *internam* et *externam;* in *sufficientem* et *efficacem*.

1) Gratia *operans* est, quae per modum qualitatis supernaturalis fluidae et transeuntis nos movet ad primum actum voluntatis vel intellectus; *cooperans* est, quae nos bene volentes vel agentes movet ad bonum. Ad rem *S. Augustinus:* «Cooperando (Deus) in nobis perficit, quod operando incipit; quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur» [4].

2) Gratia *excitans* est, quae nos dormientes seu sopitos evigilat; *adjuvans*, quae nos excitatos adjuvat, ut operemur.

3) *Gratia praeveniens* seu *praeparans* est, quae saltem natura praecedit actum liberi arbitrii, et movet aut disponit voluntatem, ut velit; *concomitans* est, quae simul cum nostra voluntate influit in actum; et *subsequens* est, quae vel supponit aliam gratiam in anima, vel concurrit ad exsequendum quod per gratiam praevenientem volitum est.

---

[1] Concilium Carthaginense illustrat hanc veritatem dicens: «Per ipsam (gratiam) nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere et quid vitare debeamus». *Can.* 4; **Denz-Bannw.**, 104.

[2] *I-II*, q. 110. a. 2.

[3] **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 5, n. 55.

[4] *De gratia et libero arb.*, c. 17; ML **44**, 901.

4) Gratia *interna* afficit intrinsecus animam ejusque potentias, ut sunt habitus, illustrationes mentis, motiones animi, et auxilia quamplurima, quae experimur in vita spirituali; *externa* afficit extrinsece animum, et complectitur quidquid externe nobis confertur in ordine ad salutem aeternam, ut praedicatio Evangelii, operatio miraculorum, angelorum custodia, etc. Externa saepe ordinatur ad producendam internam.

5) Gratia *sufficiens* dicitur, quae «praestat posse agere; *efficax* est, quae affert infallibiliter ipsum agere. Illa est sine qua non possumus agere, haec est, cum qua infallibiliter agimus» [1].

De gratia sufficienti et efficaci gravissimae moventur in scholis quaestiones, quas inferius solvere curabimus.

19. Corollarium. Omnes gratiae actuales facile reducuntur ad gratiam *operantem* et *cooperantem*. Unde gratia *excitans* et *praeveniens* est realiter eadem ac gratia operans; gratia *adjuvans* et *subsequens* est ipsa gratia cooperans; gratia *sufficiens* et *efficax* ad unam vel alteram reducitur; et omnes sunt qualitates fluidae moventes potentias animae ad actus supernaturales indeliberatos vel deliberatos.

QUAESTIO III

DE NECESSITATE GRATIAE ACTUALIS AD COGNITIONEM VERITATIS ET AD ACTUS ETHICE BONOS FACIENDOS

20. Praenotamina. Quaedam sunt hic breviter praenotanda.

1) *Potentia*, qua homo pollet ad veritates cognoscendas vel actus efficiendos, potest esse *physica* vel *moralis*. *Physica* est qua homo efficere valet aliquid in se ipso consideratum, abstrahendo a circumstantiis, quae illud affectent. *Moralis* est, qua homo potest efficere aliquid circumstantiis, loco, tempore, passionibus, tentationibus, etc., quae illud impedire possunt, vestitum.

2) «Finis autem, inquit *S. Thomas*, ad quem res creatae ordinantur a Deo, est duplex. Unus, qui excedit proportionem naturae creatae et facultatem: et hic finis est vita aeterna, quae in divina visione consistit, quae est supra naturam cujuslibet creaturae... Alius autem finis est naturae creatae proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suae naturae» [2].

3) Actus, quibus tendimus ad finem naturae creatae proportionatum, dicuntur ethice boni; actus vero, quibus tendimus ad finem vitae aeternae, qui excedit proportionem naturae creatae, sunt supernaturales.

In hac quaestione disseremus de necessitate gratiae ad actus ethice bonos, in sequenti vero de necessitate ejusdem ad actus supernaturales.

---

[1] **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 5, n. 180.

[2] *I p.*, q. 23, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS I

UTRUM HOMO IN STATU NATURAE LAPSAE POSSIT SINE GRATIA ACTUALI COGNOSCERE ALIQUAS VERITATES NATURALES

21. Status quaestionis. 1) Nomine veritatum naturalium eas hic intelligimus, quae intra ordinem naturae continentur, et ex sensibilibus facile deduci possunt, non eas, quae, quamvis intra naturae ambitum contineantur, ex rebus sensibilibus perspicuae non fiunt, ut sunt cogitationes cordium.

2) Non loquimur de omnium veritatum naturalium collective sed de aliquarum tantum cognitione.

3) Agimus de facultate hominis ad cognoscendas veritates naturales sine gratia actuali supernaturali, supposito influxu Dei generali.

22. Errores. 1) Aliqui negaverunt posse hominem cognoscere veritates naturales sine speciali lumine addito intellectui agenti. Ita nonnulli philosophi, quos suppresso nomine refert *S. Thomas* [1].

2) *Lutherus* ajebat: «In rebus externis et hujus mundi, quae rationi subjectae sunt, relictum est homini adhuc aliquid intellectus, virium et facultatum, etsi haec ipsa quantulacumque per morbum illum haereditarium infecta sunt atque contaminata, ut Deus abominetur ea».

3) Alii dixerunt intellectum humanum sine speciali Dei auxilio nihil posse cognoscere de Deo et religione. Ita *Alliacensis, Calvinus, Quesnell*, et *rigidi traditionalistae* [2].

4) *Vazquez* [3] contendit intellectum humanum sine auxilio et motione gratiae Dei non posse cognoscere eas veritates naturales, quae natae sunt movere affectum ad recte vivendum.

23. THESIS. **Homo in statu naturae lapsae cum solo generali Dei concursu sine gratia supernaturali potest potentia tum physica tum morali cognoscere aliquas veritates naturales.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura et Ecclesiae* documentis constat intellectum humanum viribus naturalibus posse ad Dei notitiam pervenire [4].

2) *Ex SS. Patribus.* «Quis ambigat, ait *S. Prosper*, hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitae utilitatem ex naturae a Deo conditae superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura» [5].

3) Intellectus humanus cum concursu Dei generali potest cognoscere objectum sibi proportionatum atque ministerio sensuum debite

---

[1] *In II Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 5. **Tullius** ait ad rem: «Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est in ipsis rebus obscuritas et in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa et doctissimi et antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sunt». *Acad.* 1, lib. 2, n. 3.

[2] **Alliacensis,** *In I Sent.*, q. 3; **Calvinus,** *Inst.*, lib. 2, c. 2, n. 15 sqq.; **Quesnell,** *prop.* 41; **Denz-Bannw.,** 1391.

[3] *In I-II*, disp. 188, cc. 2 et 3; et disp. 190, c. 1.

[4] Vide quae diximus in tractatu *De Deo uno*, n. 24.

[5] *Contra Collatorem*, c. 10; ML 51, 241.

perceptum; habet quippe facultatem eliciendi actum circa objectum proprium. Ergo sine gratia supernaturali potest cognoscere aliquas veritates naturales. Ad rem *Angelicus:* «Homo indiget auxilio divino (concursu generali), ut intellectus a Deo moveatur ad suum actum. Non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus nova illustratione superaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam, quae excedunt naturalem cognitionem» [1].

24. Corollarium I. Ipsae quoque veritates naturales, quae Deum et naturalem religionem spectant, possunt ab intellectu hominis lapsi sine gratia supernaturali comparari, ut apposite docuit Concilium Coloniense anni 1860 [2].

Unde damnata est propositio 41 Quesnell his verbis expressa: «Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo; et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris» [3].

25. Corollarium II. Nequit tamen intellectus humanus in statu naturae lapsae cognoscere sine gratia omnes veritates naturales collective sumptas. Ratio est, quia intellectus humanus post lapsum, utpote vulnere ignorantiae percusus, defectibilis est, viribus languescit, atque, passionibus animae ac gravitate corporis detentus, saepe distrahitur a rerum contemplatione. Unde plures veritates naturales, tum speculativae tum practicae, nos latent, et non semel errores sub specie veritatis admittimus.

ARTICULUS II

UTRUM HOMO IN STATU NATURAE LAPSAE POSSIT SINE AUXILIO GRATIAE EFFICERE ALIQUA OPERA ETHICE BONA

26. Status quaestionis. 1) Opera dicuntur ethice bona, quae sunt consona regulis morum. Quae autem ex aliqua prava circumstantia vitiantur, quamvis versentur circa objectum bonum, sunt simpliciter mala, quia *malum ex quocumque defectu.*

2) Gratiae nomen hic stricte sumitur, quatenus significat donum supernaturale gratis homini a Deo collatum.

Unde sensus articuli est, an homo in statu naturae lapsae possit sine auxilio supernaturalis gratiae efficere aliquod opus simpliciter honestum ac bonum.

27. Error. 1) *Novatores saeculi XVI*, putantes hominis liberum arbitrium exstinctum fuisse per peccatum originale [4], et *Bajus* ac *Jansenius*, arbitrantes peccatorem necessario sequi ductum malae concupiscentiae [5],

---

[1] *I-II*, q. 109, a. 1.

[2] *Decreta Concilii*, p. 1, c. 17; *Coll. Lac.*, 5, 298.

[3] *Prop.* 41; **Denz-Bannw.,** 1391.

[4] **Lutheri** *prop.* 36; **Denz-Bannw.,** 776.

[5] **Baji** *prop.* 74; **Denz-Bannw.,** 1074.

http://www.obrascatolicas.com

contenderunt infideles et peccatores in suis operibus, etiam ex objecto honestis, semper peccare, liberumque arbitrium sine speciali Dei adjutorio nihil valere nisi ad peccandum [1].

2) *Gregorius Ariminensis* huic errori partim favit dicens: «Adam post suum lapsum non potuit per suas vires naturales absque speciali auxilio Dei facere aliquem actum moraliter bonum» [2]. Et: «Nullus actus hominum simpliciter infidelium est simpliciter bonus. Dico autem simpliciter infidelium ad excludendos schismaticos, haereticos, catholicos, et reliquos, qui aliquo modo credunt, et aliquali fide cognoscunt Deum» [3].

28. Placita theologorum. Aliqui theologi, mira eruditione et praeclara doctrina conspicui, censuerunt liberum arbitrium ita post lapsum in homine fuisse debilitatum, ut solis naturae viribus nullum possit opus ethice bonum efficere, nisi praeveniatur aliqua gratia entitative quidem naturali, sed indebita naturae ac ideo extrinsece supernaturali, collata per Christum.

Hanc gratiam diversi diversimode explicarunt:

a) *Gregorius Ariminensis* [4] eam reposuit, ut adserunt *Salmanticenses*, «in speciali quadam motione physica et reali, quam Deus voluntati imprimit prius natura, quam ipsa operetur, et per quam non solum concurrit cum illa ad actum bonum, sed eam applicat et determinat physice et ex parte principii ad talem actum eliciendum; ita ut, posita tali motione, infallibiliter et ex natura rei actus sequatur» [5].

b) Alii eam posuerunt in quadam motione vitali intellectus vel voluntatis, qua homo moraliter inducitur ac trahitur ad bene operandum.

c) Alii denique eam collocant in quadam cogitatione sancta et congrua boni honesti entitative naturali, praecedente consensum voluntatis, qua fit, ut, posita cogitatione congrua, voluntas infallibiliter operetur. Ita *Vazquez* [6].

29. THESIS. **Homo post lapsum potest viribus suis sine gratia actuali cum sola generali Dei motione, quae ipsi ex communi providentia debetur, aliqua opera ethice bona facere.**

Nota. Verba S. Scripturae, quibus innuitur infideles aliqua opera bona facere, vel obscura sunt, vel longam expositionem requirunt, ut valide ad hanc thesim accommodentur. Potest enim dubitari, an sacri scriptores locuti fuerint de infidelibus cum gratia vel sine gratia Dei operantibus.

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus* ait: «Concedamus apud gentiles esse, qui recte vivant; nihil enim hoc orationi nostrae adversatur; sermo enim erat de eo quod ut plurimum non de eo quod raro contingit» [7].

S. Augustinus: «Si autem hi, qui naturaliter, quae legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter justeque colentium; quaedam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quae secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus; quanquam, si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quae justitiae debitam laudem defensionemque mereantur. Verumtamen, quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere... Sicut enim non impediunt a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio *aliqua opera bona, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*» [1].

2) *Ex ratione et auctoritate S. Thomae:* «In statu naturae corruptae, ait *Angelicus*, etiam deficit homo ab hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturae privetur, potest quidem etiam in statu naturae corruptae per virtutem suae naturae aliquod bonum particulare agere, sicut aedificare domos, plantare vineas, et alia hujusmodi, non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere; non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae» [2]. Quis enim negaverit homini impio facultatem vel obsequendi parentibus, vel porrigendi manum inopi, recta intentione honestoque fine?

30. Corollarium I. *Non omnia infidelium et peccatorum opera sunt peccata.*

Ratio hujus corollarii constat non solum ex doctrina mox tradita, sed etiam ex praeclaris Ecclesiae documentis.

Concilium Tridentinum expresse ait: *Si quis dixerit opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata... a. s.* [3].

S. Pius V et *Gregorius XIII* damnarunt sequentes *Baji* propositiones: «Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia» [4]. «Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est» [5].

Egregie ad rem *S. Thomas:* «Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem..., ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis» [6].

31. Corollarium II. Auxilium, quod exigunt theologi supra relati, ut homo opera naturalia ethice bona faciat, nullatenus dicenda est gratia. Est enim, ut ipsi fatentur, *entitative naturale*. Et vehementer falli videntur, cum dicunt hoc auxilium esse naturae indebitum.

---

1 **Baji** *prop.* 27; **Denz-Bannw.**, 1027.
2 *In II Sent.*, dist. 29, q. 1, a. 2.
3 *In II Sent.*, dist. 41, corol. 3.
4 *In II Sent.*, dist. 28, q. 1 ad 12.
5 **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 2, n. 54. Gregorius hic, ut vides, admisit praemotionem physicam thomistarum, et in hoc se decepit, quod diceret hanc praemotionem physicam non esse debitam voluntati humanae ex communi Dei providentia, sed esse gratiam.
6 *In I-II*, disp. 189, c. 16; et disp. 190, c. 12.
7 *In Joannem hom.* 27, 2; MG **59**, 164.

1 *De spiritu et littera*, cc. 27-28, n. 48; ML **44**, 229 sq.
2 *I-II*, 109, a. 2.
3 *Sess.* 6, can. 7; **Denz-Bannw.**, 817.
4 *Prop.* 25; **Denz-Bannw.**, 1025.
5 *Prop.* 35; **Denz-Bannw.**, 1035.
6 *II-II*, q. 10, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

Duplici ratione Deus dicitur cum causis secundis operari. Primo, quia virtutes illis tribuit atque in esse conservat. Deinde, quia causas secundas ad agendum movet, virtutesque earum applicat ad operationem, non secus ac artifex securim applicat ad scindendum. Supposita prima Dei operatione, qua hominem creat atque in esse conservat, homo indiget certe secunda Dei operatione seu motione et applicatione, ut opus honestum efficiat, sed haec motio ex communi Dei providentia est homini debita, et nullatenus meretur nomen gratiae.

32. Corollarium III. 1) *Gregorius Ariminensis* recte exposuit naturam et necessitatem hujus auxilii, et solum se decepit, cum illud confundit cum gratia naturae humanae indebita.

2) Motio vitalis intellectus et voluntatis, sive sit cogitatio, sive specialis illuminatio, sive indifferens affectio, ut bonitate objecti alliciatur homo ad efficiendum bonum naturale, sicut volunt nonnulli, non habet rationem operationis primi agentis in causas secundas, nec est auxilium gratiae actualis.

3) Cogitatio sancta et congrua, quam requirit *Vazquez*, ut homo efficiat opera ethice bona, caret connexione infallibili cum consensu et operatione voluntatis; non habet rationem motionis generalis Dei in causas secundas; nec est gratia superaddita viribus naturae. Homo siquidem viribus naturae sub motione generali Dei potest aliqua recte cogitare et agere circa objecta naturalia.

Diluuntur objectiones.

33. Obj. 1.° Nos sine auxilio Dei nihil possumus facere, quia ait Dominus: *Sine me nihil potestis facere* [1]. Quod exponens *S. Augustinus* ait: «Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest» [2]. Item Apostolus: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* [3].

Resp. Sensus horum testimoniorum est nos sine gratia vel auxilio Dei nihil posse facere boni salutaris in ordine ad vitam aeternam. Commendatur ergo necessitas gratiae ad opera salutaria.

Obj. 2.° Ex nobis nihil habemus nisi mendacium et peccatum juxta illud Apostoli: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est* [4]. Unde Concilium Arausicanum ait: «Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum» [5]; et *S. Augustinus:* «Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via» [6]. «Liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccandum valet; ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum adjutumque, non valet» [7]. «Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum» [8].

Resp.—Neg. ant. Possumus enim aliquid amplius facere quam mentiri ac peccare. Ad probationes.

1) Fidem accipit Apostolus pro dictamine conscientiae, et ideo omne, quod non est ex fide, id est, ex dictamine conscientiae, *peccatum est.*

---

[1] *Joann.*, 15, 5.
[2] *In Joannem*, tr. 81, n. 3; ML **35**, 1841.
[3] *II Cor.*, 3, 5.
[4] *Rom.*, 14, 23.
[5] *Can.* 22; **Denz-Bannw.**, 195.
[6] *De spiritu et littera*, c. 3, n. 5; ML **44**, 203.
[7] *Ad Bonifacium*, lib. 3, c. 8, n. 24; ML **44**, 607.
[8] *In Joannem*, tr. 5, n. 1; ML **35**, 1414.

2) Concilium Arausicanum declarare voluit defectibilitatem hominis talem esse, ut sine motione Dei generali non possit homo nisi deficere [1]. Potest etiam dici Concilium declarasse hominem sine gratia supernaturali nihil posse in ordine ad salutem aeternam animae, nisi regredi ac peccare, id est, ea facere, quae non ducunt ad vitam aeternam.

S. Augustinus, in locis citatis et alibi saepe, loquitur de necessitate gratiae proprie dictae ad efficienda opera salutaria. Unde liberum arbitrium sine gratia Dei declaravit incapax ad efficienda, quae ducunt ad vitam aeternam, imo dixit non posse circa illa nisi peccare, sumendo lato sensu peccatum pro opere, quod non proficit ad vitam aeternam vel non confert ad salutem.

Obj. 3.° Ut efficiamus aliquod opus ex omni capite bonum, non sufficit nobis influxus Dei generalis in omnes causas secundas, sed indigemus motione Dei speciali nos determinante ad bonum. Sed haec motio Dei specialis nos determinans ad bonum est gratia actualis. Ergo ad efficienda opera ethice bona, ultra concursum generalem, indigemus gratia Dei actuali. Ita *Ariminensis* [2].

Resp.—Neg. min. Motio enim Dei specialis in hominem ad opus ethice bonum efficiendum non est gratia Dei proprie dicta, sed est actio seu influxus causae primae in causam secundam. Et potest dici generalis vel specialis diverso sensu. Dicitur *generalis*, quatenus spectat ad communem et generalem Dei providentiam, qua cunctis rebus providetur secundum esse et operari. Dicitur *specialis*, quatenus attingit ultimas et speciales rationes cujuslibet operis.

ARTICULUS III

UTRUM HOMO LAPSUS SOLIS NATURAE VIRIBUS POSSIT DILIGERE DEUM SUPER OMNIA AMORE NATURALI, ABSOLUTO ET EFFICACI

34. Status quaestionis. 1) *Homo lapsus* dicitur hic, qui peccato mortali, originali vel personali, subjacet, ac idcirco aversus est a Deo ultimo fine, supposito tamen concursu Dei generali.

2) *Amor naturalis* est, quo diligimus Deum ut finem naturalem et auctorem hujus mundi communisque ejus providentiae. Distinguitur ab amore Dei supernaturali, quo diligimus Deum ut auctorem gratiae atque providentiae specialis.

Amor naturalis est *absolutus* et *efficax*, quando aliquid volumus volitione determinata et proposito absoluto adsequendi rem amatam vel complacendi subjecto; *conditionatus* vero et *inefficax*, qui dicitur velleitas, quando importat inclinationem seu volitionem diligendi, ut cum dicitur: *vellem Deum diligere.*

Est *efficax affective*, si homo se et omnia referat in Deum ut ultimum finem naturalem, cum proposito placendi ipsi in omnibus; et efficax *effective*, si inferat observantiam divinorum praeceptorum ordinis naturalis [3].

3) *Diligere Deum super omnia* est gaudere de Deo propter se ipsum ea aestimatione et appretiatione, quam Deo deberi dictat ratio. Ratio autem dictat Deum auctorem rerum omnium praeferendum esse creaturis.

---

[1] Cfr. **S. Bellarminus**, *De gratia et lib. arb.*, lib. 5, c. 11.
[2] *In II Sent.*, dist. 29, q. 1, a. 2.
[3] Cfr. **Herrmann**, *De divina gratia*, n. 164.

http://www.obrascatolicas.com

4) Potentia diligendi Deum potest in homine lapso dupliciter considerari. *Primo*, antecedenter et in sensu diviso, habita sola ratione objecti secundum se et dilectionis erga illud. *Secundo*, consequenter et quasi in sensu composito, attentis nempe objecto, actu et circumstantiis seu impedimentis, quae undique nos circumdant.

35. THESIS I. **Homo lapsus sine speciali gratiae auxilio potest potentia antecedente et in sensu diviso diligere Deum super omnia amore naturali.** *Est probabilior.*

Arg. Potentia antecedens diligendi Deum super omnia amore naturali nihil aliud importat quam facultatem gaudendi super omnia de Deo absolute et per se considerato. Homo autem lapsus, praecisis circumstantiis et adjunctis, quae vel objectum modificare vel amorem impedire valent, habet hanc facultatem. Ergo.

36. THESIS II. **Homo lapsus sine speciali gratiae auxilio non potest potentia consequente diligere Deum super omnia amore naturali, absoluto et efficaci affectivo.**

Nota. 1) Veteres quidam theologi, quibus subscripserunt pauci ex recentioribus, defenderunt hominem lapsum viribus naturae sine auxilio gratiae posse ad breve tempus amare Deum super omnia amore efficaci affectivo. Ita *Scotus, Biel, Frassen, Caspensis, Molina, Arriaga, Aguirre*, et ex recentioribus *Wirceburgenses, Jungman, Mazzella* et *Lahousse* [1].

2) Multo tamen communius docent theologi hominem lapsum absque auxilio gratiae non posse, nequidem ad breve tempus, amare Deum super omnia amore naturali efficaci affectivo. Ita *S. Thomas, Soto, S. Bellarminus, Valentia, Rhodes, Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate, Gabriel a S. Vincentio, Herrmann*, et alii multi [2].

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «In statu naturae corruptae homo ab hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis; quae propter corruptionem naturae sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei; et ideo dicendum est, quod homo in statu naturae integrae non indigebat dono gratiae superadditae naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis» [3].

---

[1] **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 27, c. 1, n. 13 sqq.; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 27, a 3, dub. 2; **Frassen,** *De gratia*, disp. 1, a. 2, q. 4, concl. 2; **Caspensis,** *De gratia*, disp. 1, sect. 5; **Molina,** *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 14, memb. 3; **Arriaga,** *De divina gratia*, disp. 39, sect. 5, n. 15; **Aguirre,** *In Monologion S. Anselmi*, disp. 120, sect. 3, n. 33 sqq.; **Wirceburgenses,** tom. 7, n. 316; **Jungman,** *De gratia*, c. 1, a. 8, n. 148; **Mazzella,** *De gratia*, n. 418; **Lahousse,** *De gratia divina*, n. 185.

[2] **S. Thomas,** *I-II*, q. 109, a. 3; **Soto,** *De natura et gratia*, lib. 1, c. 22; **S. Bellarminus,** *De gratia et lib. arb.*, lib. 6, c. 7; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 1, p. 4; **Rhodes,** *De gratia*, disp. 2, q. 1, sect. 3; **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 2, n. 135; **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei*, disp. 1, dub. 6; **Gabriel a S. Vincentio,** *De gratia*, disp. 3, q. 7; **Herrmann,** *De divina gratia*, n. 167.

[3] *I-II*, q. 109, a. 3.

2) *Ex ratione.* Homo lapsus seu in peccato exsistens non potest potentia consequente a) componere dilectionem Dei cum suo statu peccati habitualis; nec b) suis viribus exire a peccato. Ergo homo lapsus sine auxilio gratiae Dei non potest potentia consequente diligere Deum super omnia amore naturali, absoluto et efficaci affectivo.

Non potest componere dilectionem Dei super omnia cum suo statu peccati habitualis; quia non potest esse simul aversus a Deo per peccatum et conversus ad ipsum per dilectionem; nec praeferre mundana per conversionem ad creaturas et simul aestimare Deum prae omnibus aliis rebus.

Neque potest suis viribus a peccato exire, quia nemo potest viribus naturae gratiam justificantem adipisci.

37. Scholion. *De gratia Dei necessaria ut homo lapsus possit potentia consequente diligere Deum super omnia amore naturali, absoluto et efficaci affectivo.*

1) Homini lapso in peccato mortali exsistenti necessaria est gratia justificans, ut removens prohibens, in momento saltem quo elicitur actus amoris Dei. Ratio est clara, quia, cum homo in peccato exsistens sit aversus a Deo, et nequeat suum statum componere cum actu amoris Dei super omnia, necesse est ad amorem Dei, ut amoveatur peccatum. Hoc autem amoveri nequit nisi per gratiam sanctificantem.

Nec auxilium gratiae actualis, quantumvis efficax, ad hoc sufficit, ut minus recte putavit *Suarez* [1], quia, licet supponatur hujusmodi amorem Dei naturalem non procedere a gratia sanctificante, sicut a principio elicitivo, gratia tamen sanctificans est necessaria ut removens prohibens, ad hoc quod omnis inimicitia dispareat inter Deum et hominem, et potentiae animae convertantur ad Deum.

Amor Dei naturalis super omnia exigit, ut Deus constituatur in ratione ultimi finis omnium actionum, ipsique subordinentur omnes affectus, tum actuales tum habituales, voluntatis. Affectus autem habituales hominis in peccato exsistentis non omnes subordinantur Deo ultimo fini, sed plures, utpote aversi a Deo, convertuntur ad creaturas, imo versantur in violandis Dei praeceptis.

2) Homini lapso ad gratiam sanctificantem restituto non est absolute necessarius influxus gratiae justificantis ad diligendum Deum super omnia amore naturali, absoluto et efficaci affectivo, sed sufficiunt vires naturales nullo obstaculo impeditae, quia hic amor continetur intra ordinem naturalem, et homo justus habet vires naturales ad subordinandum omnes affectus ad Deum ut ultimum finem naturalem.

3) Si loquamur de principio elicitivo actuum naturalium hominis justificati, potest dici amorem Dei naturalem procedere formaliter a viribus naturae hominis, sed plerumque recipere influxum gratiae sanctificantis.

4) Homo in statu naturae purae et naturae integrae non indiguisset gratia sanctificante, quia nullam passus deordinationem circa ultimum finem et nulla affectus inimicitia erga Deum, vires habuisset integras atque media satis ampla ad Deum diligendum finemque ultimum naturalem adipiscendum.

---

[1] *De gratia*, lib. 1, c. 35 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS IV

UTRUM HOMO LAPSUS SINE AUXILIO GRATIAE DEI POSSIT UNIVERSAM LEGEM NATURALEM IMPLERE

38. Status quaestionis. Universae legis naturalis observantia potest considerari 1) *divisive* pro qualibet lege in particulari, attenta difficultate, quam singulae leges offerunt, cum actu occurrunt; et 2) *collective*, pro tota simul legum collectione et multitudine, idque diuturno tempore.

Magna revera adest differentia inter observantiam totius legis naturalis *divisive* et *collective*. Observantia enim totius legis divisive est multo facilior, quia se offert in singulis casibus, spectata sola difficultate, quam casus praesefert, et nulla habita ratione ad multitudinem legum ac diuturnum observantiae tempus. Observantia vero legum collective sumpta fit difficilior, quia difficultas in praxi augeri solet, tum ex parte multitudinis legum, tum ex parte diuturni temporis, quo collectio legum occurrit.

Unde quaeritur, an homo lapsus seu in peccato exsistens sine speciali auxilio gratiae possit servare 1) singulas leges naturales *divisive*, seu quodlibet in particulari legis naturalis praeceptum; et 2) omnes leges *collective*, non obstantibus difficultatibus, quae obveniunt ex parte multitudinis rationeque diuturni temporis.

39. Error. Duplex error ex diametro oppositus exsistit in hac materia:

1) *Pelagius* docuit posse hominem in hac vita sine auxilio gratiae justificationem acquirere, totamque legem tam naturalem quam supernaturalem, prout decet ad vitam aeternam, servare [1].

2) *Lutherus* e contra, *Calvinus* eorumque asseclae dixerunt hominem, etiamsi adjuvetur gratia Dei, non posse praecepta naturalia servare, vel opus aliquod undequaque bonum facere [2].

40. THESIS I. **Homo lapsus, sine auxilio gratiae, potest adimplere divisive quodlibet naturale praeceptum, si excipias praeceptum diligendi Deum et superandi gravem aliquam tentationem [3].**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Aliquis exsistens in peccato mortali, ait *Angelicus*, potest vitare omnia peccata mortalia auxilio gratiae; potest etiam ex naturali virtute singula vitare, quamvis non omnia» (collective) [4]. Rursum: «Licet ille, qui est in peccato, non habeat

[1] Cfr. **S. Augustinus,** *De haeresibus*, haer. 88; ML **42,** 47 sqq.

[2] **Lutherus,** *Responsio ad Dial. Silvestri Prieriatis prope initium* (op. lat. vol. 2); **Calvinus,** *Instit.*, lib. 2, c. 7, nn. 3-5.

[3] Hanc thesim negant **Tanner,** q. 3, dub. 5, n. 134; **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei*, disp. 1, dub. 7; et alii. Sed probabilior est sententia affirmativa, quam tenent **Capreolus,** *In II Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 1; **Soto,** *De natura et gratia*, lib. 1, c. 22; **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 2, n. 172; **Paulus a Conceptione,** *De gratia*, disp. 1, dub. 4, § 2; et alii.

[4] *De veritate*, q. 24, a. 12 ad 7.

hoc in propria potestate, quod omnino vitet peccatum, habet tamen potestatem nunc vitare hoc vel illud peccatum, ut dictum est: unde quodcumque committit, voluntarie committit» [1].

2) *Ex ratione.* Observantia cujuslibet praecepti naturalis singillatim et divisive accepta, si excipias casus gravis tentationis, non excedit vires naturales hominis; neque, si excipias praeceptum diligendi Deum super omnia, est incompossibilis cum statu hominis lapsi. Ergo.

Excepimus a) *praeceptum diligendi Deum super omnia*, quia amor Dei, etiam naturalis, est incompatibilis cum statu peccati mortalis; b) *victoriam gravis tentationis*, quia, ut dicetur inferius, homo in peccato mortali exsistens, licet conservet liberum arbitrium expeditum, nimis tamen afficitur peccato, et in gravi tentatione sentitur versatilis ac in malum pronus.

41. THESIS II. **Homo lapsus sine auxilio gratiae non potest servare collective omnes leges naturales [2].**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus haec habet: *Causati enim sumus judaeos et graecos omnes sub peccato esse* [3]; id est, antea accusavimus judaeos ex lege naturae et graecos ex philosophia seu lumine naturae in peccato esse. Unde additur inferius: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis* [4].

2) *Ex Conciliis.* Concilium Milevitanum II expresse docet gratiam justificationis a Deo nobis donari, non solum ut facilius servemus praecepta, sed etiam ut absolute possimus implere divina mandata [5]. Et synodus quaedam carthaginensis scribens Innocentio I conquerebatur quod pelagiani adsererent «in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creavitque naturam, quae per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam» [6].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus* ait: «Illud vero, quod dicunt (Pelagius et Caelestius) sufficere homini liberum arbitrium ad dominica praecepta implenda, etiamsi Dei gratia et Spiritus Sancti dono ad opera bona non adjuventur, omnino anathematizandum est, et omnibus execrationibus detestandum» [7].

S. Fulgentius: «Firmissime tene et nullatenus dubites... divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua praevenit» [8].

[1] *Contra Gentiles*, lib. 3, c. 160.

[2] Hanc doctrinam defendunt **Magister Sent.,** *II Sent.*, dist. 28; **S. Thomas,** *I-II*, q. 109, aa. 4 et 8; **S. Bonaventura,** *In II Sent.*, dist. 28, a. 1, q. 3; **Ariminensis,** *In II Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 3; **Ferrariensis,** *Contra Gent.*, lib. 3, c. 160; **S. Bellarminus,** *De gratia et libero arb.*, lib. 5, c. 5; et alii.

[3] *Rom.*, 3, 9.

[4] *Rom.*, 8, 3 sq.

[5] *Concil. Milev.*, can. 3; **Denz-Bannw.,** 103.

[6] ML **20,** 565.

[7] *Ep.* 89 *ad Hilarium*, c. 2, n. 4; ML **33,** 675.

[8] *De fide ad Petrum*, c. 73; ML **65,** 702.

http://www.obrascatolicas.com

S. Thomas: «In statu naturae corruptae etiam deficit homo ab hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia» [1].

4) *Ex ratione.* Ad observantiam omnium collective praeceptorum naturalium, per diuturnum tempus, requiritur in homine virtus sana, integra atque robusta. Multitudo namque legum, occasiones plurimae per diuturnum tempus, graves tentationes undique surgentes, etc., facile inducunt hominem ad peccatum, nisi firmetur magna animi fortitudine et vitae integritate non mediocri. Sed virtus hominis lapsi sine auxilio gratiae non est sana atque robusta; quia, ut ait *S. Gregorius,* «peccatum... si citius poenitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quae flendo et corrigendo noluit emendare, quod fecerit, peccatum incipiat peccato cumulare» [2]. Ergo homo lapsus sine auxilio gratiae non potest omnes leges naturales collective servare.

42. Corollarium. Ex hoc facile consequitur hominem, quoties transgreditur praecepta naturalia, quamvis nequeat viribus suis servare omnia praecepta collective, nihilominus peccare; tum quia singillatim potest ea servare, tum etiam quia gratia Dei, quae est ipsi ad observantiam universae legis simul sumptae necessaria, omnibus praesto adest, imo offertur. Unde *S. Thomas:* «Homo potest vitare singulos actus peccati, non tamen omnes, nisi per gratiam... Et tamen, quia ex ejus defectu est, quod homo se ad gratiam habendam non praeparet, propter hoc a peccato non excusatur, quod sine gratia peccatum vitare non potest» [3].

43. Scholion. Circa naturam gratiae homini lapso necessariae, ut possit observare universam legem naturalem simul sumptam, diversimode theologi opinati sunt. *Vazquez* ait: «Hominem lapsum non posse servare praecepta Dei, nisi sanetur, quia aeger est; tamen infirmitas, ob quam non potest praecepta servare, non est ipsa macula et status peccati, sed privatio sanctae cogitationis, qua ejus voluntas movenda esset» [4]. *S. Bonaventura, Durandus,* et *Biel* docuerunt sufficere auxilia actualia [5].

Sed multo communius et probabilius volunt theologi ad hoc requiri gratiam sanctificantem. Ad rem ait *Angelicus:* «Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare, et secundum aliquod tempus; quia non est necesse, quod continuo peccet in actu. Sed quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest» [6].

Ratio hoc facile ostendit. Diximus enim ad observantiam omnium praeceptorum naturalium collective seu simul sumptorum requiri in homine virtutem sanam et integram. In praesenti autem providentia virtus hominis lapsi nullo alio principio sanatur ac roboratur, nisi a gratia sanctificante. Unde gratia justificans est necessaria homini lapso, ut possit universam legem naturalem collective implere.

---

1 *I-II*, q. 109, a. 2.
2 *In Ezechielem*, hom. 11, n. 24; ML **76**, 915.
3 *I-II*, q. 109, a. 8 ad 1.
4 *In I-II*, disp. 196, c. 3, n. 15.
5 **S. Bonaventura**, *In II Sent.*, dist. 28, a. 1, q. 3; **Durandus**, *In II Sent.*, dist. 28, q. 4; **Biel**, *In II Sent.*, dist. 28, a. 2.
6 *I-II*, q. 109, a. 8.

ARTICULUS V

UTRUM HOMO POSSIT SINE GRATIA VINCERE GRAVES TENTATIONES CONTRA LEGEM NATURALEM INGRUENTES

44. Status quaestionis. 1) «Tentare, ait *S. Thomas,* est proprie experimentum sumere de aliquo..., ut sciatur aliquid circa ipsum» [1]. Potest fieri honesto vel perverso fine, ut scilicet experiatur virtus alicujus, vel e contra decipiatur. Unde distinguitur duplex genus tentationis, cujus meminit *S. Augustinus* [2], unum ad probandum, alterum ad seducendum.

2) Ad probandum tentat Deus aliquando homines, «ut sciat eo modo loquendi, quo dicitur scire, quod facit alios scire» [3]. Ad seducendum tentant nos tres animae hostes, diabolus, mundus et caro; diabolus quidem utpote intellectualis et liber, directe intendens malum, et mundus ac caro malo exemplo atque suggestione.

Diabolus: «Multi enim laquei, ait *S. Gregorius,* quacumque progredimur, laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, laquei in crepidinibus parietum tenduntur a diabolo. Laquei in philosophis, laquei in cupiditatibus, oculus enim meretricis laqueus est peccatoris: laqueus in pecunia, laqueus in religione, laqueus in studio castitatis» [4].

Mundus, societas scilicet pompaque mundi, illecebris nos allicit et ad vitia saepe provocat.

Caro seu pars inferior hominis, qui appetitus sensitivus vocatur, delectabilia saepe, quae rationi ac legi adversantur, sequenda nobis proponit, juxta illud Apostoli: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis* [5].

Ex his hostibus, diabolus plerumque contra leges supernaturales, aliquando contra naturales, indicit bellum; mundus autem et caro directe contra leges naturales, indirecte contra supernaturales nos alliciunt.

3) Hic solum agimus de facultate hominis lapsi ad superandas tentationes contra legem naturalem.

4) Tentatio ex qualibet causa insurgens potest esse levis vel gravis. *Levis* dicitur, quae parum urget ad malum; *gravis* vero, quae vehementer, ob motivum reale vel apparens, sollicitat ad peccatum.

---

1 *I p.*, q. 114, a. 2.
2 *De consensu Evangelist.*, lib. 2, c. 30, n. 71; ML **34**, 1113.
3 *I p.*, q. 114, a. 2.
4 *In Luc.*, lib. 4, n. 10; ML **15**, 1698.
5 *Rom.*, 7, 23.

http://www.obrascatolicas.com

45. Theologorum placita. 1) Doctores fere communiter contra *Vazquez* [1] tenent hominem lapsum sine auxilio gratiae posse quamlibet tentationem levem divisive, non vero omnes collective, vincere [2].

2) Communior est inter theologos sententia, quae docet hominem lapsum sine auxilio gratiae non posse omnes tentationes graves, nedum collective, sed nec divisive, superare [3].

46. THESIS I. **Homo lapsus sine auxilio gratiae potest vincere quamlibet tentationem levem divisive, non omnes collective.**

Pars I. Victoria cujuslibet levis tentationis singillatim non requirit magnum laborem vel vim ex parte liberi arbitrii, sed obtineri potest illa communi vigilantia, qua opera naturaliter honesta efficiuntur. Ergo liberum arbitrium, sicut potest sine gratia opera honesta circa legem naturalem efficere, ita etiam potest sine auxilio gratiae quamlibet tentationem levem superare.

Pars II. Sicut non potest homo sine speciali gratiae privilegio cavere omnia peccata venialia collective, ut patebit ex dicendis in quaestione sequenti, ita non potest homo lapsus sine auxilio gratiae vincere omnes tentationes leves collective. Hoc quippe esset negotium moraliter arduum.

47. THESIS II. **Homo lapsus sine auxilio gratiae probabilius non potest omnes tentationes graves divisive vincere; adeoque videtur dari aliqua tentatio adeo gravis, cui superandae non sit capax homo lapsus sine gratia.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus scribens ad corinthios ait: *Supra modum gravati sumus supra virtutem* [4], quod exponit *Angelicus* his verbis: «Pati supra virtutem potest intelligi dupliciter: vel supra virtutem naturalem, et de hac loquitur hic, supra quam Deus aliquando permittit sanctos tentari; vel supra virtutem gratiae, et de hac intelligitur illud I ad corinthios 10, 13: *Fidelis Deus,* etc.» [5].

2) Concilium Diospolitanum: «Fateatur (Pelagius), quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex adjutorio Dei provenire victoriam» [6].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Sine cujus adjutorio per arbitrium voluntatis tentationes hujus vitae superare non possumus» [7].

4) *Ex ratione.* Victoria contra graves tentationes exposcit vires hominis firmas in bono et facultates conversas ad Deum, ultimum finem naturalem. Vires autem naturales hominis lapsi non sunt firmae,

1 *In I-II*, disp. 189, c. 8 sqq.
2 Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Christi*, disp. 1, dub. 5.
3 Cfr. **Capreolus,** *In II Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 3 ad arg. contra 4 concl.; **Alvarez,** *De auxiliis*, disp. 54, concl. 4; **Joannes a S. Thoma,** *De gratia*, disp. 19, a. 4; **Estius,** *In II Sent.*, dist. 26, § 44; et **Lezana,** *De gratia*, disp. 1, q. 4. *Dico* 4.
4 *II Cor.*, 1, 8.
5 *In II Cor.*, c. 1, lect. 3.
6 **Mansi,** 4, 313, *undecimo.*
7 *In psal.* 89, n. 4; ML **37,** 1142.

neque ejus facultates convertuntur ad Deum finem naturalem ultimum. Ergo. Ad rem optime *S. Thomas:* «Peccata faciunt sicut grave onus, quod hominem incurvat, et facit terram respicere; ita peccata faciunt inferiora respicere, et non permittunt per affectum tendere ad superiora» [1].

Homo revera in peccatum lapsus afficitur et assuescit delectabilibus, quae opponuntur virtuti, et consequenter debilitatur saltem extrinsece ad luctandum contra tentationes. «Medium bonum naturae, ait *S. Thomas,* scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. Per actus enim humanos fit quaedam inclinatio ad similes actus... Oportet autem, quod ex hoc, quod aliquid inclinatur ad unum contrariorum, diminuatur inclinatio ejus ad aliud. Unde, cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso, quod peccat, diminuitur bonum naturae, quod est inclinatio ad virtutem» [2].

QUAESTIO IV

DE NECESSITATE GRATIAE AD OPERA SALUTARIA

ARTICULUS I

UTRUM HOMINI LAPSO SIT NECESSARIA GRATIA DEI AD OMNES ET SINGULOS ACTUS SALUTARES

48. Status quaestionis. 1) Duplicem ordinem constituit Deus in mundo, unum naturalem quem exsequimur actibus ethice honestis, alterum supernaturalem, quem prosequimur actibus salutaribus.

2) Actus hujusmodi nuncupantur *salutares,* quia nos conducunt ad vitam aeternam, quae quasi antonomastice dicitur salus. Unde, cum agimus de necessitate gratiae ad actus salutares, quaerimus, an gratia Dei sit necessaria ad actus supernaturales, qui non tantum negative ut removens prohibens sed positive nos conducunt ad salutem aeternam.

3) Loquimur de necessitate *physica* non morali gratiae Dei, an scilicet in homine lapso sine auxilio gratiae detur potentia physica ad eliciendos actus salutares.

4) Sermo est de gratia Dei interna actuali: nam gratia externa actualis non sufficit ad actus salutares, et gratia habitualis non supponitur in homine lapso.

49. Error. *Pelagiani,* negantes peccatum originale, docebant hominem posse sine gratia Dei efficere opera salutaria, eisque se praeparare ad primam gratiam, in ea progredi, ac tandem salutem adipisci aeternam [3].

1 *In ps.* 37, n. 3.
2 *I-II*, q. 85, a. 1.
3 **Pelagius,** *In epistola ad Demetriadem* virginem; ML **33,** 1099. Cfr. **S. Augustinus,** *ep. 188 ad Julianam*, c. 2; ML **33,** 850.

http://www.obrascatolicas.com

50. THESIS. **Ad omnes et singulos actus salutares est homini lapso simpliciter necessaria gratia Dei.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* *Sicut palmes*, ait Dominus Jesus, *non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites... Sine me nihil potestis facere* [1]. Hunc locum omnes commentatores intelligunt de necessitate auxilii supernaturalis seu gratiae ad opera salutaria. Agitur enim de influxu Christi Redemptoris, de gratia discipulis necessaria ad faciendos fructus supernaturales, et de actione interna, eo modo quo actio vitis influit in palmitem [2]. Huc faciunt illa verba Apostoli: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* [3].

2) *Ex Conciliis.* Concilium Arausicanum II: «Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... haeretico fallitur spiritu non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere*» [4]. Et Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare et diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, a. s.» [5].

3) *Ex SS. Patribus.* *S. Cyprianus:* «Dei est, inquam, Dei est omne quod possumus. Inde vivimus, inde pollemus, inde sumpto et concepto vigore, hac adhuc positi futurorum indicia praenoscimus» [6].

S. Augustinus: «Sine illo (Deo) vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus» [7]. «Ne quisquam putaret, saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset: *hic fert fructum multum*, non ait: quia sine me *parum* potestis facere, sed: *nihil potestis facere*. Sive ergo parum sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest» [8].

4) *Ex ratione.* Actus salutares, utpote ordinati ad hominis sanctificationem et salutem aeternam, sunt supernaturales. Sed impossibile est hominem sine gratia Dei elicere actus supernaturales, qui excedunt ejus virtutem. Ergo [9].

51. Corollarium I. Fide tenendum est neminem posse resurgere a peccato sine gratia. Concilium Arausicanum hoc declaravit dicens: «Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur» [10].

52. Coroll. II. Homo suis viribus non potest credere mysteria

1 *Joan.*, 15, 4-5.
2 Cfr. **Knabenbauer,** *In Joan.*, 15, 4-5.
3 *Philipp.*, 2, 13.
4 *Can.* 7; **Denz-Bannw.,** 180.
5 *Sess.* 6, can. 3; **Denz-Bannw.,** 813.
6 *Ep.* 1 *ad Donatum*, n. 4; ML **4,** 205.
7 *De gratia et libero arb.*, 17, 33; ML **44,** 901.
8 *In Joan.*, tr. 81, n. 3; ML **35,** 1841.
9 Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 109, a. 5.
10 *Concil. Arausicanum II*, can. 14; **Denz-Bannw.,** 187.

fidei, sicut oportet ad salutem. Quia actus fidei, sicut oportet ad salutem aeternam, est ordinis supernaturalis, elicitus ob auctoritatem Dei revelantis, et disponens hominem ad gratiam sanctificantem. Actus autem supernaturalis disponens hominem ad gratiam sanctificantem non potest elici viribus naturae. «Credere autem, ait *S. Thomas*, est supra potentiam hominis naturalem; unde ex dono Dei provenit» [1].

53. Coroll. III. Imo verior sententia docet hominem sine gratia non posse elicere adsensum fidei, qui sit quoad substantiam theologicus. Homo sine gratia seu propriis viribus potest proculdubio adsentire mysteriis revelatis adsensu quodam naturali; sed hic adsensus naturalis, quem homo propriis viribus praestat veritatibus revelatis, non est nec esse potest essentialiter actus fidei theologicus [2]. Ad rem *Angelicus:* «Articulos fidei, de quibus haereticus non errat, non tenet eodem modo, sicut tenet eos fidelis, scilicet simpliciter inhaerendo primae veritati, ad quod indiget homo adjuvari per habitum fidei» [3]. Rursum: «Cum homo adsentiendo his, quae sunt fidei, elevetur supra naturam suam, oportet, quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente, quod est Deus. Et ideo fides quantum ad adsensum, qui est principalis actus fidei, est a Deo interius movente per gratiam» [4].

Ratio est, quia homo per vires sibi proprias non potest adsentire mysteriis fidei motivo supernaturali, testimonio scilicet Dei ut auctoris et finis supernaturalis, ut adsentit fidelis gratia Dei adjutus, sed admittit mysteria motivo naturali, id est, testimonio Dei auctoris et finis naturalis [5]. Unde ratio formalis adsensus in homine operante viribus propriis, est diversa a ratione formali adsensus fidei in homine fideli.

ARTICULUS II

UTRUM GRATIA DISPENSETUR HOMINI OMNINO GRATIS

54. Praenotanda. 1) Gratuito dispensatur homini, quod nullo debetur ipsi titulo. Porro duplici titulo debetur aliquid homini: a) *ratione naturae*, ut proprietates, quae necessario ex ipsa fluunt; b) *ratione bonorum operum*, quibus homo movet dispensatorem, ut aliquid ipsi elargiatur, et hoc tripliciter, *merito*, *impetratione*, ac *praeparatione*.

2) Compertum est gratiam Dei actualem, utpote supernaturalem, nemini esse debitam ratione naturae.

3) Homo, gratia sanctificante auctus, potest sine dubio mereri ac impetrare aliam gratiam, sed quaestio est, an homo nulla gratia sanctificante praeventus et agens viribus naturae, possit *merito*, *impetratione* aut *praeparatione positiva* Deum movere ad gratiam *in sua serie pri-*

1 *Quodlib.* 2, q. 4, a. 6.
2 Cfr. **Banez,** *In II-II*, q. 5, a. 2; et q. 6, a. 1; **Alvarez,** *De auxiliis*, disp. 49; **Valentia,** *In II-II*, q. 6, p. 1; et alii.
3 *II-II*, q. 5, a. 3 ad 1.
4 *II-II*, q. 6, a. 1.
5 Cfr. **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 3, n. 48.

http://www.obrascatolicas.com

mam ipsi elargiendam. Gratiam, inquam, *in sua serie primam*, sive sit absolute prima, quae homini in prima justificatione conceditur, sive prima, quae post peccatum recuperatur.

§ 1

Utrum homo gratia destitutus et agens viribus naturae possit mereri primam in sua serie gratiam.

55. Status quaestionis. 1) Meritum, ut dicetur inferius, est *opus retributione dignum*. Est meritum *de condigno*, quando operi debetur retributio ex quadam justitia, ut amori caritatis debetur gloria; et est meritum *de congruo*, quando operi debetur praemium ex aliqua decentia operis simul ac ex liberalitate dantis.

2) Quaeritur, an homo gratia destitutus possit viribus naturae mereri *de condigno* vel saltem *ex congruo* primam gratiam.

56. Errores. 1) *Pelagiani* docuerunt posse hominem viribus naturae mereri primam gratiam *de condigno* [1].

2) *Semipelagiani* defenderunt conatus naturales hominum esse meritorios gratiae *de congruo*, adeo ut Deus teneatur ex quadam decentia hominibus naturaliter conantibus gratiam conferre, ne dicatur personarum acceptor, si gratiam conferat otiosis et neget laborantibus. Unde *Cassianus* ajebat: «Praesto est namque (Deus) occasione sibi tantummodo a nobis bonae voluntatis oblata, ad haec omnia conferenda» [2].

3) *Biel* statuit: «Anima obicis remotione ac bono motu in Deum ex arbitrii libertate elicito gratiam mereri potest de congruo» [3].

57. THESIS. **Homo viribus naturae non potest ulla ratione, nec de condigno nec de congruo, mereri primam gratiam.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Hanc veritatem crebro docet Apostolus dicens: *Justificati gratis per gratiam ipsius* [4]. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia... Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?* [5]. *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur* [6].

2) *Ex Ecclesiae definitionibus.* Concilium Arausicanum II: *Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant* [7]. *Ipse* (Deus) *nobis, nullis praecedentibus bonis meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat* [8].

---

1 **Pelagius,** *Ep. ad Demetriadem;* ML **33,** 1099 sqq.

2 *De coenobiorum institutis,* lib. 12, c. 14; ML **49,** 448. Cfr. **Alvarez,** *De auxiliis,* disp. 2, n. 27; **Vazquez,** *In I p.,* disp. 89, c. 5; et **Salmanticenses,** *De gratia,* disp. 1, n. 201.

3 *In II Sent.,* dist. 27, q. un., concl. 4.

4 *Rom.,* 3, 24.

5 *Rom.,* 11, 6 et 35.

6 *Ephes.,* 2, 8-9.

7 *Can.* 18; **Denz-Bannw.,** 191.

8 *De peccato originali, gratia et praed.,* § «Hoc etiam»: **Denz-Bannw.,** 200.

Concilium Tridentinum: *Ipsius justificationis exordium in adultis, a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse; hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur* [1].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Gratia praecessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam, si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti» [2]. «Gratia gratis data est; nam, nisi gratis esset, gratia non esset. Porro autem, si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum praecessit, ut acciperes. Nam, si aliqua bona opera tua praecesserunt, pretium accepisti, non gratis; pretium autem, quod nobis debebatur, supplicium est» [3].

4) *Ex ratione.* Inter opera meritoria et praemium debet dari proportio saltem ordinis, sicut datur inter laborem et mercedem. Opera autem hominis naturalia nullam dicunt proportionem ordinis cum gratia supernaturali, sicut nullum ens naturale potest proportionari cum rebus supernaturalibus.

§ 2

An homo viribus naturae possit impetrare primam Dei gratiam.

58. Status quaestionis. 1) Natura impetrationis nobis innotescit ex natura orationis.

2) Porro oratio secundum *S. Thomam* est: *explicatio desiderii coram Deo, ut aliquid ab eo impetremus;* vel, ut alii docent, est: *Petitio decentium a Deo;* vel: *Elevatio mentis in Deum.*

Fieri potest: a) exhibendo Deo obsequium aut cultum cum aliquo bono opere; quod si praestituatur ab homine justo, secum fert meritum; b) manifestando Deo propriam indigentiam, ab eoque postulando misericordiam, et est proprie *impetratio.*

3) Unde ratio formalis meriti in eo differt ab impetratione, quod *meritum* est opus in obsequium Dei exhibitum, cui ex justitia vel ex decentia debetur praemium; *impetratio* vero est vis quaedam, quae inest manifestationi indigentiae atque petitioni, ut Deum moveat ad miserendum. Operibus meritoriis Deo tribuimus obsequium, ut accipiamus praemium; impetratione Deum provocamus ad misericordiam.

4) Compertum est orationi, quam facimus ex influxu gratiae supernaturalis, inesse vim movendi Deum ad misericordiam, quia: *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis* [4].

5) Hic dilucidari oportet, an oratio, quam facit homo viribus naturae, habeat vim advocandi impetrandique gratiam Dei.

---

1 *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.,** 797.

2 *Serm.* 169, c. 2, n. 3; ML **38,** 916-917.

3 *Enarrat. in ps.* 70; serm. 2, n. 1; ML **36,** 891.

4 *Joan.,* 15, 7.

http://www.obrascatolicas.com

59. THESIS. **Homo per orationem naturalem, quam facit viribus naturae, non potest impetrare gratiam Dei.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* *Apostolus* ait: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [1].

2) *Ex magisterio Ecclesiae.* Concilium Arausicanum II declaravit: «Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum a non quaerentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant*» [2].

3) *Ex SS. Patribus.* *S. Ambrosius:* «Orare Deum gratiae spiritualis est, sicut scriptum est: *Nemo dicit Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto* (I Cor., 12, 3)» [3], id est; «in Spiritu Sancto movente» ut interpretatur *S. Thomas* [4], vel «Dei Spiritu impellente» ut exponit *Cornely* [5].

S. Augustinus: «Ipsa oratio inter gratiae munera reperitur» [6].

4) *Ex ratione.* Nemo potest viribus naturae opera salutaria efficere, neque initium salutis aeternae sumere, ut diserte definitum est ab Ecclesia contra pelagianos ac semipelagianos. Ergo non potest homo per orationem naturalem, quam facit viribus naturae, impetrare gratiam Dei.

§ 3

Utrum homo lapsus viribus naturae possit se praeparare ad gratiam.

60. Status quaestionis. 1) Sicut forma substantialis non recipitur in materia sine praevia dispositione subjecti, ita gratia sanctificans, quae est forma quaedam accidentalis, non recipitur in anima sine aliqua dispositione ejusdem.

2) Porro haec dispositio in anima rationali potest esse a) *supernaturalis*, influens magis vel minus remote ad productionem gratiae et positive praeparans animam ad eam recipiendam; ut contritio perfecta de peccatis commissis et amor Dei supernaturalis proxime influunt in gratiam et disponunt animam ad ejus receptionem; et pius credulitatis affectus, initium fidei, prima gratia auxilians, plura opera salutaria, initium conversionis in Deum ut auctorem supernaturalem, etc., remote disponunt peccatorem ad gratiam sanctificantem; b) *naturalis*, quae non influit quidem positive ad gratiam, sed negative praeparat animam ad eam recipiendam, ut actus ethice honesti, qui licet non influant positive in ordinem supernaturalem, faciunt animam minus indignam, ut sanctificetur.

---

1 *Rom.*, 8, 26.
2 *Can.* 3; **Denz-Bannw.**, 176.
3 Apud **S. Aug.**, *De dono perseverantiae*, c. 23, n. 64; ML **45**, 1032.
4 *In ep. I ad Cor.*, lect. 1.
5 *Comment. in I ad Cor.*, c. 12, v. 3.
6 *Ep.* 194 *ad Sixtum*, c. 4; ML **33**, 880.

3) Dispositio naturalis obtineri quidem potest viribus naturae hominis, sed nihil valet ad gratiam.

4) Dispositio supernaturalis, de qua loquimur, non est mera non resistentia voluntatis, ut minus recte docuit *Gandavensis* [1], sed positiva praeparatio animae ad gratiam supernaturalem.

5) Compertum est in qualibet dispositione et praeparatione supernaturali ad gratiam requiri cooperationem liberi arbitrii cum actione Dei, ut patet ex Concilio Tridentino dicente: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari adsentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, a. s.* [2].

6) Discutiendum itaque est, an homo lapsus viribus suis valeat positive se praeparare ad gratiam sanctificantem, adeo ut viribus propriis operetur praeparationem proximam ad gratiam, vel saltem pium credulitatis affectum, initium fidei, initium conversionis ad Deum auctorem supernaturalem, excitationem ad primam gratiam auxiliantem, etc., vel ea ponat opera, quae sint occasio gratiae sibi conferendae.

61. Errores. 1) *Pelagiani* docuerunt hominem viribus naturae posse elicere actum amoris Dei supernaturalis, ac proinde se immediate praeparare ad gratiam.

2) *Semipelagiani*, corrigentes doctrinam Pelagii, ponebant quidem peccatum originale, et non diffitebantur necessitatem gratiae in homine ad opera meritoria facienda, sed mordicus defendebant *initium fidei* tribuendum esse hominis libero arbitrio. *Initio* autem *fidei* intelligebant pium credulitatis affectum, et eos omnes actus, qui fidem supernaturalem seu adsensum intellectus ad veritates revelatas praecedunt ac remote praeparant. Unde dicebant hominem viribus naturae, id est, desiderio, conatu, precatione, etc., se remote praeparare ad fidem supernaturalem et gratiam. *Hermes*, saeculo praeterito, visus est hunc errorem suscitasse [3].

3) Aliqui theologi catholici medii aevi non parum suffragati sunt huic doctrinae. *Biel* [4] affirmavit dilectionem Dei viribus naturae elicitam esse proximam dispositionem seu praeparationem ad gratiam. *Raymundus Lullius* ait: «In faciendo bonum non oportet nos sperare, quod Deus incipiat; quia jam incepit, quando nos creavit» [5].

62. THESIS. **Homo viribus naturae non potest ad gratiam sanctificantem, proxime vel remote, positive se praeparare.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae nos docent a Deo esse: 1) **Primam cogitationem et initium fidei:** *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* [6]. 2) **Initium operis:** *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque*

---

1 *Quodlib.* 5, q. 24.
2 *Sess.* 6, can. 4; **Denz-Bannw.**, 814.
3 Cfr. **Katschthaler**, *De gratia*, n. 31 (nota).
4 *In II Sent.*, dist. 28, q. un., a. 2, concl. 1; et *In III Sent.*, dist. 27, q. un., a. 3, dub. 2.
5 *Direct. Inquisit.*, p. 2, q. 9.
6 *II Cor.*, 3, 5.

http://www.obrascatolicas.com

in diem Christi Jesu [1]. 3) **Velle et perficere:** *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* [2]. 4) **Initium conversionis:** *Converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam* [3].

2) *Ex Conciliis.* Concilium Arausicanum II: «Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum... non per gratiae donum... sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur» [4].

Concilium Tridentinum disertius hanc veritatem tradit dicens: «Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exsistentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem et adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere adsentiendo et cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat... neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris, cum dicitur: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, libertatis nostrae admonemur: Cum respondemus: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*, Dei nos gratia praeveniri confitemur» [5].

Processum quoque hujus praeparationis ad gratiam optime describit Concilium dicens: «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum, *excitati divina gratia et adjuti*, fidem ex auditu concipientes libere moventur ad Deum... et, dum peccatores se esse intelligentes a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod detestationem» [6].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus* diserte docet «inchoandi et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius secretissimam eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem» [7]. «Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum coeptum erit meritum, cui, tanquam ex debito, gratiae veniat adjutorium» [8]. «Dominus, ut responderet futuro *Pelagio*, non ait: Sine me difficile potestis aliquid facere, sed ait: *Sine me nihil potestis facere.* Et ut responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa evangelica sententia non ait: Sine me nihil potestis perficere, sed *facere*. Nam, si perficere dixisset, possent isti dicere, non

---

1 *Philipp.*, 1, 6.
2 *Philipp.*, 2, 13.
3 *Jerem.*, 31, 18 sq.
4 *Concil. Arausic. II* (a. 529), can. 5; **Denz-Bannw.**, 178.
5 *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.**, 797.
6 *Sess.* 6, c. 6; **Denz-Bannw.**, 798.
7 *De dono perseverantiae*, c. 13, n. 33; ML **45**, 1012.
8 *Contra duas epistolas Pelag.*, lib. 2, c. 8, n. 18; ML **44**, 584.

ad incipiendum bonum, quod a nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adjutorium necessarium» [1]. «Sicut nemo potest bonum perficere sine Domino, sic nemo incipere sine Domino» [2].

S. Fulgentius: «Dominus ergo, qui in nobis bonam voluntatem praeparat, ipse nobis bonae voluntatis initium donat» [3].

S. Thomas: «Ad errorem pelagianum pertinet dicere quod homo possit se ad gratiam praeparare absque auxilio divinae gratiae» [4]. «Ex divina misericordia contingit, quod homo se ad gratiam praeparet... Liberum arbitrium non potest sead gratiam praeparare, nisi ad hoc divinitus dirigatur» [5]. «Unde, si homo per liberum arbitrium non potest se ad gratiam praeparare, facere quod in se est, non erit praeparare se ad gratiam» [6].

4) *Ex ratione.* a) Cum initium et finis alicujus rei debeant esse ejusdem ordinis, oportet initium fidei esse ordinis supernaturalis, sicut est ipsa fides. Sed homo viribus naturae non potest efficere aliquid supernaturale. Ergo nec potest sine gratia inchoare fidem supernaturalem.

b) Omnis dispositio debet habere proportionem cum forma ad quam disponit. Sed actus naturales hominis non habent proportionem cum gratia, quae est forma supernaturalis. Ergo.

c) Homo non potest viribus naturae efficere actus salutares, sicut diximus superius. Sed initium fidei et quidquid hoc nomine intelligunt semipelagiani, ut praecedens gratiam, est actus salutaris. Ergo.

Difficultatibus satisfit.

63. Obj. 1.° Apostolus ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* [7]. Ergo non ad *velle* sed ad *perficere* bonum requiritur gratia Dei [8].

Resp. *S. Thomas* egregie exponit sensum Apostoli his verbis: «Quod ergo dicit: *Velle adjacet mihi* (Apostolo), scilicet per gratiam reparato, est ex operatione divinae gratiae; per quam quidem gratiam non solum volo bonum, sed etiam aliquid boni facio... Sed non invenio in mea potestate, quomodo istud bonum perficiam, ut scilicet totaliter concupiscentiam excludam» [9].

Obj. 2.° Dominus ait per Zachariam: *Convertimini ad me... et convertar ad vos* [10]. Ergo hominis est incipere conversionem ad Deum.

Resp. Sensus S. Scripturae est: *Convertimini ad me* per gratiam praevenientem, quam vobis confero, et *ego convertar ad vos* per gratiam sanctificantem, quam in justificatione elargio.

ARTICULUS III

UTRUM FACIENTI, QUOD EST IN SE, DEUS SEMPER CONFERAT GRATIAM

64. Status quaestionis. 1) Celebre est in hac materia vulgatum axioma: *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Sed in ejus explicatione non parum discrepant theologi.

---

1 *Contra duas epistolas Pelag.*, lib. 2, c. 8, n. 18; ML **44**, 584.
2 *Contra duas epistolas Pelag.*, lib. 2, c. 10, n. 23; ML **44**, 588.
3 *De veritate praedest.*, lib. 1, c. 17, n. 46; ML **65**, 621.
4 *Quodlib.* 1, a. 7.
5 *De veritate*, q. 24, a. 15.
6 *De veritate*, q. 24, a. 15.
7 *Rom.*, 7, 18.
8 Ita **Cassianus**, *Collat.* 13, c. 9; ML **49**, 919-920.
9 *In ep. ad Romanos*, c. 7, lect. 3, circa finem.
10 *Zachar.*, 1, 3.

http://www.obrascatolicas.com

2) Quamvis *Calvinus* hoc dictum, quod vocat *occamicum* [1], multum irrideat, aliquo tamen sensu verum esse non dubito, ut omnes scholae tradunt. Quomodo intelligendum sit, hic diligenter investigabo.

65. Errores. 1) *Pelagiani* dicebant facienti, quod est in se viribus naturae, gratiam a Deo conferri ut praemium. Unde dicebant «gratiam Dei (etiam primam) secundum praecedentia merita dari».

2) *Semipelagiani* contendebant facientem, quod est in se viribus naturae, habere ex se fidei et boni operis initium, quod sit Deo occasio gratiae conferendae.

66. Theologorum placita. 1) Aliqui veteres theologi sine ulla distinctione dixerunt Deum infallibiliter gratiam conferre facienti quod est in se viribus naturae. Ita *Alensis, Durandus, Biel* et alii [2].

2) *Molina*, suffragantibus *Herice* et *Lessio*, docuit Christum Dominum ob sua merita obtinuisse et una cum Patre aeterno legem statuisse, «ut quoties ex nostris viribus naturaliter conaremur facere, quod in nobis est, praesto nobis essent auxilia gratiae, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus» [3].

3) *Cl. Palmieri* defendit facienti, quod est in se, viribus naturae et se negative praeparanti ad gratiam, nullum apponendo impedimentum, a Deo mera liberalitate conferri gratiam. «Deus vult gratiam suam omnibus dare; si quis homo naturaliter vivens peccatum non admittat, Deus certe ei conferet gratiam suam; si enim id non faceret, jam verum non esset Deum velle gratiam suam omnibus dare» [4].

4) Juniores quidam contendunt: a) Si agatur de conferenda gratia habituali, axioma intelligendum esse de faciente, quod est in se, per vires gratiae actualis. b) Si agatur de conferenda gratia adjuvante, axioma intelligendum esse de faciente quod est in se viribus gratiae excitantis. c) Si agatur de conferenda gratia excitante secunda vel qualibet alia subsequente, axioma intelligendum esse de faciente quod est in se viribus gratiae excitantis primae. d) Si tandem agatur de conferenda gratia excitante prima, axioma verum esse de faciente quod est in se viribus naturae, non quidem quod Deus conferat homini gratiam propter bona opera naturalia, aut ditet hominem, quia facit quod est in se, sed quia bona opera sunt conditio negativa removens obstaculum gratiae conferendae. Ita *Bucceroni, Beraza* et *Sola* [5].

5) *Vazquez* intellexit axioma de faciente, quod est in se, per gratiam naturalem a Christo datam, quam, ut vidimus, appellavit *cogitationem congruam* [6].

6) Theologi multo communius docent praefatum axioma intelligendum esse de faciente, quod est in se, viribus gratiae. Ita *S. Thomas, S. Bonaventura, Lezana, omnes thomistae*, et ex extraneis *S. Bellarminus, Valentia*, et alii plures [7].

67. THESIS. **Axioma, de quo agimus, intelligendum est, et est verum, de faciente quod est in se viribus gratiae, non vero de faciente quod est in se viribus naturae.**

Arg. 1) *Ex Conciliis.* Concilium Arausicanum II edidit canonem his verbis conceptum: «Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus,

[1] *Institut.*, lib. 2, c. 3, n. 10.

[2] **Alensis,** *III p.*, q. 61, m. 5, a. 3; **Durandus,** *In II Sent.*, dist. 28, q. 5; **Biel,** *In II Sent.*, dist. 27, a. 2, concl. 4.

[3] **Molina,** *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 10, in principio; **Herice,** tr. 3, p. 1, disp. 27; **Lessius,** *De gratia efficaci*, append. ad c. 10, n. 24.

[4] *De gratia*, th. 34.

[5] **Bucceroni,** *Comment. de axiomate* «Facienti quod est in se...», n. 29; **Beraza,** *De gratia*, n. 390; **Sola,** *De gratia*, n. 286.

[6] *In I-II*, disp. 189, c. 16, n. 144; et *In I p.*, disp. 91, a. 16.

[7] **S. Thomas,** *I-II*, q. 109, a. 6; et q. 112, a. 3; **S. Bonaventura,** *In II Sent.*, dist. 28, a. 2, q. 1; **Lezana,** *De gratia*, disp. 6, q. 3; **S. Bellarminus,** *De gratia et libero arb.*, lib. 6, c. 6; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 4, p. 2.

desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium, nec, ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti I ad Corinthios, 4, 7: *Quid habes, quod non accepisti?* Et cap. 15, 10: *Gratia Dei sum id, quod sum*» [1]. Sed, qui credit, vult, desiderat, conatur, laborat, vigilat, studet, petit, quaerit, et pulsat, revera facit, quod est in se viribus naturae. Ergo facienti, quod est in se, viribus naturae Deus denegat gratiam.

Molina docet gratiam a Deo conferri, «quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturaliter conatur, praestove est ad conandum totum id, quod ex sese potest» [2]. Concilium vero modo citatum dicit gratiam a Deo non conferri conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, etc. Unde verba *Molinae* non facile conciliantur cum loco Concilii.

2) *Ex auctoritate S. Thomae. Angelicus Doctor* loquens de iis, qui Evangelium nunquam audierunt, ait: «Si qui tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis praedicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, *Act.*, 10, 19: et Paulum Macedonibus, ut habetur *Act.*, 16, 9: sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, juxta illud Thren. 5, 21: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*» [3].

3) *Ex ratione.* a) Juxta *Molinam* et ejus sequaces Pater et Filius legem et pactum statuerunt, ut facienti quod est in se viribus naturae conferretur gratia. Sed hoc pactum, utpote nullibi fundamentum habens, videtur esse omnino arbitrarium; et, si daretur, significaret legem latam fuisse, ut operibus naturae gratia daretur, quod absit. Unde in comitiis cleri gallicani (a. 1700) declaratum est: «Pactum autem, quod inter Deum et Christum adseritur, commentum est temerarium, erroneum, non solum tacente sed etiam adversante Scriptura et SS. Patrum traditione, prolatum».

b) Axioma, de quo agimus, intellectum de faciente quod est in se viribus naturae, semper significat gratiam a Deo conferri intuitu saltem et occasione boni operis naturalis. Differentia siquidem inter facientem et non facientem quod est in se viribus naturae, significat certe eum qui facit, quod est in se, occasionem saltem praebere prae non faciente, ut gratia ipsi conferatur. Opera autem naturalia ne occasionem quidem possunt praebere gratiae conferendae, ut patet ex disputationibus habitis a SS. Patribus contra semipelagianos. Ergo.

c) Dispositio negativa, seu ea vivendi ratio, qua quis removet prohibens et aufert obstaculum ad receptionem gratiae, fitque minus indignus benevolentiae divinae ut vult *Palmieri*, non est sufficiens, ut

[1] *Can.* 6; **Denz-Bannw.,** 179.

[2] *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 10, in principio.

[3] *Ad Rom.*, c. 10, lect. 3.

http://www.obrascatolicas.com

infallibiliter gratia ei conferatur. «Non enim habeo, ait *S. Augustinus*, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem... nisi vel majus ingenium, vel *minora peccata*, vel utrumque; addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quam minimis peccatis irretitus atque maculatus (nam nullis quis potest?), et acer ingenio, et liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed, cum hoc statuero, ita me videbit ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, et stulta mundi, ut confundat sapientes *(I Cor.*, 1, 27), ut eum intuens et pudore correctus, ego irrideam multos, et prae quibusdam peccatoribus castiores, et prae quibusdam piscatoribus oratores... Non videmus quosdam homines utriusque sexus in conjugali castitate viventes sine querela, et tamen vel haereticos vel paganos, vel etiam in vera fide et vera Ecclesia sic tepidos, ut eos miremur meretricum et histrionum subito conversorum non solum patientia et temperantia, sed etiam fide, spe, caritate superari? Restat ergo, ut voluntates eligantur» [1].

d) Ratio discernens aliquem a damnata multitudine non potest esse opus naturale secundum Apostoli testimonium. Sed, si facere quod est in se viribus naturae, esset aliquando homini conditio vel occasio gratiae conferendae, opus naturale discerneret aliquem a damnata multitudine. Ergo.

e) Ut nexus statuatur inter opera naturalia hominis facientis quod est in se viribus naturae et infallibilem gratiae collationem, oportet opera naturalia habere rationem praeparationis ad gratiam. Praeparatio autem «secundum quod est a libero arbitrio... nullam necessitatem habet ad gratiae consecutionem, quia donum gratiae excedit omnem praeparationem virtutis humanae» [2].

68. Corollaria. 1) Restat igitur axioma, de quo in praesenti, intelligendum esse de faciente quod est in se viribus gratiae. Ad rem apposite *Angelicus:* «Nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur secundum illud *Joannis* 15, 5: *Sine me nihil potestis facere*. Et ideo, cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo» [3]. Ne hoc intelligatur de libero arbitrio moto a Deo per concursum generalem, addit *Cajetanus:* «Quemadmodum nihil naturae *sine Deo, ut principio naturali*, ita nihil gratiae *sine eo, ut principio gratiae*, facere possumus; ac per hoc, quia facere hominem, quod in se est, ita ut per hoc sit sufficienter praeparatus ad gratiam (sic enim in proposito sumitur facere quod in se est), aliquid gratiae est, ideo sine Deo, ut specialiter influit gratiam, quod est dicere sine adjutorio speciali Dei, non potest homo facere, quod in se est, et non potest praeparare se ad gratiam» [4].

2) Sententia eorum, qui dicunt opera bona naturalia facientis, quod est in se, esse conditionem negativam per modum removentis prohibens, adeo ut unicum motivum collationis gratiae sit pura liberalitas Dei, plurimum differt a labe semipelagianorum, sed nondum videtur satisfacere rigori theologico. a) Quia, ut fautores hujus systematis fa-

[1] *De div. quaest. ad Simplicianum*, lib. 1, q. 2, n. 22; ML **40**, 127.
[2] **S. Thomas**, *I-II*, q. 112, a. 3.
[3] *I-II*, q. 109, a. 6 ad 2.
[4] *In I-II*, q. 109, a. 6 ad 2.

tentur, sine bonis operibus praecedentibus, Deus pluribus largitur gratiam, et ideo bona opera desinunt esse conditionem. b) In hac explicatione voluntas salvifica Dei est quasi adligata conditioni faciendi ab homine opera bona naturalia, quod videtur esse absurdum.

Difficultatibus satisfit.

69. Obj. 1.° *S. Thomas* ait: «Si enim aliquis taliter (in silvis) nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium *Act.*, 10» [1]. Rursum: «Etiam ad fidem habendam aliquis se praeparare potest per id, quod in naturali ratione est. Unde dicitur, quod, si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est, faciat, Deus sibi revelabit illud quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo» [2].

Resp. *S. Thomas* in praefatis locis intelligendus est de illis, qui in silvis, vel inter bruta animalia aut in barbaris nationibus enutriti sunt, et auxilio gratiae internae instructi ductum rationis naturalis sequuntur. Hoc patet 1) ex allato exemplo Cornelii, de quo ait *Angelicus:* «De Cornelio tamen sciendum est, quod infidelis non erat; alioquin ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate. Unde, ut eum in fide plenius instrueret, missus est ad eum Petrus» [3]. 2) Ex doctrina superius data, secundum quam in statu naturae lapsae nemo potest sine gratia ductum rationis naturalis longo tempore sequi. Unde supponit eos, qui in silvis enutriti ductum rationis naturalis sequuntur, instructos fuisse gratia interna.

Obj. 2.° Deus serio vult omnium hominum salutem, adeo ut ratio, propter quam plures homines non accipiunt gratiam supernaturalem, stat ex parte hominum, qui non faciunt, quod est in se. Sed, si facienti quod est in se viribus naturae et vitanti peccata, denegaretur gratia, Deus nollet serio omnium hominum salutem. Ergo.

Resp. Hoc argumentum, quo utuntur adversae sententiae patroni, est valde speciosum, et tyronibus argumentationi theologicae parum adsuetis visum est aliquando apodicticum, sed parum urget.

Concessa igitur **majori,** negandum est suppositum **minoris.** Supponit argumentum dari ex hominibus quempiam, qui faciens, quod est in se, privetur gratia supernaturali vocante, excitante ac sufficiente, et hoc minus recte dicitur. Deus enim ea sincera voluntate, qua vult omnium hominum salutem, offert et confert non solum facienti, quod est in se, sed etiam magnis peccatoribus, gratiam supernaturalem vocantem, excitantem ac sufficientem. Qui huic gratiae per peccatum resistunt, ulteriori gratia, et praesertim gratia sanctificante privantur per suam culpam; qui vero illi consentiunt, ulterioribus gratiis ditantur, ac tandem sanctificantur. Prima ergo gratia actualis elargitur a Deo, quando et ubi oportet, omnibus hominibus, facientibus et non facientibus, quod possunt; et ulteriores gratiae conferuntur facientibus, quod est in se viribus gratiae.

ARTICULUS IV

QUO DEI AUXILIO INDIGEAT HOMO JUSTUS AD DIVERSA OPERA FACIENDA

70. Status quaestionis. 1) Triplex auxilii genus solet a Deo conferri hominibus justis: a) *Concursus generalis naturalis*, quo ut princi-

[1] *De veritate*, q. 14, a. 11 ad 1.
[2] *In II Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 4 ad 4.
[3] *II-II*, q. 10, a. 4 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

pium naturale et causa prima movet causas secundas in omnibus operibus naturalibus, sive necessariis sive liberis. b) *Auxilium generale gratiae*, quod statui gratiae sanctificantis debetur, et ad opera supernaturalia efficienda homini justo semper confertur [1]. c) *Auxilium speciale gratiae*, quod in ipso ordine gratiae peculiarem Dei adsistentiam et influxum importat.

2) Tres classes operationum moraliter diversas efficere potest justus: a) *Opera naturalia*, quae ethicam bonitatem continent. b) *Opera supernaturalia*, quae Deum ut finem supernaturalem respiciunt, quaeque exercentur sub influxu formali gratiae sanctificantis. c) *Opera item supernaturalia* diu repetita, quae, licet singillatim non differant a praecedentibus, collective tamen propter concatenationem et longam repetitionem exigunt majores vires in potentia.

3) Homo per gratiam habitualem constituitur amicus Dei et principium actionum supernaturalium, sed, ut exsequatur operationes supernaturales indiget aliquo Dei concursu. «Per habitus, ut bene ait *Medina*, sive infusos sive acquisitos, potentia non movetur neque impellitur ad operandum; sed officium habituum est facilitare potentiam ad hoc, ut, cum mota fuerit, faciliter et prompte operetur; igitur homo justus, quamvis habeat gratiam et habitum caritatis infusae, non movetur ab illo ad operandum supernaturaliter, sed movetur a Deo speciali auxilio et motione» [2].

4) Haec Dei motio non est nisi usus quidam seu applicatio liberi arbitrii et gratiae sanctificantis ad operandum. Nam «uti est applicare aliquod principium actionis ad actionem» [3]. Quaestio hic movetur, quo genere auxilii applicet Deus hominem justum ad diversa opera efficienda.

71. Auctorum placita. Diversi diversa in hac materia sustinuere placita, sed non omnes videntur distinxisse, prout oportet, statum quaestionis. Probabiliorem sententiam paucis aperire et demonstrare curabo.

72. THESIS I. **Homo justus ad usum gratiae sanctificantis non eget alio habitu divinitus infuso.**

Arg. Ratio est, quia, si ad usum gratiae sanctificantis requireretur alius habitus infusus, ad usum hujus requireretur alius, et sic in infinitum. Non autem datur processus in infinitum. Ergo.

73. THESIS II. **Homo gratia sanctificante auctus ad operationes naturales etiam moraliter bonas non indiget nisi motione et concursu generali, quo Deus omnes creaturas intellectuales libere movet.**

Arg. 1) Non indiget auxilio supernaturali, quia in operationibus naturalibus non utitur homo gratia sanctificante, sed viribus et potentiis naturalibus. Ad usum autem virium et potentiarum naturalium non requiritur auxilium supernaturale.

[1] Hoc auxilium, licet sit speciale respectu naturae humanae ut sic, quia superat exigentiam naturae creatae, dicitur tamen generale respectu gratiae sanctificantis et hominis reduplicative ut sancti, quia gratiam sanctificantem comitatur.
[2] *In I-II*, q. 109, a. 9.
[3] **S. Thomas**, *I-II*, q. 16, a. 2.

2) Indiget tamen motione et concursu generali Dei, quia causa secunda, quantumvis donis caelestibus ornata, non procedit ad operationem nisi sub influxu causae primae. «Mens hominis etiam sani, ait ad rem *S. Thomas*, non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri a Deo» [1].

74. THESIS III. **Homo justus indiget auxiliis generalibus ordinis supernaturalis concomitantibus gratiam sanctificantem, non vero auxiliis peculiaribus gratiae specialis, ad quamlibet operationem supernaturalem singillatim eliciendam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus ait in Evangelio: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis* [2]. Id est: Eadem est conditio omnium vestrum in me, qualis est palmitum in vite. Palmes autem non vivit, nisi manserit in vite, nec florescit, nisi ejus influxum accipiat; ita pariter homo non vivit, nisi adhaereat mihi per gratiam, nec fructificat, nisi accipiat meum influxum. Unde: *Sine me nihil potestis facere* [3].

2) Zosimus papa haec habet: «Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor et protector orandus est» [4]. Et Concilium Tridentinum: «Christus Jesus tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent» [5].

3) *Ex ratione.* a) Sicut homo in ordine naturali ultra potentiam naturalem indiget influxu divino ad operandum, ita pariter homo justus ultra principium actuum supernaturalium indiget auxiliis generalibus ordinis supernaturalis ad quamlibet operationem supernaturalem, quia auxilium, quod homini ad operationem divinitus confertur, oportet esse ejusdem ordinis cum operatione. Unde homo incapax per se ad operandum, indiget ad operationem supernaturalem auxilio etiam generali supernaturali, concomitante gratiam habitualem.

b) *Homo justus ad quamlibet operationem supernaturalem singillatim eliciendam non indiget auxilio intra ordinem gratiae speciali.* Ratio est, quia auxilium generale ordinis supernaturalis, quod praesto est omnibus justis, confert homini justo vires necessarias ad eliciendam quamlibet operationem supernaturalem. Movet enim potentias sanas animae justae, ut sub influxu gratiae sanctificantis operationes supernaturales eliciant. Nulla igitur est singularis operatio, cui exercendae sit necessarium homini justo auxilium in ordine gratiae speciale.

[1] *I-II*, q. 109, a. 2 ad 1.
[2] *Joan.*, 15, 4.
[3] *Joan.*, 15, 5.
[4] *Epistola ad tot. orb. episcopos;* ML **20**, 693.
[5] *Sess.* 6, c. 16; **Denz-Bannw.**, 809.

http://www.obrascatolicas.com

75. THESIS IV. **Homo justus indiget auxilio intra ordinem gratiae speciali ad recte vivendum longo tempore.**

Arg. 1) Concilium Arausicanum II ait: «Adjutorium Dei etiam in renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono possint opere perdurare» [1].

2) *Ex ratione.* Homo in statu naturae lapsae, etiamsi consideretur per gratiam justificatus, experitur saepe obscuritatem mentis in his, quae sunt ad Deum, et rebellionem carnis in his, quae sunt ad legem. Datis enim occasionibus ita mens obnubilatur et carnis illecebrae insurgunt, ut auxilia generalia gratiam sanctificantem concomitantia et vires ordinariae animae justae non sufficiant homini ad victoriam longo tempore reportandam. Auxilia generalia gratiae movent quidem potentias animae et applicant habitus supernaturales ad operationem, sed non conferunt animae immobilitatem in bono. Hinc homo justus, ut inter obscuritates mentis et illecebras carnis possit longo tempore securus incedere, indiget auxilio gratiae specialis.

Haec tamen gratia specialis, cujus auxilio indiget homo justus ad diu eliciendas operationes supernaturales, non est novus habitus homini justo infusus, sed, ut *Salmanticenses* recte docent [2], est continuata et diuturna communicatio illustrationum ex parte intellectus et piarum atque salutarium affectionum ex parte voluntatis una cum peculiari ac sollicita quadam Dei protectione. His omnibus munitur justus ad bene operandum per longum tempus. «Et licet hujusmodi auxilia divisim considerata non sint supra exigentiam et dispositionem justi..., eorum tamen concatenatio et successivus ac diuturnus influxus praedictam dispositionem et exigentiam excedit» [3].

Quamvis *Perrone, Mazzella* [4] et alii dixerint hoc auxilium Dei speciale solum complecti gratias actuales ordinarias statui gratiae sanctificantis debitas, tamen sententia probabilior docet auxilium speciale, quo homo justus indiget ad diu perseverandum, distingui ab auxilio generali, quod confertur justo ad singula opera salutaria facienda [5].

ARTICULUS V

QUO AUXILIO INDIGEAT HOMO JUSTUS AD PERSEVERANDUM IN BONO

76. Status quaestionis. 1) In hac materia sedulo distinguenda est potestas perseverandi ab ipsa perseverantia [6].

Potestas perseverandi, una vocatur *antecedens*, et est facultas in actu primo ad perseverandum in gratia usque ad mortem; altera *consequens*, et est facultas connectendi infallibiliter in actu secundo statum gratiae cum morte. Primam recipiunt omnes justi una cum gratia sanctificante et auxiliis eam concomitantibus, secundam nonnisi praedestinati, quibus conceditur perseverantia.

1 *Can.* 10; **Denz-Bannw.**, 183.
2 *De gratia*, disp. 3, n. 218.
3 **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 3, n. 218.
4 **Perrone,** *De gratia*; p. 1, c. 2, n. 203, in nota; **Mazzella,** *De gratia*, n. 315.
5 Cfr. **Beraza,** *De gratia*, n. 230.
6 Cfr. **Lemos,** *Panoplia*, lib. 4, p. 2, tr. 3, n. 56.

2) Perseverantia est *continuatio alicujus in gratia ab ipsa gratiae receptione usque ad mortem;* vel, si mavis formaliter loqui, est *conjunctio status gratiae cum morte.*

3) Alia est *passiva*, alia *activa*. Perseverantia *passiva* est conjunctio status gratiae cum morte absque ulla actione positiva perseverantis, ut perseverantia infantium ante usum rationis in gratia baptismali decedentium. Perseverantia *activa* est continuatio alicujus in statu gratiae usque ad mortem actibus positivis virtutum sustentata. In prima evenit opportuna mors, in altera concurrunt auxilia divina cum conatibus justi.

Qui post adeptam justificationem diu sancte vixerunt, sed in fine peccatis irretiti sine gratia decesserunt, perseverantia caruerunt. Unde ad perseverantiam requiritur semper status gratiae cum morte conjunctus.

4) Perseverantiam aliquo modo distingui a gratia sanctificante non est qui negare possit. «Multis enim, ait *S. Thomas*, datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia» [1].

5) Disputatur hic, an homo justus indigeat aliquo auxilio in ordine gratiae speciali, ut in statu gratiae sanctificantis usque ad finem vitae perseverare possit.

77. Placita theologorum. 1) Aliqui veteres theologi et ex recentioribus *Perrone, Mazzella, Tepe*, et alii [2] dixerunt auxilia generalia gratiam sanctificantem concomitantia sufficere homini justo, ut in statu gratiae perseverare possit usque ad mortem.

2) Alii multo communius et verius docent auxilia generalia gratiam sanctificantem comitantia non sufficere ad perseverandum, sed ad id requiri aliqua auxilia intra ordinem gratiae specialia, sicut necessaria sunt ad diu vivendum in gratia [3].

78. THESIS. **Homo justus indiget ad perverandum aliquo Dei auxilio intra ordinem gratiae speciali.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae diserte nos monent *cum metu et tremore salutem* esse operandam [4]; victoriam de tentationibus a Deo esse recipiendam [5]; vigilandum et orandum, ne intremus in tentationem [6]. Haec autem certe innuunt homini justo ultra gratiam sancti-

1 *I-II*, q. 109, a. 10.
2 **Perrone,** *De gratia*, p. 1, c. 2, n. 203, in nota; **Mazzella,** *De gratia*, n. 315; **Tepe,** *De gratia*, t. 3, n. 87.
3 Cfr. **Cajetanus,** *In I-II*, q. 109, a. 10; **Medina,** *In I-II*, q. 109, a. 10; **Lemos,** *Panoplia gratiae*, lib. 4, p. 2, tr. ult. n. 199; **Gabriel a S. Vincentio,** *De gratia*, disp. 6, q. 1; **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 3, n. 234; **Van Noort,** *De gratia Christi*, n. 40; **Beraza,** *De gratia*, n. 230; **Sola,** *De gratia Christi*, n. 262.
4 *Philipp.*, 2, 12.
5 *I Cor.*, 10, 13.
6 *Matth.*, 26, 41.

http://www.obrascatolicas.com

ficantem et auxilia concomitantia, quae semper habet, postulandum esse aliud auxilium speciale ad perseverandum.

2) *Ex conciliis.* Concilium Tridentinum edidit canonem dicens: *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, a. s.* [1]. Hic canon quomodolibet tandem intelligatur, certe declarat auxilium Dei speciale esse homini justo necessarium ad perseverandum.

Id ipsum insinuavit Concilium Arausicanum II his verbis: «Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono possint opere perdurare» [2].

3) *Ex SS. Patribus. S. Cyprianus:* «Id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse coepimus, perseveremus... Hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio, quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur» [3]. *Caelestinus Papa I* docet «neminem, etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit» [4].

4) *Ex ratione.* Ad perseverantiam activam in gratia requiritur donum aliquod firmans ac determinans voluntatem in bono. Auxilia autem generalia gratiae sanctificantis non firmant voluntatem in bono, ut experientia eorum, qui a gratia recepta decidunt, satis demonstrat. Ergo ultra gratiam requiritur ad perseverandum aliquod donum speciale. Hanc rationem dilucide exponit *Angelicus* his verbis: «Omne quod est de se variabile, ad hoc quod figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis. Homo autem variabilis est, et de malo in bonum, et de bono in malum. Ad hoc igitur, ut immobiliter perseveret in bono, quod est perseverare, indiget auxilio divino» [5], et quidem immobiliori quod est perseverare, indiget auxilio divino» [5], et quidem immobiliori quam quod habet ex gratia sanctificante et auxiliis eam comitantibus.

Immobilitas in bono, quam perseverantia confert homini justo, est infallibilitas conjungendi statum gratiae cum morte ex efficaci Dei intentione, et aliquid addit supra gratiam sanctificantem et auxilia ei adnexa. Conjunctio igitur gratiae cum morte, quatenus est effectus a Deo praedestinante per se intentus et infallibiliter futurus, habet rationem beneficii et doni specialissimi respectu gratiae sanctificantis et auxiliorum ejus.

Donum perseverantiae est speciale non solum in his, qui longo labore victoriam contra tentationes reportarunt, sed etiam in his, qui post acceptam gratiam illico moriuntur, et in pueris baptizatis, qui ante usum rationis decedunt. Ratio enim doni perseverantiae non est formaliter facultas, quam homo habet, superandi tentationes et pericula hujus mundi, sed ipsa conjunctio gratiae cum morte a Deo praedestinante

1 *Sess.* 6, can. 22; **Denz-Bannw.**, 832.
2 *Can.* 10; **Denz-Bannw.**, 183.
3 *De oratione dom.*, n. 12; ML **4**, 544.
4 *Epistola ad Episcopos Gall.*, c. 6; ML **50**, 532.
5 *Contra Gent.*, lib. 3, c. 155.

efficaciter intenta, quae ut obtineatur, aliquibus justis conferuntur auxilia specialia ad victoriam, aliis post acceptam gratiam breviatur vita, aliis ante usum rationis immittitur mors. In his omnibus apparet speciale Dei beneficium.

Imo in ipso statu innocentiae, si justitia originalis perseverasset, auxilium speciale fuisset necessarium justis ad perseverandum, juxta illud Concilii Arausicani II: «Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret» [1].

79. Corollarium. *Perseverantia est magnum donum.* Concilium Tridentinum merito vocat perseverantiam *magnum donum* [2], quia 1) est speciale beneficium; 2) est gratuitum; 3) secum fert auxilia supernaturalia; et 4) conjungit animam cum vita aeterna.

80. Scholion. *In quo differant donum perseverantiae et donum confirmationis in gratia.*

Si res ex cortice verborum consideretur, perseverantia videtur non distingui a confirmatione in gratia, sed radicitus examinanda est quaestio.

1) Aliqui dixerunt perseverantiam in nullo differre a confirmatione animae in gratia, et omnes qui habent perseverantiam, esse confirmatos in gratia. Ita *Salmeron* [3], cui accedit *Vazquez* [4], cum docet confirmatos in gratia eo tantum distingui a perseverantibus, quod confirmati fiunt conscii sui status per revelationem, non autem perseverantes.

Sed contra *Salmeron* est opinio communis, quae tenet confirmationem in gratia esse donum speciale non concessum omnibus perseverantibus; et contra *Vazquez* optime arguunt theologi dicentes non omnes confirmatos in gratia esse conscios suae confirmationis, ut probant angustiae, quibus sancti confirmati in gratia timuerunt non semel perdere amicitiam Dei.

2) Alii docuerunt per confirmationem in gratia tolli potentiam antecedentem peccandi, non vero per perseverantiam. Ita *Valentia* et alii [5].

Haec opinio ex eo saltem est rejicienda, quod plures confirmati in gratia, si non omnes, habuerunt potentiam antecedentem peccandi. Unde *S. Paulus*, qui certe confirmatus erat in gratia, ajebat: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* [6].

3) Alii voluerunt confirmationem et perseverantiam solum distingui penes magis et minus, quatenus confirmatis abundantiora et intensiora conceduntur auxilia quam perseverantibus. Unde ipsum donum perseverantiae, quando est in gradu excellentissimo, et secum fert specialiores illustrationes intellectus et affectus voluntatis, dicitur confirmatio in gratia. Ita *Suarez*, *Beraza* et alii [7].

Haec sententia, quae accidentalem tantum differentiam ponit inter

1 *Can.* 19; **Denz-Bannw.**, 192.
2 *Sess.* 6, can. 16; **Denz-Bannw.**, 826.
3 *Praeamb. ad epistolas S. Pauli*, p. 2, disp. 14, 15.
4 *In I-II*, disp. 200, c. 5, n. 33.
5 *In I-II*, disp. 8, q. 3, p. 4, prop. 4, «Tertio, alia complectitur».
6 *I Cor.*, 9, 27.
7 **Suarez**, *De gratia*, lib. 10, c. 8, n. 29; **Beraza**, *De gratia*, n. 250.

http://www.obrascatolicas.com

donum perseverantiae et donum confirmationis, non videtur admittenda. a) Quia pueri usu rationis carentes, sine speciali illustratione intellectus et affectu voluntatis, possunt esse confirmati in gratia. b) Quia donum perseverantiae cessat cum morte, donum vero confirmationis perseverat in gloria, vel potius est proprium beatorum, et solum habetur in via per quamdam participationem.

4) Thomistae verius defendunt donum confirmationis distingui a dono perseverantiae distinctione essentiali modali. Donum perseverantiae solum praeparat et confert homini auxilia atque media apta, ne deficiat, et donum confirmationis addit imperfectam participationem impeccabilitatis beatorum, quae, utpote imperfecta, licet non reddat hominem absolute et ab intrinseco impeccabilem, petit tamen ab intrinseco extrinsecam Dei protectionem in favorem hominis sic confirmati. Firmitas ergo voluntatis in bono provenit in perseverantibus a gratia sanctificante ut infusa a Deo cum intentione efficaci perseverantiae et promissa protectione, dum in confirmatis est quaedam immobilitas et participatio impeccabilitatis beatorum, quae intrinsece postulat protectionem Dei. Ita *Ferrariensis, Alvarez, Salmanticenses, Gabriel a S. Vincentio* et alii [1].

ARTICULUS VI

AN HOMO JUSTUS SINE GRATIA SPECIALI POSSIT VITARE OMNIA PECCATA VENIALIA

81. Status quaestionis. 1) Peccatum veniale, si nomen spectes, est quod veniam meretur, ad distinctionem mortalis, quod mortem animae infert.

Si rem spectes, peccatum mortale et veniale in hoc distinguuntur, quod mortale est simpliciter contra legem, veniale vero simpliciter praeter legem vel contra legem secundum quid; id est, mortale dicitur simpliciter contra legem ex duplici capite, a) quia est contra legem graviter obligantem, quae vocatur simpliciter lex, et b) quia est transgressio voluntaria, quae dicitur simpliciter transgressio. Peccatum veniale dicitur praeter legem, quia est vel transgressio non omnino voluntaria gravis legis, vel contra legem secundum quid, seu transgressio legis leviter obligantis.

Potest esse veniale a) *ex genere suo*, quia versatur circa materiam non simpliciter obligantem, ut verbum otiosum; b) *ex parvitate materiae*, quia versatur circa objectum per se grave, sed in materia levi, ut furtum denarii; c) *ex imperfecta deliberatione*, ut actus contra castitatem non plene deliberati.

2) Quaestio potest esse de vitandis a) *omnibus vel aliquibus peccatis venialibus;* b) *omnibus collective vel singillatim*, prout dictum est de peccatis mortalibus; c) *per totam vitam vel per longum tempus.*

[1] **Ferrariensis,** *Contra Gent.*, lib. 4, c. 70; **Alvarez,** *De auxiliis*, disp. 104, n. 4; **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 3, n. 250; **Gabriel a S. Vincentio,** *De gratia*, disp. 6, n. 43.

82. Errores. 1) *Lutherus* [1], *Calvinus* [2], aliique novatorum coryphaei dixerunt justum in omnibus suis operibus etiam bonis peccare saltem venialiter.

Hic error damnatus est in Concilio Tridentino his verbis: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit... a. s.* [3].

2) *Jovinianus* e contra et post ipsum *Joannes Hus* docuerunt hominem justum non posse vel venialiter peccare [4].

Hic pariter error damnatus est in Concilio Tridentino: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse... a. s.* [5].

3) *Pelagius* contendit hominem posse absque ulla gratia propriis viribus vitare omnia peccata venialia collective per longum tempus [6].

Sed haec doctrina est omnino rejicienda, quia, si homo nequit propriis viribus vitare peccata mortalia, minus poterit vitare venialia.

83. Corollarium I. Ex his sequitur hominem justum 1) non semper peccare venialiter in suis operibus, quia saepe facit opera undique bona; 2) non obstantibus justitia et sanctitate animae posse committere et aliquando de facto committere peccata venialia, quia non semel excidunt ei actiones minus rectae, quae gravem offensam non continent; 3) propriis viribus non posse vitare per longum tempus omnia peccata venialia collective, sed ad id aliqua saltem gratia indigere.

84. Coroll. II. Supponimus hominem justum cum gratia ordinaria et auxiliis ei correspondentibus posse vitare omnia peccata venialia distributive, quia nullum est peccatum veniale adeo molestum et urgens, cui vincendo non suppetant vires homini justo; imo posse vitare omnia venialia collective sumpta per aliquod tempus, quia non est necesse, ut homo in omnibus momentis et actionibus committat peccata venialia.

85. Cardo difficultatis. Quaestio ergo est, an homo justus cum gratia ordinaria et auxiliis eam comitantibus possit vitare omnia peccata sive ex genere suo sive ex quocumque capite venialia collective per totam vitam aut per longum tempus, vel ad hoc indigeat aliquo speciali privilegio.

86. THESIS. **Homo justus cum gratia ordinaria et auxiliis eam comitantibus sine speciali privilegio non potest per totam vitam vitare omnia peccata venialia collective.**

Propositio est de fide definita in Concilio Tridentino his verbis: *Si quis dixerit hominem semel justificatum... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, a. s.* [7].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Si per gratiam Dei ordinariam sine spe-

[1] Bulla Leonis X, n. 32; **Denz-Bannw.,** 772.
[2] *Instit.*, lib. 3, c. 14, n. 9.
[3] *Sess.* 6, can. 25; **Denz-Bannw.,** 835.
[4] De Joviniano vide **S. Hieronymum,** *Adv. Jovinianum*, lib. 2, nn. 1 et 18; ML **23,** 295 et 326; et de Joanne Hus confer Concilium Constantiense, *Sess.* 15, n. 16; **Mansi,** 27, 754.
[5] *Sess.* 6, can. 23; **Denz-Bannw.,** 833.
[6] Cfr. **S. Augustinus,** *Contra duas ep. Pelag.*, lib. 1, c. 14; ML **44,** 564.
[7] *Sess.* 6, can. 23; **Denz-Bannw.,** 833.

http://www.obrascatolicas.com

ciali privilegio datum esset hominibus vitare omnia peccata venialia per totam vitam, aliqui sancti, quibus summum studium fuit propria perfectio, de facto ea vitassent. Sed ex sacris litteris constat omnes homines etiam justos saepe peccare venialiter juxta illud S. Joannis: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* [1]. Ergo. Haec verba juxta Concilium Milevitanum II (a. 416) intelligenda sunt non propter humilitatem, sed «quia vere ita est» [2]. Unde *S. Jacobus* ait: *In multis enim offendimus omnes* [3]; et hortamur a Domino, ut in oratione dicamus omnes: *Dimitte nobis debita nostra* [4].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Illud esse consequens video, ut qualemlibet vel quantamlibet in hac vita potuerimus definire justitiam, nullus in ea sit hominum, qui nullum habeat omnino peccatum» [5].

3) *Ex ratione.* In homine justo, qui non fuerit speciali privilegio munitus, non ligatur nec extinguitur appetitus sensitivus et concupiscentia seu fomes peccati. Fomes autem peccati non extinctus nec ligatus fovet innumeros motus contra rationem et legem, quibus praecavendis ac compescendis requiritur perpetua advertentia atque vigilantia ad omnes vitae circumstantias, quae cum gratia ordinaria et auxiliis eam comitantibus est omnino impossibilis. Hinc *S. Thomas:* «In statu autem naturae corruptae... non... potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii; non autem omnes, quia, dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; et etiam, quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos» [6].

Haec dixerim de omnibus omnino peccatis, quae venialia sunt, tam ex genere suo quam ex pravitate materiae et ex imperfecta deliberatione.

Multi tamen defendunt sanctis aliquando datum fuisse, ut cum gratia sanctificante et auxiliis eam comitantibus vitarent diuturno tempore omnia peccata venialia cum perfecta deliberatione. De his loquens ait *S. M. N. Theresia:* «De los veniales estéis con mucho cuidado de no hacerlos: esto de advertencia, que de otra suerte, ¿quién estará sin hacer muchos?... Mas pecado muy de advertencia, por chico que sea, Dios nos libre de él» [7].

87. Scholion I. *An impossibilitas vitandi omnia peccata venialia sit physica vel moralis.*

Clarissimus *Van Noort* haec habet: «Cunctis autem theologis consentientibus, haec impossibilitas non physica est sed moralis» [8].

---

1 *I Joan.*, 1, 8.
2 *Concilium Milev. II*, can. 6; **Denz-Bannw.**, 106.
3 *Jacob.*, 3, 2.
4 *Matth.*, 6, 12.
5 *De spiritu et littera*, c. 36, n. 65; ML **44**, 245.
6 *I-II*, q. 109, a. 8.
7 *Camino de perfección*, c. 41, n. 3.
8 *De gratia Christi*, n. 47. **Beraza** subscribit huic sententiae; *De gratia*, n. 254.

Probabilius tamen mihi videtur hanc impotentiam esse physicam, quia homini justo sine speciali Dei privilegio desunt vires ad vitanda omnia peccata venialia.

Hoc docuisse videtur *S. Thomas*, cum ait: «In statu autem naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc quod omnino a peccato abstineat. Quae quidem sanatio primo fit in praesenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato. Unde Apostolus ad Romanos 7, 25, in persona hominis reparati dicit: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* In quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit, ut supra habitum est, q. 74, a. 5; non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis» [1]. Id ipsum docuit *De veritate*, q. 24, a. 12.

88. Scholion II. *In quo consistat privilegium speciale homini justo necessarium ad vitanda omnia peccata venialia.*

Diversi diversimode hoc explicare conati sunt.

1) Aliqui defenderunt hoc privilegium esse ipsum donum confirmationis. «Haec confirmatio (in bono), ait *Suarez*, idem est cum praedicto privilegio seu gratia speciali» vitandi peccata venialia [2].

Sed haec sententia minime placet. Privilegium siquidem ut tale, non includit confirmationem in bono, nec impotentiam consequentem ad peccandum, ut adstruere nititur *Suarez*. Bene potest aliquis habere privilegium Dei speciale et facultatem vitandi omnia peccata venialia diuturno tempore, quin sit confirmatus in bono, neque praeditus sit impotentia peccandi venialiter. Et de facto Adamus in statu innocentiae habuisse videtur illud privilegium, quin confirmatus fuerit in bono.

2) Alii praefatum privilegium in hoc constituunt, quod hominem per continuam seriem bonarum cogitationum in singulis occasionibus a peccatis venialibus praeservet, quodque ex eo dicitur privilegium, quod in paucis et raro contingat. Ita *Vazquez* [3].

Neque hoc satisfacit. Congruae siquidem cogitationes communicantur homini juxta *Vazquez* in singulis occasionibus, in quibus adest periculum peccandi, et non recipiuntur ut intrinseca dispositio habitualiter in subjecto. Dei autem privilegium, quod exigit Concilium Tridentinum ad vitanda omnia peccata venialia, videtur esse potentia exsistens in anima.

3) Verius ergo dixerim praefatum privilegium esse aliquid intrinsece receptum in anima, quo fomes peccati vel extinguitur vel saltem habitualiter ligatur. Hoc intrinsecum non est forma distincta a gratia habituali sanctificante, sed ipsamet gratia habitualis cum quodam modo extinguens omnino vel ligans fomitem peccati et subjiciens appetitum sensitivum ductui rationis [4].

Ratio est, quia, cum impotentia ad vitanda omnia peccata venialia proveniat in nobis a corruptione appetitus sensualitatis, privilegium, de

---

1 *I-II*, q. 109, a. 8.
2 *De mysteriis Christi*, disp. 4, sect. 4, n. 4.
3 *In I-II*, disp. 189, c. 16, n. 16 sqq.
4 Cfr. **Salmanticenses**, *De gratia*, disp. 2, n. 234.

http://www.obrascatolicas.com

quo agitur, debet sanare corruptionem et conferre participationem modi justitiae originalis. Per gratiam autem sanctificantem cum modo intrinseco, qua extinguitur vel ligatur fomes peccati, participat homo modum justitiae originalis. Ergo. «Sic ergo, ajunt optime *Salmanticenses*, privilegium ad vitanda venialia, quod Deus potest nunc etiam conferre, in eo consistit, quod communicet gratiam cum aliquo modo intrinseco participante modum justitiae originalis. Quem si gratia nostra perfecte omnino participet, auferet inclinationem appetitus ad malum, quod vocant theologi antiqui *extinguere fomitem*. Si autem non ita perfecte participet, impediet saltem, ne in aliquem motum inordinatum prorrumpat, licet habeat inclinationem ad illum; per quod dicunt fomitem ligari» [1].

89. Scholion III. *An cuipiam concessum fuerit privilegium cavendi per totam vitam omnia peccata venialia.*

1) Ecclesia tenet beatissimam Virginem Mariam habuisse hoc speciale Dei privilegium. Nam:

a) Concilium Tridentinum ait: *Si quis hominem semel justificatum dixerit..., posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine Maria tenet Ecclesia, a. s.* [2].

b) Sancti Patres et theologi catholici unanimi consensu docent beatissimam Virginem Mariam fuisse ab omni culpa etiam veniali immunem et ad hoc speciali Dei privilegio fuisse ornatam. Videre possunt *S. Hieronymus, S. Ambrosius* et alii [3]. Unde magnus Ecclesiae Doctor *S. Augustinus* ait: «Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem; unde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum»? [4].

c) Rationem hujus doctrinae affert *S. Thomas* his verbis: «Dicendum, quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei secundum illud *II ad Cor.*, 3, 6: *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*. Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei; et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit *Luc.*, 1, 30: *Invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies*, etc. Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando. Tum quia honor parentum redundat in prolem secundum illud *Prov.*, 17, 6: *Gloria filiorum patres eorum*. Unde et per oppositum ignominia matris ad ipsum redundasset. Tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem *II ad Cor.*, 6, 15: *Quae autem conventio Christi ad Belial?* Tum etiam, quia singulari modo filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, non solum in anima sed etiam in utero. Dicitur autem Sapientiae 1, 4: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Et ideo simpliciter fatendum est, quod beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur *Cant.* 4, 7: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*» [1].

2) Nullus alius praeter beatam Virginem creditur hoc accepisse speciale Dei privilegium, quidquid dixerint *Catharinus* [2] et alii de S. Joanne Baptista. Sancti Patres et doctores catholici nemini hoc tribuerunt privilegium nisi uni beatae Mariae Virgini. Unde *S. Augustinus:* «Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc quod iste dicit, an quod Joannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est?*» [3].

3) Probabile tamen est, et facile admittunt theologi, aliquos fuisse in Ecclesia Dei Sanctos, qui in una materia particulari nullum commiserint peccatum veniale. Sic S. Joseph, sponsus beatae Mariae Virginis, creditur fuisse immunis a peccatis venialibus contra castitatem, et S. Joannes Baptista a peccatis linguae.

QUAESTIO V

DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI IN GENERE

ARTICULUS I

UTRUM GRATIA DEI ACTUALIS CONVENIENTER DIVIDATUR IN SUFFICIENTEM ET EFFICACEM

90. Status quaestionis. 1) Gratia Dei actualis, quaelibet illa sit, dividi solet in *sufficientem* et *efficacem*.

2) Distinctio haec expressis quidem terminis non invenitur in antiquis theologis ante saeculum XVI, re tamen fundatur in Sacra Scriptura, in Sanctis Patribus et in omnibus theologis. Semper enim dictum est quasdam dari nobis gratias, quibus possumus facere bonum salutare et non facimus (sufficientes); et alias, quibus possumus et exsequimur bonum salutare (efficaces). Unde ab omnibus admissa fuit quoad rem distinctio gratiae Dei in sufficientem et efficacem; et, ex quo motae sunt disputationes de auxiliis, evasit celebris.

3) Ut omnia clare procedant, discutere hic oportet, an conveniens fuerit haec divisio.

---

[1] *De gratia*, disp. 2, n. 234.

[2] *Sess.* 6, can. 23; **Denz-Bannw.**, 833.

[3] **S. Hieronymus,** *In Ecclesiastem*, c. 10; ML **23,** 1154; **S. Ambrosius,** *Ps.* 118, serm. 22, n. 30; ML **15,** 1599.

[4] *De natura et gratia*, c. 36; ML **44,** 267. Non sine admiratione vidimus hanc eamdem doctrinam in Alcorano confirmari. *Sura* 3, n. 36 sqq.

[1] *III p.*, q. 27, a. 4.

[2] *De eximia praedestinatione Christi*, lib. 2.

[3] *De natura et gratia*, c. 36; ML **44,** 267.

http://www.obrascatolicas.com

91. Error. 1) Novatores in synodo dordracena statuerunt: «Distinctio gratiae in sufficientem et efficacem minime nobis probatur. Retineant eam sibi *Bellarminus* et *Arminius:* quoscumque enim Spiritus Sanctus trahit, illis non tantum dat posse currere, sed etiam ut reipsa currant».

2) Aliis quoque haereticis displicuit haec distinctio, sed frustra.

92. THESIS. **Gratia Dei actualis convenienter dividitur a theologis in sufficientem et efficacem.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus* hanc duplicem gratiam admittit, quando unam dicit fuisse concessam Adamo, qui peccavit, et alteram nobis, qui justificamur. «Prima est enim, inquit, qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec *illa* quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii; quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium, si vellet, desereret. *Haec* autem tanto major est, ut parum sit homini reparare perditam libertatem; parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi efficiatur, ut velit... Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum *posse*, quod volumus, verum etiam *velle*, quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque, ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat, ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiae, sine quo id omnino non posset; et acceperat posse, si vellet; sed non habuit velle, quod posset; nam, si habuisset, perseveraret. Posset enim perseverare, si vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut et bene velle posset et male... Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium, quo aliquid fit» [1].

Alibi expressius: «Vocat enim Deus praedestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra praedestinati unici Filii sui, *non ea vocatione*, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione et judaei vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, et gentes, quibus crucifixus stultitia est; sed *ea vocatione* praedestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens *I Cor.*, 1. Ipsis autem vocatis judaeis atque graecis praedicare se Christum Dei virtutem et Dei sapientiam... Quam vocationem significans ait *Rom.*, 9, 12: *Non ex operibus sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.* Numquid dixit: *Non ex operibus sed ex credente?* Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut totum daret Deo. Dixit ergo: Sed ex vocante, non quacumque vocatione, sed quia vocatione fit credens» [2].

Duplex igitur juxta S. *Augustinum* est gratia; *una*, qua potuit Adamus permanere in bono, et qua vocati sunt judaei atque gentiles ad gratiam; *altera*, qua volumus et facimus bonum salutare et qua vocati

1 *De correptione et gratia*, c. 11, n. 31; ML **44**, 935.
2 *De praedestinatione sanctorum*, c. 16, n. 32; ML **44**, 983.

sunt praedestinati ad gratiam et gloriam. Prima est *gratia sufficiens*, altera *gratia efficax.*

2) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae. Angelicus Doctor* diserte hoc probat dicens: «Deinde, cum dicit: *secundum donum gratiae Dei*, tangit (Apostolus) auxilium sibi praestitum ad mysteriorum executionem. Hujusmodi autem auxilium duplex fuit; unum quidem ipsa facultas exsequendi; aliud ipsa operatio sive actualitas. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum; sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis interius movendo et instigando ad bonum. Et ideo hoc accipiens Apostolus a Deo dicit quantum ad primum: *Factus sum minister*, sed certe non meis meritis, nec virtute propria, sed *secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi*, qua scilicet idoneus efficior ad executionem divinorum mysteriorum... Quantum ad secundum virtus ejus operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate» [1].

3) *Ex ratione theologica.* Gratia Dei *sufficiens* est, quae confert homini potestatem faciendi bonum salutare, etiamsi non agat; cuique voluntas potest resistere, imo et aliquando resistit. Gratia vero *efficax* est, quae confert ipsum facere bonum salutare, cuique liberum arbitrium potest resistere, nunquam tamen resistit [2]. Sed in Sacra Scriptura, in SS. Patribus et in theologia christiana saepe fit mentio hujus duplicis gratiae, quarum una dat posse facere et altera ipsum facere actus salutares. Ergo gratia Dei actualis convenienter dividitur in sufficientem et efficacem.

a) *In Sacra Scriptura. Jerusalem, Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* [3]. *Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret* [4]. En gratia sufficiens, qua potuit homo operari bonum salutare et non fecit. Alibi vero: *Sicut divisiones aquarum ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud* [5]. *Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini* [6]. En gratia efficax, qua potuit fieri et factum est bonum salutare.

b) *In conciliis.* Concilium Arausicanum II: «Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, *possint* et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere» [7]. Et Concilium Tridentinum docet omnia Dei praecepta homini justificato esse possibilia. Cum autem justi non semel transgrediantur Dei praecepta, sequitur Deum conferre hominibus gratiam, qua possunt facere actus salutares et non faciunt. E contra Concilium Vaticanum ait: «Fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus

1 *Ad Ephes.*, 3, lect. 2.
2 Cfr. **N. del Prado,** *De gratia et libero arbitrio*, p. 2, c. 1, § 2, concl. 1.
3 *Matth.*, 23, 37.
4 *Prov.*, 1, 24.
5 *Prov.*, 21, 1.
6 *Ezech.*, 36, 27.
7 *De peccato orig., gratia, praed.;* **Denz-Bannw.,** 200.

http://www.obrascatolicas.com

est opus ad salutem pertinens; quo homo *liberam* praestat ipsi Deo obedientiam gratiae ejus, *cui resistere posset*, consentiendo et cooperando» [1]. Haec est gratia efficax, qua libere homo facit bonum salutare.

c) *In SS. Patribus.* Vidimus superius in argumento primo, quomodo *S. Augustinus*, Doctor gratiae, admiserit in Adamo gratiam, qua poterat adimplere praecepta Domini atque conservare justitiam, et in nobis gratiam validiorem, qua exsequimur actus salutares.

d) *In theologia christiana.* Veteres theologi, *Alensis, S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, S. Thomas* et alii, doctrinam S. Scripturae et SS. Patrum sequuti, distinctionem inter gratiam, quae dat posse, et gratiam, quae dat ipsum facere bonum salutare, eo etiam sensu, quo nos eam usurpamus, diserte posuerunt. Ex saeculo autem XVI omnes theologi distinctionem gratiae sufficientis et efficacis nominatim adhibuerunt. Unde merito ait *Alvarez:* «Necessario distinguendum est duplex Dei adjutorium sive auxilium gratiae; aliud *sufficiens*, quo homo potest ad Deum converti vel pie operari, aliud *efficax*, quo Deus efficit, ut actualiter convertatur et pie operetur» [2].

ARTICULUS II

DE MUTUO RESPECTU INTER GRATIAM SUFFICIENTEM ET EFFICACEM

93. Status quaestionis. Natura et vires gratiae tum sufficientis tum efficacis melius nobis innotescunt ex mutuo respectu, quem utraque inter se dicit. Mutuo enim gratia sufficiens et gratia efficax sese explicant. Statuenda igitur est inter utramque comparatio.

94. THESIS. **Gratia Dei sufficiens est multiplex, et sufficiens pro uno actu potest esse efficax pro altero.**

Pars 1.ª Cum gratia sufficiens conferat nobis potestatem faciendi actus salutares, tot oportet esse genera auxiliorum Dei, quot sunt genera actuum salutarium. Porro actus salutares sunt multiplicis generis; dantur enim sanctae cogitationes, quae praecedunt fidem, fides ipsa, pii affectus voluntatis, consideratio poenarum inferni, dolor peccatorum commissorum, actus meritorii, etc. Unde Deus per gratias sufficientes uno modo influit in infideles, ut credant; alio modo in peccatores credentes, ut justificentur; et alio modo in justos, ut perseverent.

Pars 2.ª Inter gratias sufficientes et efficaces hoc notatur speciale, quod gratia sufficiens pro uno actu potest esse efficax pro actu inferiori, quia auxilium quod dat homini potestatem faciendi actus superiores, confert, decreto Dei absoluto interveniente, ipsum agere operum inferiorum. Egregie hoc explicat gravissimus *P. Lemos* dicens: «Omne auxilium *sufficiens* comparatione unius actus, semper est efficax ratione alterius, ad quem efficiendum ex absoluto et efficaci decreto voluntatis

1 *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.**, 1791.
2 *De auxiliis*, disp. 122, n. 14.

divinae ordinatur... Auxilium *sufficiens* ad credendum, *efficax* est respectu quarumdam piarum cogitationum et notitiam credendorum, quas efficaciter in homine efficit, quae actum credendi antecedunt. Similiter auxilium *sufficiens* ad contritionem, efficax est comparatione aliorum actuum imperfectorum, quos in homine efficaciter producit: quales sunt consideratio inferni poenarum, turpitudinis peccati, timoris inferni, attritionis et similium, qui regulariter essentialem contritionem antecedunt... Insuper idem habitus est simul sufficiens in ordine ad unum effectum, et efficax in ordine ad alium; etenim habitus gratiae efficaciter animam sanat atque justificat; et simul est sufficiens radix comparatione actus meritorii... Eadem ratione idem auxilium actuale poterit simul esse auxilium sufficiens comparatione unius effectus, et efficax respectu alterius» [1]. Idem repetunt *Alvarez, Medina* et alii [2].

95. Corollarium. «Justificatio Christi influit in justificationem omnium hominum quantum ad sufficientiam, licet quantum *ad efficientiam* influat in solos fideles. Unde dicitur *I Tim.*, 4, 10: *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium*».

Cur autem haec Christi justificatio non perveniat efficaciter ad omnes homines, optime explicat *Angelicus* dicens: «Meritum Christi quantum ad *sufficientiam* aequaliter se habet ad omnes, non autem quantum ad *efficaciam:* quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur, quibusdam vero juste judicio subtrahitur» [3].

96. Scholion. Schola thomistica diserte adserit atque probat distinctionem gratiae actualis in sufficientem et efficacem fundari in distinctione voluntatis Dei in *antecedentem* et *consequentem.*

Voluntas Dei *antecedens*, sicut alibi docuimus [4], illa dicitur, qua Deus vult aliquid absolute in se consideratum, praecisis adjunctis et circumstantiis quibus vestitur. Voluntas *consequens* est, qua Deus vult aliquid in concreto quibusdam adjunctis et circumstantiis vestitum, ut Petrum qua peccatorem vult perire.

Hinc dupliciter ordinantur homines ad vitam aeternam: 1) *secundum primam et absolutam eorum considerationem*, prout exeunt e manu Creatoris; et hoc pacto vult Deus omnes homines salvos facere voluntate antecedente sincera; et non desinit eos locupletare gratia sufficiente; 2) *secundum ordinem praedestinationis*, prout absolute electi sunt ad vitam aeternam; et hoc modo vult Deus omnes praedestinatos salvare voluntate consequente, et auget atque movet eos in vitam aeternam gratia sua efficaci. Unde intime connectitur gratia sufficiens cum voluntate Dei antecedente, sicut connectitur gratia efficax cum voluntate ejus consequente.

1 *Panoplia gratiae*, lib. 4, p. 2, tr. 3, c. 7.
2 **Alvarez,** *De auxiliis div. gr.*, disp. 80, n. 2; **Medina,** *In I-II*, q. 109, a. 10.
3 *De veritate*, q. 29, a. 7 ad 4.
4 *De Deo uno*, n. 351.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS III

AN GRATIA SUFFICIENS ET EFFICAX REALITER DISTINGUANTUR

97. Status quaestionis. Sensus quaestionis facile exponitur.

Discutiendum hic venit, an una gratia sufficiens dividatur in efficacem et inefficacem, vel e contra, an gratia Dei praeveniens dividatur in sufficientem et efficacem ut in duo membra distincta, adeo ut in gratia efficaci sit intrinsece aliqua virtus, quae desit gratiae sufficienti.

Supponimus, ut certum, gratiam efficacem distingui a sufficienti in ratione doni et beneficii, quia *ipsum operari*, quod confertur per gratiam efficacem, est proculdubio majus beneficium, quam *posse operari*, quod datur per gratiam sufficientem.

98. Placita theologorum. 1) Prima sententia est *Molinae*, qui ait: «Quo fit, ut divisio sufficientis auxilii in efficacem et inefficacem, nostra sententia, ab effectu, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficiens, sive majus sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur... illud vero inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur, cum tamen potuerit converti» [1]. In hac sententia gratia sufficiens dividitur in efficacem et inefficacem, et gratia efficax est revera sufficiens.

2) Altera sententia docet gratiam Dei praevenientem dividi in sufficientem et efficacem, ac consequenter gratiam efficacem distingui a sufficiente per aliquam virtutem intrinsecam. Ita thomistae communiter.

99. THESIS. **Gratia sufficiens et efficax realiter distinguuntur ut partes gratiae praevenientis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Veritas hujus theseos patet ex illo classico textu S. Scripturae: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* [2]. Hic satis docemur neminem posse sibi gloriari, quod se discernat ab injustis, sed hoc discrimen esse gratiae tribuendum. Sed, si unica gratia sufficiens est efficax vel inefficax, prout homo consentit vel dissentit illi, discrimen tribuendum erit homini consentienti, et homo jure poterit sibi gloriari de consensu gratiae praestito. Ergo.

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Cum enim homo, ait *Angelicus*, habeat potentiam ad opposita, puta ad sedendum vel non sedendum, oportet, quod reducatur in actum per aliquid aliud. Reducitur autem in actum alterius horum per consilium, ex quo unum oppositorum praeelegit alteri. Sed cum iterum homo habeat potentiam consiliandi vel non consiliandi, oportebit esse aliquod, per quod reducatur in actum consilii, et cum in hoc non sit procedere in infinitum, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius homine, quod ipsum moveat ad consiliandum, et hoc non est aliud quam Deus. Sic igitur ipse usus gratiae est a Deo» [3]. Nemo negaverit potentiam agendi in hoc textu esse gratiam sufficientem, et nihilominus S. Doctor exigit aliud principium extrinsecum, nempe Deum, ut cum gratia efficaci illam potentiam seu gratiam sufficientem reducat in actum. Ergo gratia efficax non est membrum gratiae sufficientis, sed dividitur contra eam.

[1] *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 40; § «Antequam» (ed. Lethieleux, 1876, p. 230).
[2] *I Cor.*, 4, 7.
[3] *Rom.*, 9, lect. 3, «Alio modo».

QUAESTIO VI

DE GRATIA ACTUALI SUFFICIENTE

ARTICULUS I

UTRUM DETUR GRATIA SOLUMMODO SUFFICIENS GRATIAE EFFICACI NON CONJUNCTA

100. Status quaestionis. 1) Gratia sufficiens est, ut diximus, *auxilium quod tribuit homini facultatem ad faciendum aliquod opus supernaturale.* Dicitur: a) *auxilium*, ut innuatur gratiam sufficientem esse adjutorium actuale potentiis animae superadditum; b) *quod tribuit homini facultatem*, quia revera dat homini vires expeditas, ut, si velit, actus salutares efficiat; c) *ad faciendum aliquod opus supernaturale*, quia elevat hominem ad exequendos actus supernaturales.

2) Haec gratia potest esse *proxime* vel *remote* sufficiens. Dicitur proxime sufficiens, quando confert potentiis animae vires satis expeditas ad immediate operandum; remote sufficiens est, quando confert animae vires expeditas ad unum actum, qui vicissim sit praeparatio ad alium actum, ad quem gratia dicitur remote sufficiens, sicut gratia proxime sufficiens ad attritionem est remote sufficiens ad contritionem.

3) Dupliciter potest gratia sufficiens spectari: a) conjuncta gratiae efficaci in subjecto bene operanti; b) separata a gratia efficaci, quatenus est solummodo et pure sufficiens.

4) Compertum est gratiam sufficientem esse de facto gratiae efficaci conjunctam in iis, qui actus supernaturales exercent, quia de actu ad sufficientiam sicut et de facto ad potentiam valet consequentia.

5) Quaestio est, an aliquando detur gratia vere et solummodo sufficiens, quae conferat homini vires adaequatas ad actus supernaturales, et sit solummodo sufficiens a gratia efficaci sejuncta.

101. Error. *Lutherus, Calvinus, Bajus, Jansenius* [1] et alii docentes hominem lapsum, utpote libertate arbitrii carentem, necessitari a gratia, impugnarunt exsistentiam gratiae sufficientis, quae simul non sit efficax vel efficaci conjuncta.

Imo jansenistae hanc gratiam sufficientem irridebant dicentes: «A gratia sufficiente libera nos, Domine» [2].

[1] **Lutherus,** *De servo arbitrio*, § «Quid si»; **Calvinus,** *Institutiones*, lib. 2, c. 3, n. 5; **Bajus,** prop. 28 sqq.; **Jansenius,** *De gratia Christi*, lib. 3, c. 1.
[2] **Denz-Bannw.,** 1296.

http://www.obrascatolicas.com

102. THESIS. **Datur aliquando homini gratia actualis vere et positive sufficiens ad actus supernaturales, quae sit mere sufficiens et non conjungatur gratiae efficaci.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Saepe Deus in sacris litteris conqueritur, quod homines vocationem ejus despexerint: *Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit, qui adspiceret* [1].—*Jerusalem, Jerusalem..., quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti* [2].

b) Hortamur aliquando, ne gratiae Dei obstaculum apponamus: *Spiritum nolite extinguere* [3].—*Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* [4].

c) Stephanus increpabat judaeos dicens: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis* [5].

In his textibus vocatio, extensio manus, adjutorium Spiritus Sancti, exhortationes, etc., sunt proculdubio gratiae Dei positivae, sed non fuerunt efficaces, quia effectu caruerunt propter resistentiam hominum. Ergo fuerunt gratiae sufficientes.

2) *Ex conciliis.* Concilium Arausicanum II ait: «Secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere» [6]. Ex quo sic formatur argumentum: omnes baptizati habent gratiam vere sufficientem, qua possunt, si velint, adimplere praecepta, quae ad salutem pertinent. Sed non omnes baptizati habent gratiam efficacem ad adimplenda praecepta, ut constat ex innumeris transgressionibus, quas committunt. Ergo datur aliquibus gratia sufficiens, quae non sit efficax nec efficaci conjuncta.

3) *Ex SS. Patribus. S. Irenaeus:* «Qui illud (bonum) non operantur, judicium justum excipiunt Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud» [7].

S. Augustinus: «Ex eo igitur, quod non accepit, nullus reus est; ex eo vero, quod non facit, quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit, et voluntatem liberam et sufficientissimam facultatem» [8].

4) *Ex ratione.* Possunt homines saepe opera salutaria exercere et non exercent. Sed facultas, qua homines possunt opera salutaria exercere et non exercent, est gratia mere sufficiens non conjuncta efficaci. Ergo. **Major** probatur, quia plures homines peccant et damnantur. Nemo autem peccat vel damnatur omittendo actus, quos elicere non potest. Ergo.

---

1 *Prov.*, 1, 24.
2 *Matth.*, 23, 37.
3 *I Thes.*, 5, 19.
4 *II Cor.*, 6, 1.
5 *Act.*, 7, 51.
6 *De peccato orig., gratia, praedest.*, **Denz-Bannw.**, 200.
7 *Adv. haer.*, lib. 4, c. 37, n. 1; MG 7, 1100.
8 *De lib. arb.*, lib. 3, c. 16; ML 32, 1293.

Enodantur difficultates.

103. Obj. 1.° Potestas ad agendum non venit nisi a gratia efficaci juxta illud effatum Domini: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* [1]. Sed Pater trahit quemque gratia efficaci. Ergo.

Resp.—Neg. maj. Ad textum S. Scripturae dicendum est duplicem dari potestatem ad agendum, antecedentem et consequentem. Potestas antecedens, quae provenit a gratia sufficiente, est proprie potentia et virtus operativa, et indiget reduci ad actum per cooperationem voluntatis et auxilium gratiae efficacis. Potestas consequens, quae provenit a gratia efficaci, non est tam potentia quam actio seu reductio potentiae exsistentis ad actum. Ideo gratia sufficiens confert homini potestatem antecedentem seu veram virtutem operativam, quae est simpliciter potentia; gratia vero efficax dat eidem potentiam consequentem, quae est applicatio potentiae antecedentis, et infallibiliter conjungitur actui. De hac potentia consequente, quae infallibiliter conjungitur actui, loquitur Dominus, quando docet neminem posse ad se venire, nisi Pater traxerit eum.

Obj. 2.° Gratia pure sufficiens, gratiae efficaci non conjuncta, est prorsus inutilis, nihil enim efficit nihilque efficere potest. Ergo.

Resp.—Neg. ant. Ad probationem respondetur gratiam pure sufficientem aliquid efficere. Confert enim homini veram et expeditam potestatem ad eliciendos actus supernaturales. Denegatur autem ulterior gratia, qua haec facultas traducatur ad actus, quia voluntas prius natura quam denegatio gratiae efficacis ei resistit. Hinc gratia sufficiens conceditur homini per modum potentiae, et gratia efficax per modum applicationis. Applicatione autem deficiente per resistentiam voluntatis humanae, potest persistere et persistit gratia sufficiens ut beneficium salvificum.

Obj. 3.° Si gratia est causa boni operis, denegatio gratiae erit causa peccati, atque ita Deus, qui denegat gratiam, erit causa peccati.

Resp.—Neg. consequentiam. Non denegatio gratiae sed resistentia voluntatis creatae, quae denegationem gratiae natura praecedit, est causa peccati.

ARTICULUS II

UTRUM GRATIA MERE SUFFICIENS SIT VERUM DEI BENEFICIUM

104. Status quaestionis. In gratia mere sufficiente possumus duo considerare: 1) id, quo gratia est auxilium sufficiens, quodque provenit a Deo; 2) id, quo gratia remaneat in mere sufficienti, quod provenit a libera voluntatis resistentia.

Quaerimus, an gratia mere sufficiens, quatenus importat auxilium supernaturale, sit beneficium Dei.

105. Error. 1) *Jansenius* ajebat: «Illud a recentioribus prolatum gratiae sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum est aut fiet unquam, si est verum distinctumque a gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiae, solummodo peccatis faciendis majorique damnationi accersendae serviens, ideoque lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum» [2].

2) *Gerberonius* addidit: «Si diabolus posset gratiam dare, non aliam daret quam sufficientem, quia favet ipsius intentioni homines damnandi; unde potest appellari gratia damnantis».

---

1 *Joan.*, 6, 44.
2 *De gratia Christi*, lib. 3, c. 3; § «Jam vero».

http://www.obrascatolicas.com

106. THESIS. **Gratia sufficiens ex ea parte, qua dicit potentiam, est magnum Dei beneficium, utile hominibus.**

Pars I. *Gratia sufficiens est magnum Dei beneficium.* Gratia siquidem sufficiens confert homini veram potentiam et facultatem eliciendi actus salutares. Facultas autem eliciendi hujusmodi actus, ad quos homo ex natura sua caret viribus, est proculdubio magnum Dei beneficium. Ergo.

Pars II. *Est beneficium utile hominibus.* Gratia sufficiens ex intrinseca sua natura est auxilium supernaturale, et praestat homini vires adaequatas actui supernaturali. Quis autem audeat dicere hoc non esse utile homini? Unde Alexander VIII die 7 Dec. 1690 damnavit sequentem Jansenii propositionem: «Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: a gratia sufficienti libera nos, Domine» [1].

ARTICULUS III

UTRUM GRATIA PROXIME SUFFICIENS ITA DICATUR SUFFICIENS, UT VOLUNTAS PER IPSAM ELEVATA SINE ALIO AUXILIO EXEAT IN ACTUM, VEL E CONTRA INDIGEAT VALIDIORI AUXILIO QUOD EAM E STATU POTENTIALITATIS AD ACTUM SALUTAREM TRADUCAT

107. Status quaestionis. Gratia proxime sufficiens confert homini, ut diximus, potentiam completam ac expeditam ad agendum in ordine supernaturali, et constituit eum aptum ad eliciendos actus salutares, sicut homo ante receptionem motionis divinae ex sua natura est aptus ad eliciendos actus naturales. Sed quaestio est in scholis agitata, an voluntas humana per hanc gratiam sufficientem elevata sine validiori auxilio de facto efficiat opera supernaturalia in actu secundo, vel indigeat applicatione gratiae validioris, ut a potentialitate reducatur in actum, sicut homo, habens vires sufficientes ad operandum, indiget concursu Dei generali, ut operetur in actu secundo.

108. Placita theologorum. 1) *Molinistae* generatim docent gratiam proxime sufficientem conferre voluntati sufficientiam non solum *ad posse*, sed etiam immediate *ad agere*, et voluntatem posse, si velit, cum hac gratia sine validiori auxilio exercere opera supernaturalia in actu secundo [2].

2) *Patres augustiniani* dicunt gratiam actualem esse delectationem quamdam caelestem. Delectatio autem potest esse duplex; una gradibus inferior delectatione terrena, et vocatur gratia *parva, victa, sufficiens;* altera gradibus major seu validior delectatione terrena, et dicitur *magna, victrix, efficax*. Prima dat posse agere, et indiget auxilio gratiae validioris ad actum secundum, et est *sufficiens;* altera dat ipsum agere, et est *efficax. Cl. Berti* defendit hanc sententiam dicens: «Constat omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria sufficientem..., id est, non efficere actus salutares propter obicem carnalis et robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare, si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix, quae a nullo duro corde respuitur, et hanc nos dicimus esse gratiam efficacem» [1].

3) *Thomistae* defendunt gratiam proxime sufficientem dare voluntati potentiam completam et expeditam ad agendum, hominemque constituere operibus supernaturalibus exercendis aptum, sed, ut in actu secundo opera salutaria exerceat, indigere gratia efficaci per modum applicationis, sicut causae secundae, quantumvis aptae ad operationem, indigent motione causae primae, ut actu operentur. Gratia autem efficax offertur omnibus gratia sufficiente auctis, et nunquam subtrahitur nisi voluntas gratiae sufficienti resistat. *Lemos* ad rem: «Ista igitur instantia rationis distinguenda sunt: Primo Deus dat auxilium sufficiens; secundo in collatione sufficientis auxilium efficax homini offert; tertio homo sua prava voluntate sufficienti resistit; quarto in poenam ob talem culpam Deus hominem privat efficaci» [2].

109. THESIS. **Gratia proxime sufficiens dat voluntati posse agere; voluntas tamen per eam solum nunquam de facto exercet opera salutaria, sed ad hoc indiget auxilio gratiae efficacis, quod omnibus a Deo offertur, et nemini subtrahitur nisi ob culpam.**

Arg. Gratia sufficiens, quantumvis proxima, conferens homini potestatem operandi, est ex se indifferens, et constituit hominem capacem exercendi opera supernaturalia in actu primo, non tamen dat ipsum agere. Porro actus secundus, cum sit quoddam ens a qualibet potentia distinctum, Deo ut auctori principali tribui debet. Non potest autem Deo tribui ob concursum generalem homini praestitum, quia est ordinis supernaturalis; neque ob gratiam sufficientem homini concessam, quia, ut diximus, gratia sufficiens non dat operari. Ergo tribuitur Deo ob gratiam efficacem, qua libere movet voluntatem humanam.

ARTICULUS IV

UTRUM DEUS NON SOLUM PRAEPARET SED ETIAM OFFERAT OMNIBUS HOMINIBUS AUXILIA SUFFICIENTIA AD SALUTEM

110. Status quaestionis. 1) Auxilia possunt esse proxime vel remote sufficientia ad salutem, prout conferunt homini vires immediate vel mediate sufficientes ad gratiam habitualem et amicitiam Dei consequendam.

2) Auxilium Dei sufficiens potest esse oblatum vel collatum. Auxilium oblatum est, quod a Deo praeparatur et alicui offertur. Collatum dicitur quod de facto homini datur.

3) Ex auxiliis ad salutem sufficientibus, *alia* sunt proxime applicabilia, quibus nihil obstat, quominus subjecto applicentur, ut sacramentum poenitentiae pro homine catholico; *alia* remote applicabilia, quorum usui obstat aliquod impedimentum, ut baptismus pro pueris in utero materno decedentibus.

4) Deus voluntate antecedente et sincera vult omnes homines sal-

---

1 *Prop.* 6; **Denz-Bannw.**, 1296.
2 Cfr. **Sola**, *De gratia Christi*, th. 14.

1 *De theol. discipl.*, lib. 14, c. 8, n. 5.
2 *Panoplia gratiae*, lib. 4, tr. 3, c. 6, n. 78.

http://www.obrascatolicas.com

vos fieri, et vi hujus voluntatis debuit praeparare omnibus auxilia ad salutem sufficientia. Quae sunt haec auxilia?

5) Duo hic suppetunt disputanda: a) an Deus omnibus hominibus praeparaverit auxilia ad salutem sufficientia; b) an etiam omnibus ea de facto offerat.

111. Error. Quidam haeretici docuerunt Christum Dominum non fuisse mortuum neque orasse nisi pro solis electis, et ideo solis electis praeparasse media ad salutem sufficientia. Ita *Jansenius* [1] et alii.

112. Opinio quorumdam. Aliqui boni nominis theologi, admittentes, ut par est, Deum velle omnes homines salvos fieri, ab hac voluntate exceperunt parvulos sine baptismo in utero materno morientes, et dixerunt his pueris nullum auxilium vere sufficiens fuisse a Deo praeparatum. Ita *Lemos, Vazquez* et alii [2].

113. Vera sententia. Verius docent theologi Deum, vi suae voluntatis salvificae praeparasse et obtulisse omnibus et singulis hominibus auxilia ad salutem sufficientia [3].

114. THESIS. **Deus virtute suae voluntatis salvificae omnibus omnino singulisque hominibus praeparat et offert auxilia proxime vel remote sufficientia ad salutem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Primum auxilium abunde sufficiens, quod Deus praeparavit et obtulit omnibus singulisque hominibus, fuit certe oratio et mors Christi, cujus merita atque satisfactiones fuerunt infiniti valoris. Unde Apostolus: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* [4]. *Pro omnibus mortuus est Christus* [5]. Quis crediderit unquam vel Christum non fuisse mortuum pro omnibus, vel ejus mortem non fuisse remedium sufficiens? «Dominus noster, inquit *S. Leo*, peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit».

Objicies. Sanguis Jesu Christi fusus est *pro multis* non pro omnibus juxta illud Salvatoris: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* [6]. Et Christus non pro omnibus oravit, ut ipse diserte adseruit dicens: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt* [7]. Ergo corruit argumentum propositum.

Resp.—Neg. ant. Ad probationem: 1) In verbis Christi particula *pro multis* idem significat ac pro omnibus. Caeterum *Angelicus Doctor* exponit locum *pro multis* et *pro omnibus*. «Quia, si consideretur sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed et pro totius mundi. Sed, si consideremus effectum, non habet effectum nisi in his, qui salvantur, et hoc ex culpa hominum» [8].

2) Christus oravit non pro mundo sed pro discipulis oratione speciali

---

1 *De gratia Christi*, lib. 3, c. 21; et lib. 9, 10.

2 **Lemos,** *Panoplia*, t. 2, tr. 4, de reprobatione, c. 21; **Vazquez,** *In I p.*, disp. 96.

3 Cfr. **Alensis,** *III p.*, q. 61, m. 5, a. 3; **Ferrariensis,** *Contra Gentiles*, lib. 3, c. 159, *Ad hujus evidentiam;* **Medina,** *In I-II*, q. 109, a. 10; **S. Bellarminus,** *De gratia et lib. arb.*, lib. 2, c. 7; **Goudin,** *De gratia*, q. 5, a. 3, § 4.

4 *Rom.*, 8, 32.

5 *II Cor.*, 5, 15.

6 *Matth.*, 26, 28.

7 *Joan.*, 17, 9.

8 *In Matth.*, 26, § «Sed est quaestio».

facta in coena, **conc.;** oratione communi facta alibi saepe, **neg.** Christus proculdubio oravit aliquando oratione specialissima pro quibusdam particularibus, praesertim pro discipulis, qui erant Evangelium praedicaturi, sed hoc non obstat, quominus orationes communes crebro fuderit pro omnibus hominibus.

2) Deus vult et potest omnes homines salvos fieri. Qui autem vult et potest omnes salvos fieri, debet media ad hoc apta praeparare ac offerre. Ergo Deus praeparavit atque obtulit omnibus singulisque hominibus auxilia ad salutem sufficientia. Ad rem *Angelicus:* «Deus vult omnes homines salvos fieri: et ideo gratia nulli deest; sed omnibus, quantum in se est, se communicat» [1]. Et alibi: «Christus Jesus est mediator Dei et hominum, non quorumdam, sed inter Deum et omnes homines: et hoc non esset, nisi vellet omnes salvare» [2].

115. *Difficultas de pueris in utero materno vel inter infideles morientibus.* Quaestio ardua hic movetur, quae theologorum ingenia diu torsit.

Unicum remedium, quod pueris in utero materno vel inter infideles decedentibus paratum est, videtur esse baptismus. Baptismus autem non potest eis administrari. Quomodo ergo eis satis provisum est ad salutem?

Resp. I. Infantes usu rationis carentes, utpote actibus liberis exercendis incapaces, ad salutem indigent aliquo remedio extrinseco, quo gratiam sanctificantem accipiant. Remedium in veteri Testamento pro paganis erat remedium naturae, et pro judaeis circumcisio: in novo autem Testamento pro omnibus baptismus valide susceptus.

II. In impossibilitate conferendi baptismum, aliqui excogitarunt alia remedia loco baptismi adhibenda, ut fidem parentum signo externo crucis vel invocatione SS. Trinitatis manifestatam, ablutionem matris, etc., sed haec sunt insufficientia.

Christus, instituendo baptismum, certe praeparavit infantibus remedium ex se sufficiens, et, si revera eis applicatur, certissime providit eorum saluti.

III. Attamen millia infantium decedunt in uteris maternis, quin possibile sit ipsis administrare sacramentum baptismi. Qua ratione potest baptismus dici remedium sufficiens ad salutem pro infantibus, qui absque ulla culpa eo privantur?

1) Aliqui dixerunt his infantibus satis esse provisum, quatenus possunt vel a) recipere baptismum sanguinis, si una cum matre interficerentur pro Christo, vel b) baptizari aqua, si, excisso matris utero, educerentur.

Sed haec solutio non satisfacit.

a) Non quidem possibilitas recipiendi baptismum sanguinis per occisionem infantium una cum matribus in odium Christi, tum quia saepe agitur de matribus, quae penitus ignorant Christum, tum quia occurrunt casus in locis, ubi omnes sunt catholici et carent tyrannide. b) Non possibilitas administrandi baptismum aquae per excissionem uteri materni, quia saepe moriuntur infantes, insciis matribus, et ubi periculum non praevidetur.

2) Alii dixerunt applicationem baptismi nunquam impediri a sola causa physica, sed semper ab aliqua causa libera, plerumque a genitoribus. Unde, si genitores aliaeque personae, quibus vita alicujus infantis interest, periculis non se exponerent, temperantiae aliarumque virtutum regulas observando, Deum saepe deprecando, suoque officio diligenter fungendo, certissime omnes infantes reciperent baptismum, et remedio non frustrarentur.

Neque hoc satisfacit.

Si omnes adulti, praesertim genitores, cognati et fideles, quibus salus infantium interest, in omnibus recte se gererent, certissime plures infantes, qui sine auxilio moriuntur, aquis baptismi lustrarentur; se d,hoc non ob-

---

1 *Ad haebr.*, c. 12, lect. 3.

2 *In ep. I ad Tim.*, c. 2, lect. 1; § «Deinde».

http://www.obrascatolicas.com

stante, prorsus negandum est applicationem baptismi nunquam a causis naturalibus impediri. Quamvis enim omnes genitores forent sancti et omnes personae munere suo recte fungerentur, millies infantes in uteris maternis decederent. Incendia, aegritudines, lapsus aliaque mille mala physica, quae vitari nequeunt, tollit infantes e vita.

3) Haec cum ita sint, aliter oportet explicare sufficientiam hujus remedii, ut dicere possimus infantium saluti satis fuisse provisum.

a) Deus imprimis abunde providit infantium saluti institutione justitiae originalis, quae, si Adamus non peccasset, in omnes posteros generatione naturali pervenisset.

b) At, amissa per Adami peccatum justitia originali, decrevit iterum reparare genus humanum per incarnationem et mortem Christi. Merita et satisfactiones Christi venturi applicabantur infantibus, in veteri Testamento per remedium naturae apud gentiles, et per circumcisionem apud judaeos. Christus vero jam natus, ut sua merita et satisfactiones ad omnes pervenirent, instituit sacramentum baptismi ex se sufficiens, et, si causis externis non impediretur, omnibus applicabile. Voluitque, ut omnibus sine exceptione applicaretur, in quantum ordo causarum mundi patiebatur.

c) Hinc satis a Deo provisum est infantium saluti, primo per institutionem justitiae originalis ex sua natura transmittendae ad Adami posteros; deinde per institutionem remedii naturae ac circumcisionis ante Christum et baptismi post Christum. Quod si haec remedia non possunt aliquando, ordine causarum tum naturalium tum liberarum impediente, infantibus applicari, est extra beneplacitum Dei omnes salvare volentis. «Dicendum, ait *Angelicus*, quod non est ex defectu divinae misericordiae, quod in maternis uteris exsistentibus remedium non exhibeatur, sed quia non sunt capaces illius remedii, per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, a qua est remissio peccatorum; quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiae, per quos talia remedia ministrantur» [1].

ARTICULUS V

UTRUM DEUS CONFERAT OMNIBUS JUSTIS GRATIAM SUFFICIENTEM, UT VERE POSSINT OMNIA PRAECEPTA IMPLERE ET IN ACCEPTA JUSTITIA PERSEVERARE

116. Status quaestionis. Titulus non indiget explicatione. Agimus de hominibus justis, qui gratia sanctificante recreati indigent auxilia actualia, ut praecepta Dei et Ecclesiae, cum urgent, adimplere possint, et sanctitatem adeptam conservare.

117. Errores. 1) *Lutherus* et *Calvinus*, supponentes naturam humanam esse per peccatum Adae intrinsece corruptam, dixerunt divina praecepta, praesertim de Deo super omnia diligendo, et de illicitis non concupiscendis, esse homini impossibilia.

Damnati sunt in Concilio Tridentino, sess. 6, can. 18 [2].

2) *Jansenius* strenue defendit «praecepta quaedam hominibus etiam justis, volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, esse impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant» [3].

---

1 *In IV Sent.*, dist. 6, q. 1, a. 1 ad 1.
2 **Denz-Bannw.**, 828.
3 *Prop. 1* damnata in const. «Cum occasione», 31 Maji 1653; **Denz-Bannw.**, 1092.

118. THESIS. **Deus nunquam denegat justis gratiam proxime vel remote sufficientem, ut praecepta Dei et Ecclesiae, cum urgent, adimplere possint.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus videtur disertis terminis hoc docuisse, cum ait: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* [1].

2) *Ex conciliis.* Concilium Milevitanum II ait: *Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, qua justificatur homo per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quae jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, a. s.* [2].

Eadem habet Concilium Arausicanum II, can. 25 [3].

Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia Dei constituto esse ad observandum impossibilia, a. s.* [4]. «Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur» [5].

3) *Ex SS. Patribus.* Sanctorum Patrum in hac parte una est sententia. Audi unum pro mille *S. Augustinum*, qui ait: «Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiae: curam tui non habebit, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos? Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat et noxia resecat... Dominus curam habet tui, securus esto... Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse» [6]. «Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis» [7].

4) *Ex ratione.* Deus, provisor sapientissimus ac sanctissimus, non potest ea praecipere, quibus adimplendis homini desit gratia.

ARTICULUS VI

UTRUM PECCATORIBUS EXCAECATIS ET INDURATIS CONFERAT DEUS GRATIAM SALTEM REMOTE SUFFICIENTEM AD SALUTEM

119. Status quaestionis. *Excaecatio* proprie significat caecitatem mentis circa ea, quae pertinent ad salutem, et complectitur hebetudinem mentis et perversionem judicii. *Induratio* importat duritiam cordis ortam ex pertinacia voluntatis. Haec induratio major est in damnatis quam in viatoribus. Quare imperfecta est in viatoribus, perfecta in damnatis. Unde *excaecati* et *indurati* dicuntur in theologia illi peccatores,

---

1 *I Cor.*, 10, 13.
2 *Can.* 3; **Denz-Bannw.**, 103.
3 **Denz-Bannw.**, 200.
4 *Sess.* 6, can. 18; **Denz-Bannw.**, 828.
5 *Sess.* 6, c. 11; **Denz-Bannw.**, 804.
6 *Enarrat. in Ps.* 39, n. 27; ML **36**, 450.
7 *De natura et gratia*, c. 43, n. 50; ML **44**, 271.

http://www.obrascatolicas.com

qui vel ob consuetudinem peccandi vel ob studiosam in agendo malitiam firmius peccato quam caeteri homines adhaerent.

Quaeritur hic, an peccatores *excaecati* et *indurati*, dum in terris versantur, accipiant gratias saltem remote sufficientes ad salutem.

120. Error. *Jansenius* docuit peccatoribus excaecatis et induratis in via negari a Deo gratias sufficientes, ut a peccatis resipiscant.

121. Opinio parum probabilis. Aliqui theologi, ut *Banez, Gonet, Godoy* [1] et alii, verbum *dare* dupliciter accipientes, in quantum scilicet potest significare *offerre* vel *conferre*, dixerunt Deum offerre quidem sed non conferre omnibus peccatoribus excaecatis et induratis gratias ad salutem sufficientes.

122. THESIS. **Omnibus peccatoribus etiam excaecatis et induratis confert Deus gratias saltem mediate sufficientes ad salutem.**

Pars 1.ª Confert gratias sufficientes peccatoribus communibus.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae paginae crebro testantur Deum semper quaerere conversionem peccatoris. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat* [2]. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* [3].

2) *Ex conciliis.* Concilium Lateranense IV: «Et, si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari» [4]. Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, a. s.* [5].

3) Communes peccatores, si quando nequeant accedere ad sacramentum poenitentiae, interius saepe moventur a Deo ad contritionem. Ergo recipiunt gratias sufficientes.

Pars 2.ª Confert gratias sufficientes excaecatis et induratis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus hoc expresse docet dicens: *An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei* [6]. Ex hoc constat Deum ad poenitentiam adducere eum etiam, qui secundum duritiam suam et impoenitens cor thesaurizat iram in die irae.

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Ista impoenitentia vel cor impoenitens, quandiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quandiu patientia Dei ad poenitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum ut convertatur et vivat» [1].

3) *Ex Concilio Coloniense I* (a. 1536): «Constat, ait sancta synodus, nulli hominum gratia illa generalius accepta deesse, adeo ut nullus sit peccator tam scelestus, cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat» [2].

4) *Ex ratione.* Rationem hujus doctrinae breviter adducit *Angelicus* his verbis: «Non enim hoc habet ordo divinae justitiae, quod, quandiu aliquis est in via, sibi detur, quod pertinet ad terminum viae» [3].

Solvuntur difficultates.

123. Obj. 1.° De judaeis ait *S. Joannes: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum: ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur et sanem eos* [4]. Ergo judaei non poterant credere, quia excaecati erant ac indurati.

Resp.—Dist. conseq. Non poterant credere, quia erant excaecati ac indurati et nolebant credere, **conc.;** quia erant excaecati solummodo, **neg.** Ad rem *S. Augustinus:* «Quare non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo: quia nolebant» [5].

Obj. 2.° *S. Gregorius:* «Hinc est enim, quod Cain et divina voce admoneri potuit et mutari non potuit, quia exigente culpa malitiae, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat» [6]. Et *S. Isidorus:* «Nonnulli ita despiciuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiamsi velint» [7].

Resp. His et aliis SS. Patrum effatis non significatur totalis gratiae subtractio, sed insignis auxilii diminutio. Mala enim peccatoris voluntate et cordis induratione gratia Dei saepe fit remota.

ARTICULUS VII

UTRUM INFIDELIBUS NEGATIVIS CONCEDANTUR A DEO GRATIAE SALTEM REMOTE AD SALUTEM SUFFICIENTES

124. Status quaestionis. 1) Infideles dicuntur in genere adulti homines, qui usum rationis adepti vera fide carent. Qui nunquam audierunt loqui de vera fide, vocantur infideles *negativi;* qui veram fidem propositam noluerunt acceptare, dicuntur infideles *positivi;* qui fidem semel acceptam reliquerunt, nominantur *apostatae.*

---

[1] **Banez,** *In I p.*, q. 23, a. 3, dub. 3, concl. 5 et 6; **Gonet,** *In I p.*, disp. 5, de reprobatione, a. 5, n. 158 sq.; **Godoy,** *De praedestinatione*, disp. 73, § 4.
[2] *Ezech.*, 33, 11.
[3] *II Petri*, 3, 9.
[4] *Cap. 1 de fide catholica;* **Denz-Bannw.**, 430.
[5] *Sess.* 14, can. 1; **Denz-Bannw.**, 911.
[6] *Rom.*, 2, 4-5.

[1] *Serm.* 71, c. 13, n. 21; ML **38**, 456.
[2] *Enchiridion Christ. inst. tit. de poenit. sacr.*
[3] *Comp. theol.*, c. 145.
[4] *Joann.*, 12, 39-40.
[5] *In Joann.*, tr. 53, n. 6; ML **35**, 1776.
[6] *Moral.*, lib. 11, c. 9 (al. 5); ML **75**, 959.
[7] *Sent.*, lib. 2, c. 15; ML **83**, 618.

http://www.obrascatolicas.com

2) Infideles positivi et apostatae, non minus ac peccatores excaecati, accipiunt proculdubio gratias sufficientes ad salutem. Praedicatio Verbi divini et gratiae interiores, quibus Deus adest omnibus, excitant infideles positivos ad fidem amplectendam, et memoria fidei amissae movet apostatas ad eam recuperandam.

3) Hic agimus de infidelibus negativis, et quaerimus, an et quomodo ipsis conferantur gratiae ad salutem sufficientes.

125. Error. *Jansenius* diserte docuit infidelibus negativis nullum prorsus a Deo concedi auxilium ad salutem sufficiens, et Christum non fuisse pro ipsis mortuum [1]. *Quesnellus* etiam, putans fidem esse primam pro homine gratiam et fontem omnium gratiarum (prop. 27), defendit infideles negativos, qui fide carent, destitutos esse gratiis sufficientibus ad salutem.

126. THESIS. **Deus omnibus et singulis infidelibus negativis confert gratias sufficientes ad salutem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Verbum Dei *erat*, juxta S. Joannem, *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [2]. Ab hac Verbi Dei illuminatione non subtrahuntur infideles negativi. Ad rem *S. Joannes Chrysostomus:* «Illuminat profecto, quantum in ipso est. Si qui vero sponte sua, mentis oculos claudentes hujus lucis radios percipere nolint, non ex lucis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua» [3].

2) *Ex SS. Patribus.* Auctor anonymus operis *De vocatione omnium gentium* ait: «Etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquae nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit..., quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quae desuper omnibus semper hominibus est praebita, non negatur» [4].

127. Scholion I. *An auxilia ad salutem infidelibus negativis praestita, sint naturalia vel supernaturalia.*

Resp. 1) Juxta aliquos bonos theologos infidelibus negativis primo confert Deus auxilia entitative naturalia et quoad modum supernaturalia, et iis, qui legem naturalem servaverint, ex sola sua misericordia concedit gratiam vocationis ad fidem, «ostendendo illis necessaria ad salutem, sive per hominum ministerium, sive per angelum, sive per internam illustrationem» [5].

Haec explicatio non satisfacit.

His enim tantummodo, qui, accepto auxilio entitative naturali, legem naturalem servaverint, promittit gratiam vocationis, dum aliis, qui auxiliis naturalibus non consenserint, nullam gratiam supernaturalem sed auxilia dumtaxat naturalia docet conferri. Ego autem crediderim infideles negativos, quantumvis restiterint auxiliis naturalibus, non omnino destitui gratiis entitative supernaturalibus.

---

1 *De gratia Christi*, lib. 3, c. 11 sq.
2 *Joann.*, 1, 9.
3 *In Joann.*, hom. 8, n. 1; MG **59**, 66.
4 *De vocatione gentium*, lib. 2, c. 17; ML **51**, 704.
5 **Sola,** *De gratia*, n. 306. Cfr. **Suarez,** *De gratia*, lib. 4, c. 15; **Beraza,** *De gratia*, n. 431 sqq.

2) Alii docent infidelibus negativis concedi a Deo gratias supernaturales *proxime* sufficientes ad fidem et justificationem. Ita aliqui apud *Suarez* [1].

Haec sententia magis videtur pia quam vera. Ut doctrina communis theologorum de universali dispensatione gratiae sufficientis ad omnes homines sarta tecta teneatur, non est necessarium, ut gratia *proxime* sufficiens tribuatur omnibus infidelibus negativis; sed satis est, ut gratiae remote sufficientes ipsis conferantur.

3) Alii bene multi contendunt omnibus et singulis infidelibus negativis conferri a Deo gratias supernaturales saltem remote sufficientes ad salutem.

Haec sententia magis mihi probatur. Concilium Tridentinum diserte docet infideles, quando convertuntur, divina gratia prius excitari atque adjuvari, ac deinde fidem ex auditu concipere.

128. Scholion II. *Quomodo infideles negativi recipiant gratias remote sufficientes.*

Pervenimus jam ad punctum difficile quaestionis.

In S. Scriptura declaratum est neminem posse ex adultis ad Deum accedere nec justificari, nisi praecesserit vera fides in Deum ultimum finem et remuneratorem inquirentium ipsum. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [2]. Nemo autem potest credere, nisi factum revelationis cognoscat, quia fides ex auditu [3]. Quomodo ergo infideles negativi, quibus nondum propositum est Evangelium, possunt factum revelationis cognoscere et in Deum remuneratorem se erigere, ut sanctificationis gratiam accipiant?

1) Nonnuli dixerunt Deum satis providisse infidelibus negativis, aperiendo thesauros revelationis, satisfaciendo justitiae divinae per mortem Filii sui, et instituendo sacramenta, quibus merita et satisfactiones Christi possent omnibus applicari, quamvis aliquando nullum remedium ad eos perveniat.

Haec sententia a bonis theologis merito refutatur. Non enim videtur justum quempiam adultum «aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat» [4]. Unde *S. Thomas* expresse admittit infidelitatem negativam posse esse inculpabilem usque ad mortem. «Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum» [5].

2) Alii gratias sufficientes infidelium hoc pacto explicare conantur.

a) Infideles negativi possunt ex ordine hujus universi et ex argumentis naturalibus ostendere exsistentiam Dei. Cognita divini numinis exsistentia, non desunt infidelibus excitationes entitative naturales et quoad modum supernaturales, ut legem naturalem cognoscere et adimplere valeant. Quodsi legem naturalem diu servaverint et viribus na-

---

1 *De praedest.*, lib. 4, c. 3, n. 5.
2 *Hebr.*, 11, 6.
3 *Rom.*, 10, 17.
4 *Pius IX, ep. encycl. ad episcopos Italiae*, 10 Aug. 1863; **Denz-Bannw.,** 1677.
5 *II-II*, q. 10, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

turae fecerint quod potuerint, dicuntur negative dispositi ad gratiam. Cum autem Deus facienti, quod in se est viribus naturae, non deneget gratiam, ex pura Dei misericordia et ob merita Christi vocat eos tempore opportuno ad fidem et gratiam, ostendendo eis quae sunt necessaria ad salutem sive per angelum, sive per praeconem, sive per revelationem. Ita *Suarez, Beraza, Sola* et alii [1].

Duo obstant huic theoriae:

a) Accipit axioma *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam,* de facientibus quod est in se viribus naturae, contra ea, quae diximus superius.

b) Eos, qui non faciunt quod est in se viribus naturae, relinquit in pessima conditione. Nonne infideles negativi, qui cognita Dei exsistentia, legem naturalem servare negligunt, carebunt in perpetuum gratia sufficiente supernaturali? Nescio, an defensores hujus sententiae, dum mitiorem partem eligere contendunt, in infideles negativos nimis se ostendant crudeles.

3) Alii, ut reor, verius defendunt omnes imprimis infideles negativos habere aliquam supremi numinis notitiam, si non scientificam aut revelatam, saltem vulgarem.

Motivis deinde credibilitatis possunt factum revelationis investigare et se instruere de doctrinis a Deo traditis.

Ac denique omnes recipiunt, non quidem semper et omnibus momentis, sed identidem, gratias supernaturales remote saltem sufficientes ad salutem, quae consistunt in internis motionibus, excitationibus, illustrationibus, affectionibus, etc., quae movent infideles ad perfectius Deum cognoscendum et actus honestos firmius eliciendos.

Qui his pulsationibus negligunt obtemperare, vivunt in infidelitate.

Qui autem, internis excitationibus acquiescentes, supremi numinis notitiam accuratius quaerunt, et aliquos actus salutares incipiunt exequi, positive, quamquam remote, sese disponunt ad fidem, et aliquo modo. Deo adjuvante, ea quae sunt ad salutem necessaria operantur. Aliquando eos Deus interius revelationibus illustrat, vel etiam per aliquem divini verbi praeconem aut angelorum ministerium edocet eos necessaria ad vitam, ut proxime tandem dispositi, fidem et gratiam suscipiant.

Concilium Tridentinum confirmare videtur hanc doctrinam dicens: «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum *excitati divina gratia et adjuti,* fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt» [2].

Hanc doctrinam tenent et optimis commentariis illustrant *Salmanticenses* et alii [3].

129. Objectio. *Difficultas tamen non parva* exurgit contra hanc explicationem.

Novimus ex *S. Thoma* [4] dari aliquos infideles, qui inculpabiliter remanent in sua infidelitate per totam vitam, et adserit *Pius IX* [1] aliquos homines invincibili ignorantia laborare circa sanctissimam nostram religionem. Si omnes infideles negativi accipiunt a Deo gratias sufficientes, excitationes nempe internas, illustrationes intellectus et affectus voluntatis, quomodo sunt inculpabiles et ignorantia invincibili laborant per totam vitam?

Utrumque potest optime conciliari, animadvertendo gratias, quae infidelibus conferuntur, non esse plerumque proxime sufficientes ad salutem, sed remote sufficientes. Si quis rejiciat gratias proxime sufficientes, fit quidem culpabilis; sed, si negligat gratias remote ad vitam sufficientes, potest remanere inculpabilis et ignorantia invincibili laborare, quia non praevidet, ne quidem in confuso, negligentiam gratiarum initialium esse causam suae infidelitatis.

Auxilia illa remota, quae tendunt corroborare intellectum et dirigere voluntatem, licet sint in se supernaturalia, illuminant et corroborant plerumque potentias ad actus ex objecto naturales honestos, ut nos etiam saepe movemur gratia supernaturali ad eliciendos actus ex objecto naturales.

Hinc fit, ut infideles negativi, antequam ad fidem proprie dictam vocentur, illustrationes imperfectas et excitationes internas experiantur, sed, cum saepe non satis eis attendant, non fiunt culpabiles suae infidelitatis.

[1] **Suarez,** *De gratia,* lib. 4, c. 13 sqq.; et *De praedestinatione,* lib. 4, c. 3, n. 19; **Beraza,** *De gratia Christi,* n. 435; **Sola,** *De gratia Christi,* n. 306 sqq.

[2] *Sess.* 6, *de justif.,* c. 6; **Denz-Bannw.,** 798.

[3] **Salmanticenses,** *De gratia,* disp. 6, n. 97 sqq.

[4] *II-II,* q. 10, a. 1.

QUAESTIO VII

DE GRATIA EFFICACI ET EJUS INFLUXU IN LIBERUM ARBITRIUM

130. Aggredimur quaestionem difficillimam et varie ab auctoribus exagitatam, in qua agitur de efficacia gratiae et ejus influxu in voluntatem humanam.

Dubia, quae circa influxum gratiae efficacis in liberum hominis arbitrium occurrunt, per varios articulos enucleanda suscipimus.

ARTICULUS I

UTRUM DETUR ALIQUA DEI GRATIA EFFICAX

131. Status quaestionis. 1) Ad praesens quod attinet, sufficit dicere gratiam efficacem esse illam, *quae semper et infallibiliter producit effectum.*

2) Declarandum hic venit, an haec gratia efficax nobis conferatur ad omnes et singulos actus supernaturales efficiendos.

132. Placita theologorum. «Dixerunt ergo aliqui, ait *Suarez,* hoc auxilium efficax non esse necessarium nec dari ad singulos actus supernaturales» [2].

Communiter tamen, praescindendo, sicut nunc praescindimus, a quaestionibus de natura gratiae efficacis, de origine ejus efficaciae, de conditionibus ejus influxus in voluntatem hominis, etc., tenent doctores aliquam gratiam efficacem nobis a Deo conferri ad singulos, quos efficimus, actus supernaturales.

[1] *Ep. encycl. ad episcopos Italiae,* 10 Aug. 1863; **Denz-Bannw.,** 1677.

[2] *De gratia,* lib. 5, c. 2, n. 2.

http://www.obrascatolicas.com

133. THESIS. **Datur gratia efficax, quae a Deo nobis confertur ad singulos, quos efficimus, actus supernaturales.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Isaias ait: *Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?* [1]. Apostolus: *Voluntati enim ejus quis resistit?* [2]. *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* [3]. S. Joannes: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* [4].

2) *Ex conciliis.* Concilium Arausicanum II (a. 529) ait: «Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto» [5].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur» [6]. «Quid mirum est, si per Spiritum Sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent ex malis bona?» [7].

4) *Ex auctoritate S. Thomae. Angelicus Doctor* ita loquitur: «Artifex bene potest adsignare causam, quare lapides quosdam in fundamento, quosdam superius posuit. Sed, quod hunc posuerit hic, alium ibi, non est alia causa nisi voluntas sua. Sic, quod Dominus aliquos salvet, hoc est ad suam misericordiam; quod hos damnet, ad justitiam. Sed quare circa illum sic misericorditer agit, potius quam circa alium, hoc solum pertinet ad suam voluntatem» [8].

5) *Ex ratione.* Necessitas gratiae efficacis Dei ad omnes singulosque actus supernaturales hominis fundatur tum in ratione primi motoris et primae causae, quae Deo non solum in ordine naturali sed etiam in supernaturali convenit, tum in ratione perfectissimae providentiae, qua Deus omnia fortiter in suos fines dirigit. Oportet siquidem, ut primus motor, primaque omnium causa atque provisor universalis, efficaciter influat in omnes, praesertim supernaturales, motus, effectus et ordines creaturarum. Unde actus supernaturales, quibus movemur ad Deum ut auctorem gratiae, producuntur a Deo primo motore, primo agente, primoque provisore universali, efficaciter agente in ordine supernaturali.

---

1 *Is.*, 14, 27.
2 *Rom.*, 9, 19.
3 *Philipp.*, 2, 13.
4 *Joan.*, 6, 44.
5 *Concil. Araus.*, can. 4; **Denz-Bannw.**, 177.
6 *De praedest. sanct.*, c. 8, n. 13; ML **44**, 971.
7 *De gratia et libero arb.*, c. 21, n. 43; ML **44**, 909.
8 *In Matth.*, c. 11, § «Ita Pater».

ARTICULUS II

UTRUM GRATIA DEI EFFICAX TOLLAT OMNINO LIBERTATEM HOMINIS

134. Status quaestionis. 1) Ordo et actiones supernaturales plerumque explicantur ex ordine et actionibus naturalibus. Sicut Deus, prima et principalis causa totius ordinis naturalis, efficaciter influit in causas secundas liberas, et causae secundae liberae agunt sub influxu Dei, ita pariter Deus in ordine gratiae efficaciter influit in voluntatem hominis, et homo per gratiam Dei efficaciter motus elicit actus supernaturales; ita tamen ut Deus et homo, tam in ordine naturae quam in ordine gratiae, sint causae totales in suo genere omnium effectuum, non partiales partialitate causae, ut minus recte docuit *P. Beraza* [1].

2) Homo sub influxu gratiae efficacis est quoddam instrumentum Dei, et qua tale sortitur dependentiam a causa prima principali in eliciendis actibus supernaturalibus, adeo ut effectus supernaturales tribuantur Deo ut causae primae principali, homini vero ut causae secundae tum principali per se agenti tum instrumentali a Deo motae.

3) Porro «instrumentum, ut bene ait *S. Thomas*, non operatur nisi in quantum est motum a principali agente» [2]. «Est ratio instrumenti, in quantum est instrumentum, ut moveat motum. Unde sicut se habet forma completa ad per se agentem, ita se habet motus, quo movetur a principali agente, ad instrumentum» [3].

4) Investigandum est hic, qualis sit influxus gratiae efficacis in voluntatem humanam, et an gratia Dei efficax influens in voluntatem humanam tollat omnino liberum arbitrium; seu, quod idem est, an homo, gratia Dei efficaci motus ad operandum, libere vel necessario agat.

5) Quod ut recte intelligatur, recolenda sunt, quae alibi diximus de libertate hominis ejusque divisione [4].

Libertas hominis est: *Facultas electiva mediorum, servato ordine finis.* Hujusmodi est facultas, quam homo habet ponendi vel non ponendi amorem proximi.

Potest esse *libertas a coactione* et *libertas a necessitate.* Prima importat immunitatem a violentia extrinseca; altera est facultas, qua movemur ad eligendum unum vel alterum.

Libertas a necessitate dividitur in *libertatem specificationis* et in *libertatem exercitii.* Prima est facultas eligendi unum actum vel ejus contrarium, ut amare vel odisse; altera est facultas eligendi unum actum vel ejus omissionem, ut amare vel non amare.

Communiter docent philosophi libertatem specificationis non pertinere ad essentiam libertatis humanae, sed sufficere libertatem exercitii.

6) Oportet, ut voluntas hominis etiam gratia efficaci praemota retineat facultatem ponendi vel omittendi actum, ad quem movetur. Hoc tamen dupliciter intelligi potest, *in sensu* scilicet *diviso* et *in sensu com-*

---

1 *De gratia Christi*, n. 494.
2 *III p.*, q. 62, a. 4.
3 *De veritate*, q. 27, a. 4. Cfr. **Complutenses**, *Physica*, disp. 12, q. 1, n. 7 sqq.
4 *De Deo uno*, n. 341.

http://www.obrascatolicas.com

posito. Dicitur voluntas posse ponere vel omittere actum *in sensu diviso*, quando ita exsequitur unum actum, ut retineat etiam sub ipsa actione facultatem omittendi illum. Et hoc necessario requiritur ad libertatem humanam. Facultas ponendi et omittendi actum *in sensu composito* esset potentia componendi simul actum ejusque omissionem. Et hoc est impossibile. Haec propositio: *Justus gratia Dei efficaci ad bonum motus potest peccare; in sensu diviso* est vera, quia justus sub gratia Dei efficaci bonum operans, retinet potentiam peccandi; *in sensu composito* est falsa, quia justus non potest simul componere actum bonum et ejus omissionem [1].

135. Errores. 1) *Lutherus, Calvinus* et alii novatores docuerunt hominem per peccatum originale penitus amisisse libertatem arbitrii in ordine morali, ac proinde necessitari vel vi concupiscentiae ad malum, ubi non recipit gratiam efficacem, vel influxu Dei physice compellentis voluntatem creatam ad bonum, ubi recipit gratiam efficacem.

2) *Jansenistae* contendunt per gratiam Dei efficacem produci in voluntate delectationem victricem, qua liberum hominis arbitrium praevenitur et voluntas humana necessitatur ad operandum.

136. THESIS I. **Gratia Dei efficax nunquam tollit liberum arbitrium.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In sacris litteris dicitur de justo: *Erit illi gloria aeterna; qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit* [2].

2) *Ex conciliis.* Concilium Tridentinum expresse hoc declaravit dicens: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari adsentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, a. s.* [3]. Rursum: «Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest» [4].

Concilium Vaticanum: «Fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens; quo homo *liberam* praestat ipsi Deo obedientiam gratiae ejus, cui resistere posset consentiendo et cooperando» [5].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Satis me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, et, cum bona fuerit, adjuvatur» [6]. «Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem (*Rom.*, 3, 31), sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur» [7].

1 Cfr. *De Deo uno*, n. 375.
2 *Eccli.*, 31, 10.
3 *Sess.* 6, can. 4; **Denz-Bannw.**, 814.
4 *Sess.* 6, can. 5; **Denz-Bannw.**, 797.
5 *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.**, 1791.
6 *De gratia et lib. arb.*, c. 20; ML **44**, 905.
7 *De spiritu et littera*, c. 30; ML **44**, 233.

S. Anselmus: «Pariter igitur, quamvis necesse sit fieri, quae praesciuntur et praedestinantur, quaedam tamen praescita et praedestinata non eveniunt ea necessitate, qua praecedit rem et facit, sed ea, quae rem sequitur, sicut supra diximus. Non enim ea Deus, quamvis praedestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo; sed in sua illam potestate dimittendo» [1].

4) *Ex ratione theologica.* Deus, cum efficaciter influit in voluntatem hominis, non solum movet eam ad agendum infallibiliter, verum etiam eam suaviter ita mutat, ut voluntas id libere velit, quod Deus efficaciter decernit. Cum enim magis habeat in sua potestate voluntates hominum quam ipsi suas [2], omnipotentissima ac suavissima sua actione adducit hominem quocumque velit, ita tamen ut mutatio ipsa et opera voluntatis sint homini penitus libera. Hinc voluntas humana manet libera sub influxu gratiae Dei efficacis.

Hanc agendi Dei rationem ignorare fingunt omnes adversarii gratiae efficacis, sed in vera theologia nefas est hoc ignorare vel in his materiis tractandis praetermittere.

137. THESIS II. **Gratia Dei efficax praevenit, sanat, praeparat et applicat voluntatem hominis liberam ad actus salutares.**

1) *Gratia Dei efficax praevenit* voluntatem hominis liberam non solum «sicut lux praevenit visionem, vocatio auditionem, medicina sanitatem», sed modo magis interno, voluntatem scilicet ac cor nostrum, quocumque velit, vertendo. Hanc praevenientem Dei actionem in corda hominum eo probat *S. Augustinus*, quod «gratias ei non immerito agamus de iis, quibus non ei credentibus et ejus doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam praerogavit, eosque ad se ipsum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit» [3]. «Legant ergo et intelligant, ajebat idem S. Doctor..., non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates» [4].

Illud etiam persuasum habent theologi, quod gratia Dei efficax non solum praevenit voluntatem hominis in initio operis, sed etiam in executione eam semper movet actione praeveniente.

2) *Sanat* liberam hominis voluntatem, quatenus liberat eam a servitute peccati. Qui servus est peccati, non potest se jactare de libero arbitrio, quia, ut ait S. Petrus: *A quo enim quis superatus est, hujus et servus est* [5]. Sed ex quo per gratiam Dei peccator convertitur, liber est. Unde liberum arbitrium per gratiam Dei efficacem non aufertur, «sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum» [6]. «Haec enim voluntas libera, ut ait

1 *De concord. praescient. et praed.*, q. 2, c. 3; ML **158**, 520.
2 **S. Augustinus**, *De corrept. et grat.*, c. 14; ML **44**, 944.
3 *Ep.* 217 *ad Vitalem*, n. 24; ML **33**, 987.
4 *De gratia Christi*, c. 24; ML **44**, 373.
5 *II Petri*, 2, 19.
6 *Caelestinus I, ep. ad episcopos Galliae*, c. 12, n. 14; ML **50**, 536.

http://www.obrascatolicas.com

S. Augustinus, tanto erit liberior, quanto sanior, tanto autem sanior, quanto divinae misericordiae gratiaeque subjectior... Neque enim voluntatis arbitrium tollitur, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur» [1].

3) *Praeparat*, non solum *moraliter*, vocando, invitando, alliciendo, et suadendo, sicut amicos allicimus ad aliquid agendum, sed etiam *physice*, praestando vires voluntati. «Vocat enim te Deus, ait *S. Augustinus*, et jubet, ut facias; sed ipse dat vires, ut, quod jubet, impleri possit» [2]. Voluntas siquidem humana, quantumvis perfecta, est ex se actibus salutaribus eliciendis impar, et indiget, ut viribus superioris ordinis instruatur per gratiam Dei.

4) *Applicat* voluntatem hominis liberam ad actus salutares, quia, ut ait *Angelicus*, «Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum *applicat actioni*, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit» [3]. Ad rem *S. Augustinus:* «Etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit... Hoc in eis agit, qui in cordibus hominum, quod voluerit operatur» [4].

138. THESIS III. **Voluntas humana, cum operatur, est quodammodo instrumentum Dei, sed proprie est etiam causa secunda principalis actuum salutarium.**

Nota. Voluntatem humanam esse causam solummodo instrumentalem actuum salutarium docent *Suarez* et alii [5].

Eam esse causam quoque principalem defendunt *S. Bellarminus, Banez, Alvarez* et alii [6].

Pars 1.ª

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Instrumentum, ait S. Doctor, dupliciter dicitur. *Uno modo* proprie, quando scilicet aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei a movente aliquod principium talis motus, sicut serra movetur a carpentario, et tale instrumentum est expers libertatis. *Alio modo* dicitur instrumentum magis communiter, quidquid est movens ab alio motum, sive sit in ipso principium sui motus, sive non; et sic ab instrumento non oportet, quod omnino excludatur ratio libertatis; quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen se ipsum movet; et ita est de mente humana» [7]. Et alibi: «Cum Deus sit primum agens... omnia, quae sunt post ipsum, sunt quasi quaedam instrumenta ipsius» [8].

2) *Ex ratione.* Nedum actus salutares et supernaturales, sed

1 *Ep.* 157 *ad Hilarium*, nn. 9 et 10; ML **33**, 677.
2 *Serm.* 32, c. 9; ML **38**, 200.
3 *De potentia*, q. 3, a. 7.
4 *De corrept. et gratia*, c. 14, n. 45; ML **44**, 943 sq.
5 **Suarez,** *De gratia*, lib. 6, c. 6 sqq.
6 **S. Bellarminus,** *De gratia et lib. arb.*, lib. 4, c. 15, arg. 1; **Banez,** *In I p.*, q. 12, a. 5, dub. 3; **Alvarez,** *De auxiliis*, disp. 68, n. 7.
7 *De veritate*, q. 24, a. 1 ad 5.
8 *Contra Gent.*, lib. 3, c. 100.

nec actus naturales potest humana voluntas producere, nisi a Deo moveatur, quia omnis causa secunda dependet in esse et operari a causa prima. Agens autem ab alio motum est quodammodo instrumentum ejus, a quo movetur. Ergo.

Pars 2.ª

Arg. Causa secunda principalis in hoc differt a causa instrumentali, quod, licet ambae recipiant influxum a causa prima, causa secunda principalis aliquid agit ex propriis viribus secundum formam naturalem vel supernaturalem sibi inhaerentem effectuique proportionatam; causa vero instrumentalis, licet habeat actionem praeviam secundum propriam formam, hanc tamen non exercet, nisi ut perficiat instrumentalem actionem, qua defert et applicat virtutem principalis agentis, effectumque producit ad similitudinem formae causae principalis. Hinc causa principalis, non instrumentalis, denominatur per illos effectus; non enim serra sed homo dicitur faciens scamnum. Voluntas autem humana per gratiam Dei efficacem mota non defert tantum aut applicat virtutem causae principalis, sed producit vitaliter actus salutares fidei, spei, caritatis, etc., ad imaginem formae supernaturalis sibi inhaerentis, et homo, non Deus, denominatur per illos credens, sperans atque merens. Ergo voluntas humana per gratiam Dei efficacem operans non est solummodo Dei instrumentum, sed causa secunda principalis.

Ad rem *S. Thomas:* «Causa prima dicitur esse principalis, simpliciter loquendo, propter hoc, quod magis influit in effectum: sed causa secunda secundum quid principalis est, in quantum effectus ei magis conformatur» [1].

139. Corollarium I. Voluntas humana est principium radicale activum omnium actuum humanorum, et, cum elevatur sive per habitus supernaturales, sive per auxilia specialia transeuntia, fit unum principium vitale actuum supernaturalium.

Horum proinde actuum supernaturalium, qui a voluntate procedunt, causa prima principalissima est Deus; principium *quo* elevans voluntatem est gratia Dei efficax; et causa secunda efficiens principalis est voluntas humana, quae, cum efficit illos actus, denominatur volens, credens, merens, etc.

Unde recte crediderim dicendum cum *Banez* et *Alvarez* voluntatem humanam per gratiam Dei elevatam atque motam esse, non tantum causam instrumentalem, sed principium vitale et causam secundam principalem actuum supernaturalium.

140. Corollarium II. Hoc tamen non impedit, quominus voluntas humana, quae est causa secunda principalis et principium vitale actuum salutarium, generaliori quodam modo, quatenus in suis operationibus indiget moveri a Deo, sit instrumentum Dei.

1 *De veritate*, q. 24, a. 1 ad 4.

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO VIII

ERRORES CIRCA INFLUXUM GRATIAE EFFICACIS IN VOLUNTATEM

ARTICULUS I

ERRORES NOVATORUM

141. Doctrinam theologicam circa influxum gratiae in voluntatem hominis *Lutherus* praesertim et *Calvinus* ex novatoribus infitiati sunt.

Ad duo praesertim capita eorum errores in hac materia reduci possunt.

1) *Negaverunt homini post Adae peccatum libertatem a necessitate.*

Lutherus: «Quidquid fit a nobis, non libero arbitrio, sed mera necessitate fieri, breviter videamus... necessario vero dico, non coacte...; hoc est, cum homo vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum...; sed sponte, et libenti voluntate facit» [1]. «Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo; et dum facit, quod in se est, peccat mortaliter» [2].

Calvinus: «Quod libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi vel duci; mirum est, si cui aspera videatur locutio... Offendit autem eos, qui inter necessitatem et coactionem distinguere nesciunt» [3].

2) *Docuerunt omnem gratiam Dei esse efficacem et semper necessitare hominis voluntatem.*

Lutherus: «Humana voluntas in medio posita est ceu jumentum. Si insederit Deus, vult et vadit, quo vult Deus... Si insederit Satan, vult et vadit, quo vult Satan» [4].

Calvinus: «Pronuntiat Christus efficacem esse Spiritus Sancti gratiam, qua trahuntur, ut necessario credant. His prorsus evertitur tota liberi arbitrii potestas, quam sibi somniant papistae» [5]. «Voluntatem movet (gratia), non qualiter multis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties a Chrysostomo repetitum repudiari necesse est: quem trahit, volentem trahit» [6].

142. THESIS. **Haec novatorum doctrina est haeretica, et omnino rejicienda.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae crebro nos docent hominem etiam post peccatum libertate gaudere et sub gratia Dei efficaci libere se movere. *Ante hominem,* ait Ecclesiasticus, *vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi* [7]. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti* [8].

2) *Ex conciliis.* Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari adsentiendo*

1 *De servo arbitrio,* § «Alterum paradoxon».
2 *Prop.* 36 *Lutheri,* damnata a Leone X, 15 Junii 1520; **Denz-Bannw.,** 776.
3 *Instit.,* lib. 2, c. 3, n. 5.
4 *De servo arbitrio,* § «Summa».
5 *In Joannem,* c. 6.
6 *Instit.,* lib. 2, c. 3, n. 10.
7 *Eccli.,* 15, 18. Cfr. **Knabenbauer,** *Comment. in Ecclum.,* 15, 14 sqq.
8 *Matth.,* 23, 37.

Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, a. s. [1]. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, a. s.* [2].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus* ait: «Cum vero adjuvari nos vult (Deus), nec ingratus est gratiae, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur, etiam per se ipsum aliquid agit» [3].

4) *Ex ratione.* a) Gratia Dei, quantumvis efficax sit atque universalis, non destruit sed perficit naturam, ac propterea voluntatem humanam liberam relinquit. b) Homo gratia Dei efficaci excitatus ac motus, est suorum actuum dominus, ac proinde meriti vel demeriti, praemii vel poenae dignus. c) Omnibus hominibus, etiam gratia Dei efficaci motis, dantur praecepta atque consilia, dirigunturque exhortationes, minae, etc., ut bonum facere malumque vitare velint; quod certe absurdum foret, si gratia Dei efficax necessitatem imponeret voluntati.

ARTICULUS II

IN QUO CONSISTAT, ET UTRUM ADMITTI POSSIT SYSTEMA JANSENII

143. Status quaestionis. 1) Cornelius Jansenius, dum loquebatur de gratia angelorum et primi hominis in statu naturae innocentis, favit Pelagio; sed, cum disputavit de efficacia gratiae respectu hominis lapsi, deflexit in Lutherum et Calvinum.

2) Totum ejus systema in delectationem victricem volvitur. Homo lapsus duplicem in terris experitur delectationem, caelestem unam, terrenam alteram. Delectatio caelestis, ubi est gradibus major, dicitur victrix, et est gratia efficax necessario flectens voluntatem ad bonum. E contra, delectatio terrestris, quando est gradibus major, gratiam vincit, et necessario flectit voluntatem ad malum.

Hinc voluntas in systemate Jansenii semper ducitur delectatione superiori juxta illud principium *S. Augustini:* «Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est» [4]. «Voluntas enim, ait *Jansenius,* sine delectatione velle aut moveri... nullo pacto potest, quod sane respectu cujuslibet operationis locum habet» [5]. «Major enim delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur, sed eam sequetur animus, quae magis eum afficiendo suavitate detinuerit» [6].

Ex his sequitur hominem post lapsum a) carere libero arbitrio; b) delectatione majori, quae victrix appellatur, voluntatem necessitari; et

1 *Sess.* 6, can. 4; **Denz-Bannw.,** 814.
2 *Sess.* 6, can. 5; **Denz-Bannw.,** 815.
3 *In ps.* 78, n. 12; ML **36,** 1016.
4 *Ad Gal.,* n. 49; ML **35,** 2140.
5 *De gratia Christi,* lib. 4, c. 7; § «Quae cum ita sint».
6 *De gratia Christi,* lib. 4, c. 6; § «Ex his jam».

http://www.obrascatolicas.com

c) delectationem caelestem, ubi major est gradu, esse gratiam efficacem, quae imponit necessitatem voluntati hominis; eamque delectatione terrena, si excedit, superari atque inefficacem reddi. Exinde ortae sunt quinque propositiones ex libro *Jansenii*, cui nomen *Augustinus*, excerptae, quae sic se habent:

1.ª *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

2.ª *Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur.*

3.ª *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

4.ª *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere et obtemperare.*

5.ª *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse* [1].

Hoc *Jansenii* systema pro viribus defendendum susceperunt *Antonius Arnaldus, Paulus Irenaeus* aliique theologi jansenistae.

144. THESIS. **Gratia Dei efficax non est delectatio caelestis victrix voluntatem hominis necessario flectens, et idcirco systema Jansenii circa gratiam efficacem omnino rejiciendum est.**

Argumenta, quae adduximus contra novatores in materia de gratia efficaci, plenissime probant doctrinam hujus theseos. Liquido demonstravimus hominem post peccatum, etiam gratia Dei efficaci praeventum, integre conservare libertatem a necessitate; et simul gratiam Dei, quae dat ipsum operari, esse efficacissimam.

Haec cum ita sint, concordia ita quaerenda est, ut gratia Dei sit omnino efficax, et homo hac gratia efficaci praeventus ac motus, libere operetur bonum supernaturale.

Utrumque lepide exprimit *S. Augustinus* dicens: «Non enim quia dixit (Apostolus): *Deus est enim, qui operatur in nobis et velle et operari*, et ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset: *Cum metu et tremore vestram* ipsorum *salutem operamini» (Philipp.*, 2, 12) [2].

Systema *Jansenii* falso nititur fundamento, cum docet hominis voluntatem delectatione necessario ferri sive ad bonum sive ad malum. Dantur enim et alia media quamplurima, quibus homo possit a peccato retrahi et ad bonum moveri. Hujusmodi sunt timor Domini, timor gehennae, amor Dei, etc. Unde *S. Augustinus* docet «etiam illa peccata juste imputari, quae non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandae molestiae alicujus aut doloris aut mortis» [3].

---

[1] **Denz-Bannw.**, 1092 sqq. Hae quinque propositiones damnatae sunt ab Innocentio X, Const. *Cum occasione*, 31 Maji 1653, et deinde a variis Pontificibus.

[2] *De gratia et lib. arb.*, c. 9; ML **44**, 894.

[3] *De peccat. meritis et remiss.*, lib. 2, c. 10, n. 15; ML **44**, 161.

Axioma autem *S. Augustini:* «Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est» [1], quo tantopere abusus est *Jansenius*, intelligitur de operationibus indeliberatis, in quibus non ductum rationis sed illecebram sequimur delectationis. In operationibus autem deliberatis possumus ac debemus discernere bonum a malo, et quod justum fuerit, non semper delectabile, eligere atque operari. Hinc *S. Augustinus* de se ipso ajebat: «Non faciebam, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat» [2].

QUAESTIO IX

CATHOLICORUM SYSTEMATA CIRCA CONCORDIAM GRATIAE EFFICACIS ET LIBERI ARBITRII

145. Doctor hipponensis, quasi aurora consurgens, difficultatem hujus concordiae praevidit atque expressit dicens: «Ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem adseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri» [3].

Nihil mirum, si in hac difficillima quaestione divisi fuerint catholici, prout magis vel minus censuerunt esse concedendum gratiae viribus. Horum systemata majori, qua possum claritate et praecisione, ita incipiendo a remotioribus exponenda suscipiam, ut, rejectis caritate christiana, quae mihi minus probantur, illud tandem seligere et probare contendam, quod verius mihi videatur.

ARTICULUS I

DE SYSTEMATE MOLINAE

146. *Ludovicus Molina*, vir egregius et e Societate Jesu theologus eminens, scripsit, et anno 1588 in lucem edidit Ulysipone librum *Concordia*, in quo «totam rationem conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, praescientia et praedestinatione» tradidit, et suum systema construxit, quod ab eo *Molinismum* in scholis audit.

Totum fundatur in auxilio sufficienti hominibus a Deo hypothetice praestito et consensu singulorum hominum per scientiam mediam etiam hypothetice praeviso.

Deus ab aeterno in signo anteriori ad omne decretum absolutum praevidit per scientiam mediam, quid unusquisque facturus esset, si hac vel illa gratia sufficienti ditaretur, id est, «praescientia illa media inter scientiam Dei liberam et mere naturalem... ante actum liberum suae

---

[1] *Ad Galatas*, n. 49; ML **49**, 2140.

[2] *Confess.*, lib. 8, c. 8, n. 20; ML **32**, 758.

[3] *De gratia Christi*, c. 47, n. 52; ML **44**, 383.

http://www.obrascatolicas.com

voluntatis cognovit Deus, quid in unoquoque rerum ordine per arbitrium creatum esset futurum in hypothesi, quod hos homines aut angelos in hoc vel illo ordine rerum collocare statueret» [1], an scilicet unusquisque pro innata sua libertate gratiae sufficienti consentiret, vel e contra dissentiret et gratiam inefficacem redderet.

Explorato sic per scientiam mediam humanae voluntatis consensu vel dissensu, elegit Deus praesentem rerum ordinem, definivit actus salutares eorum, qui per scientiam mediam visi sunt consensuri, et statuit omnibus conferre gratias sufficientes, quae pro consensuris efficaces, et pro aliis sunt inefficaces.

In hoc systemate gratia non est efficax ratione alicujus virtutis seu praedicati in ipsa antecedenter ad operationem liberi arbitrii exsistentis, sed dicitur efficax ab effectu, quatenus, accedente consensu et cooperatione humanae voluntatis, sortitur effectum, dum alia, cui non accedit consensus liberi arbitrii, manet inefficax.

147. Conqueritur cl. *Beraza* [2], quod *Billuart, Murray, Sardagna* et alii [3] hanc opinionem falso imputaverint *Molinae* et *Lessio*, et falsitatem imputationis demonstrare contendit his verbis: «Nam uterque eorum *(Molina* et *Lessius)* ad singulos actus salutares veram Dei praedefinitionem expresse admittunt. Praedefinitio autem divina actuum salutarium, quae sane antecedens est liberam determinationem voluntatis creatae absolute futuram, necessario includit, sive in recto sive in obliquo, auxilia, quae *certo* ac *infallibiliter* obtinebunt effectum seu actum salutarem».

Sed, hoc non obstante, crediderim imputationem esse veram.

Praedefinitio in sententia *Molinae* et molinistarum supponit scientiam mediam, qua Deus praevidet Petrum consensurum ac bene operaturum, si haec vel illa gratia ipsi concedatur. Consensus hic, per scientiam mediam praevisus et praedefinitionem Dei praecedens, discernit unam gratiam, cui Petrus est consensurus, fore prae aliis efficacem.

Adeo est hoc verum, quod molinistae, pro conservando libero arbitrio sub influxu gratiae, requirunt consensum conditionalem hominis praevisum a Deo per scientiam mediam. Sicut hic consensus conditionalis modificat actum hominis, a pari determinat efficaciam et eventum gratiae. Si Deus ante praedefinitionem actuum salutarium praevidet Petrum pro innata sua libertate bene acturum, casu quo ei talis gratia sufficiens concedatur, inutilis est praedefinitio actuum salutarium; sufficit, ut addatur decretum absolutum concedendi ei talem gratiam sufficientem; et Petrus, sicut praevisum est a Deo per scientiam mediam, accepta gratia sufficiente, pro sua libertate bene operabitur, et gratiam sufficientem reddet efficacem.

Ita rem intellexisse videtur *Molina*, cum ait: «Quo fit, ut divisio sufficientis auxilii in efficacem et inefficacem, nostra sententia, *ab effectu*, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur: illudque auxilium sufficiens, sive majus sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur, cum tamen nihil, eo auxilio impediente, potuerit non converti: illud vero inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eadem sua libertate non convertitur, cum tamen potuerit converti, alioquin tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem» [4].

148. Omnes tamen molinistae docent consensum hominis, a Deo

[1] *Concordia*, q. 23, aa. 4-5, disp. 1, memb. ult.
[2] *De gratia Christi*, n. 485 (nota).
[3] **Billuart,** *De gratia*, diss. 5, a. 2, § 2; *De Deo*, diss. 8, a. 1; **Murray,** *De gratia*, d. 8, § 4, n. 90; **Sardagna,** t. 5, a. 1, contr. 3, n. 150.
[4] *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 40.

per scientiam mediam praevisum, non esse meritorium gratiae conferendae, ut volunt semipelagiani, sed meram conditionem.

Juxta hanc doctrinam: 1) Gratia efficax et inefficax intrinsece et physice non differunt, quia una et eadem gratia sufficiens potest esse efficax vel inefficax pro diversitate subjectorum vel pro varietate dispositionum ejusdem subjecti. Differunt tamen a) *extrinsece*, quatenus uni accedit consensus voluntatis creatae, alteri resistentia; b) *ratione doni et circumstantiarum*, in quantum una confertur, quando praevidetur hominem consensurum, et altera, dum homo dissentit; c) *intrinsece in actu primo*, quatenus post praevisionem consensus creaturae praedefinitur exitus unius gratiae.

2) Eadem gratia potest esse nunc efficax nunc inefficax juxta dispositionem subjecti; imo potest contingere, ut minor gratia, cui accedit hominis consensus, sit efficax, dum major gratia, cui homo dissentit, manet inefficax.

3) Deus, cum efficaciter vult hominem convertere ac salvare, confert ipsi eas gratias, quibus praevidit liberum arbitrium consensurum, et e contra, cum permittit aliquem damnari, confert ei solum gratias sufficientes, quas est repulsurum.

4) Ex his facile deducunt molinistae efficaciam gratiae nullatenus nocere libertati hominis. Infallibilis quippe connexus Dei gratiae et hominis consensus non provenit a virtute efficaci gratiae sed a consensu voluntatis. Voluntas siquidem humana reddit gratiam efficacem, non «quasi arbitrium nostrum vim aliquam et efficacitatem tribuat auxiliis ipsis» [1], sed quatenus invitationi gratiae consentiendo et cum eodem auxilio cooperando, adhibet «conditionem, sine qua tale auxilium non habebit rationem efficacis per comparationem ad talem effectum» [2].

Molinam sequuntur plurimi et celeberrimi praesertim e Societate theologi.

149. THESIS. **Gratia Dei non dicitur efficax ab effectu, sed antequam effectum sortiatur, habet aliquod praedicatum, quo intrinsece a gratia sufficienti et inefficaci distinguatur.**

Nota. Plures theologi etiam e Societate Jesu hanc thesim defendunt. Unde *S. Bellarminus* ait: «Prima opinio eorum est, qui gratiam efficacem constituunt in adsensu et cooperatione humana: ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque existimant hi auctores in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quae alioquin ex se non esset nisi sufficiens. Haec opinio aliena est omnino a sententia beati Augustini, et, quantum ego existimo, a sententia etiam Scripturarum divinarum» [3].

In his verbis, quidquid in contrarium dixerit cl. *Beraza*, exponitur ac refutatur sententia *Molinae*.

Opinionem *Molinae* suppresso nomine exponit etiam ac refutat *Vazquez, In I p.*, disp. 98, cc. 1, 2 et 3.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus expresse docet Deum operari in

[1] *Concordia*, q. 23, aa. 4 et 5, disp. 1, memb. 6.
[2] *Concordia*, q. 23, aa. 4 et 5, disp. 1, memb. 6; § «Quando».
[3] *De gratia et libero arbitrio*, lib. 1, c. 12.

http://www.obrascatolicas.com

nobis velle et perficere [1], Deum discernere bonos a malis [2], hominem nihil habere, quod a Deo non acceperit [3], gloriam non esse volentis neque currentis, sed miserentis Dei [4]. Haec autem omnia clare innuunt gratiam efficacem, qua Deus operatur, ex se habere virtutem efficiendi hos effectus. Si autem gratia Dei esset efficax solum ab effectu, dependeret a consensu voluntatis creatae, et careret virtute propria ac intrinseca ad effectus producendos.

2) *Ex S. Augustino.* Doctor hipponensis ex diametro opponitur doctrinae de efficacia gratiae ab effectu, et toti systemati *Molinae* supra exposito. Nam:

1) In systemate *Molinae* gratia efficax est aliquando minor quam gratia inefficax, et *S. Augustinus* gratiam efficacem vocat *potentiorem* et majorem gratia sufficienti [5].

2) *Molina* docet divisionem gratiae in efficacem et inefficacem sumi ab effectu [6], juxta *S. Augustinum* gratia efficax facit, ut velimus, et nobis datur, ut producatur effectus [7].

3) *Molina* censet gratiam Dei reddi efficacem a consensu voluntatis humanae tanquam a conditione sine qua non [8], et *S. Augustinus* ait: «gratia (efficax)... a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur» [9].

4) *Molina* non admittit gratiam efficacem ante consensum et cooperationem liberi arbitrii a Deo praevisam [10], *S. Augustinus* adserit auxilium Dei esse tantum ac tale, ut efficiat nostrum velle [11].

5) *Molina* docet gratiam efficacem et inefficacem non distingui nisi extrinsece, quatenus uni accedit effectus, alteri non; vel, si mavis, intrinsece, quatenus confertur pro obtinendo effectu a Deo praedefinito. Sed, cum praedefinitiones juxta *Molinam* fundentur in praevisione consensus liberi arbitrii, semper erit verum gratiam efficacem et inefficacem non distingui nisi a consensu humanae voluntatis.

3) *Ex rationibus theologicis.* a) Quaelibet causa, ut talis, praecedit suum effectum. Sed gratia efficax, qua efficax, est causa consensus liberi arbitrii hominis, quia *operatur in nobis et velle et perficere* [12]. Ergo gratia efficax, qua efficax, praecedit cooperationem humanae voluntatis, et non redditur efficax a consensu hominis tanquam a conditione sine qua non. Hinc gratia collata ex intentione efficaci Dei moventis hominem ad conversionem, habet virtutem producendi effectum, et importat infallibilem ordinem ad illum independenter a consensu hominis.

---

1 *Philipp.*, 2, 13.
2 *I Cor.*, 4, 7.
3 *I Cor.*, 4, 7.
4 *Rom.*, 9, 16.
5 *De corrept. et gratia*, c. 11; ML **44**, 934.
6 *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 40.
7 *De corrept. et gratia*, c. 11, n. 31; ML **44**, 935.
8 *Concordia*, q. 23, aa. 4 et 5; disp. 1, memb. 6; § «Quando audis».
9 *De praedest. sanct.*, c. 8, n. 13; ML **44**, 971.
10 *Concordia*, locis citatis.
11 *De correptione et gratia*, c. 11; ML **44**, 935.
12 *Philipp.*, 2, 13.

b) Juxta *Molinam* «determinatio voluntatis... est ab ipsa voluntate pro sua innata libertate se libere applicante ac determinante ad consensum aut dissensum; et non a Deo sua omnipotentia illam determinante» [1]. Sed hoc est contra *S. Augustinum* dicentem: «Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum» [2]. «Intelligant... mirabili ac ineffabili potestate operari Deum... bonas etiam voluntates» [3].

c) In systemate *Molinae* discretio consentientis a non consentiente non fit a Deo, uti oportet, sed a libero arbitrio. «Quod ex duobus similiter vocatis, ait *Lessius*, alter oblatam gratiam acceptet, alter respuat, recte dicitur ex sola libertate provenire, non quod is, qui acceptat, sola libertate sua acceptet, sed quia ex sola libertate illum discrimen oriatur, ita ut non ex diversitate auxilii praevenientis... Quod iste hic et nunc consentiat potius quam ille, referendum est non in diversitatem gratiae, sed in libertatem arbitrii, quae immediate potest in opposita, utendo gratia vel non utendo, prout libuerit». *De gratia efficaci*, c. 18, n. 7. Sed hoc videtur esse contra Apostolum dicentem: *Ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* [4].

Non valet dicere cum *Beraza* (n. 613) solum Deum discernere in actu primo consentientem a non consentiente, sed in actu secundo posse hominem consentientem se discernere a non consentiente, quia in systemate *Molinae* homo, qui ante decretum Dei absolutum praevidetur consentire gratiae indifferenti, se discernit in actu etiam primo a non consentiente.

4) Nequit Deus per scientiam mediam ante decretum suum absolutum praevidere, quid homo facturus sit, si talis vel talis gratia indifferens ipsi concedatur, quia homo cum gratia indifferenti non se determinat ad unum. Unde diximus futura contingentia ante decretum Dei non habere determinatam veritatem objectivam, nec de futuribilibus dari scientiam, quae sit media inter scientiam Dei liberam et necessariam. Ergo non consentit homo gratiae indifferenti ante decretum Dei absolutum, et systema *Molinae* fundamento caret.

Difficultatibus satisfit.

150. Obj. 1.° Sacrae litterae passim confirmant doctrinam *Molinae*. Nam Christus ait apud S. Matthaeum: *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent* [5]. Unde eadem gratia, quae inefficax fuit pro Corozain et Bethsaida, fuisset efficax pro tyriis et sidoniis. Ergo gratia ex se indifferens determinatur ad bonum vel malum per consensum liberi arbitrii.

Resp.—Dist. ant. Si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae

---

1 *Concordia*, q. 23, aa. 4 et 5, disp. 1,–memb. 7.
2 *De gratia et lib. arb.*, c. 16; ML **44**, 900.
3 *De gratia Christi*, c. 24; ML **44**, 373.
4 *I Cor.*, 4, 6 sqq.
5 *Matth.*, 11, 21.

http://www.obrascatolicas.com

factae sunt in Corozain et Bethsaida, poenitentiam egissent vi ac virtute gratiae efficacis, quam Deus ab aeterno conditionaliter decrevit ipsis conferre, si virtutes Corozain et Bethsaidae factae fuissent in ipsis, **conc.**; vi et efficacia humanae voluntatis tantum, **neg.** Ipsaemet virtutes et signa facta incolis Corozain et Bethsaidae fuissent ex se tyris et sidoniis pariter inefficaces, sed ex verbis Christi colligitur dari Dei decretum conditionale conferendi ipsis gratiam efficacem, si coram ipsis factae fuissent eaedem virtutes. Judaei autem et bethsaiditae, quamvis carerent gratia efficaci, quam habuissent tyrii ac sidonii, merito increpati sunt a Christo, tum quia auxiliis sufficientibus restiterunt, tum quia per majora peccata indigniores gratia facti sunt quam tyrii ac sidonii.

Obj. 2.° Concilium Tridentinum, loquendo de praeparatione adultorum ad justificationem, meminit solummodo gratiae excitantis et adjuvantis [1]. Gratiae autem excitantes et adjuvantes non sunt efficaces nisi cooperatione liberi arbitrii. Ergo.

Resp. Concilium Tridentinum sub nomine gratiae excitantis et adjuvantis intellexit proculdubio totam seriem auxiliorum, quae necessaria sunt ad justificationem. Loquitur namque confestim de illuminatione et inspiratione, quam gratia producit in peccatore. Illuminatio porro et inspiratio, licet active consideratae sint increata Dei operatio, passive consideratae sunt lumen et species supernaturales, quae in nobis recipiuntur, quaeque aliquando habent rationem gratiae efficacis.

Obj. 3.° Concilium Tridentinum expresse declaravit liberum hominis arbitrium a Deo efficaciter motum et excitatum posse dissentire, si velit. Ergo gratia Dei redditur efficax vel inefficax actione liberi arbitrii.

Resp.—Dist. ant. Potest dissentire, in sensu diviso, **conc.**; in sensu composito, **neg.** Concilium Tridentinum nunquam docuit nec docere potuit liberum arbitrium a Deo efficaciter motum et excitatum manere suspensum et anceps ad utramque partem, quousque innata sua libertate ad unam partem se determinaverit, sed docet voluntatem hominis efficaciter a Deo motam habere sub hac etiam motione integram potentiam ad dissentiendum, et non dissentire, quia non vult. Gratia autem Dei facit, quod non velit. Ergo sequitur gratiam Dei efficacem infallibiliter quidem sed sine laesione libertatis humanae producere effectus [2].

Obj. 4.° *S. Augustinus* ait: «Si eadem tentatione ambo tententur, et unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat perseveret, quid aliud apparet nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporum et animi affectio?» [3].

Resp. S. Doctor statuere volens hominem esse liberum, loquitur de duobus viris, quibus eadem est tentatio et pares circumstantiae externae, sed in uno poterat esse gratia solum sufficiens et in altero gratia efficax. Quod si unus deficiat et alter perseveret, satis probat utrumque esse liberum.

ARTICULUS II

DE CONGRUISMO

151. Quidam Societatis theologi iique benemeriti, quibus visum est systema *Molinae* nimis concedere humanae libertati, novum duxerunt emolliendum systema ad conciliandum liberum arbitrium cum efficacia gratiae.

---

[1] *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.**, 797.

[2] Cfr. **Massoulié**, *D. Thomas sui interpres*, diss. 2, q. 9, a. 4.

[3] *De civ. Dei*, lib. 12, c. 6; ML **41**, 354.

Hoc munus sibi imposuerunt *Suarez, Vazquez* et *S. Bellarminus*, quorum theoria vocatur *Congruismus* ex gratia congrua, et plures nacta est sectatores.

Tota fundatur in scientia media, qua Deus dicitur cognoscere consensum cujuslibet hominis hypothetice, si talis vel talis gratia ipsi concedatur.

Duplicem congruistae distinguunt gratiam, unam *congruam*, alteram *incongruam*. *Congrua* est, quae consonat indoli ac temperamento subjecti, et confertur in circumstantiis, tempore ac dispositionibus, in quibus per scientiam mediam praevidebatur liberum arbitrium infallibiliter consensurum. Haec est gratia efficax et semper obtinet effectum [1]. *Incongrua* dicitur, quae vel non est accommodata indoli ac temperamento voluntatis, cui offertur, vel non confertur ei tempore, circumstantiis ac dispositionibus, in quibus praevidetur liberum arbitrium ei consensurum. Est quidem sufficiens sed inefficax.

Ad efficaciam gratiae nolunt admittere virtutem in ipsa gratia intrinsecam, quae physice liberum hominis arbitrium ad consensum praemoveat, sed efficaciam gratiae ex hoc petunt, quod Deus, videns per scientiam mediam qualis gratia sit unicuique congrua seu accommodata, et in quibus circumstantiis liberum arbitrium sit illi consensurum, definit illam eo pacto conferre, quo voluntas humana infallibiliter juxta praescientiam Dei sit consensura.

Libertatem autem hominis integram salvare contendunt, tum quia gratia congrua non confertur homini, nisi praeviso consensu ejus hypothetico, tum quia non est adeo efficax, ut extorqueat hominis consensum.

Hinc vides *Congruismum* non multum differre a puro *Molinismo*. *Molinismus* defendit gratiam sufficientem fore in Petro efficacem, quia, praevidens Deus Petrum pro innata sua libertate ei consensurum, praedefinivit illam Petro concedere, et de facto ei concedit ac sequitur consensus. *Congruismus* autem eam vocat gratiam efficacem, quam praevidens Deus per scientiam mediam congruere indoli liberi arbitrii et, si tempore ac circumstantiis congruis concedatur, liberum arbitrium consensurum, definit ita rem facere [2].

Cardo difficultatis in utroque systemate in hoc vertitur, quomodo possit Deus per scientiam mediam ab aeterno praevidere hominem gratiae sufficienti pro innata sua libertate, ut vult *Molina*, vel gratiae congruae in determinatis circumstantiis collatae, ut contendunt congruistae, infallibiliter consensurum, cum homo per se ipsum nequeat gratiam sufficientem et congruam reddere efficacem. Si Deus, praelucente scientia media, definiat conferre homini gratias sufficientes vel congruas, virtute intrinseca ad extorquendum voluntatis consensum carentes, quomodo potest homo has gratias reddere efficaces? [3].

---

[1] «Congruitas, ait **Vazquez**, et efficacitas vocationis in eo consistit, ut nostro arbitrio ita contemperetur, et nostrum arbitrium ita ei congruat, ut consensum liberum a nobis eliciat.» *In I p.*, disp. 92, c. 2, n. 6.

[2] Congruismi auctor fuisse videtur **Suarez**, *De gratia*, lib. 3, c. 51; et lib. 5 per totum; necnon *De auxiliis div. gratiae*, lib. 3, c. 7. Suarezium sequuntur **Vazquez**, *In I p.*, disp. 92; et **S. Bellarminus**, *De gratia et lib. arb.*, lib. 1, et plurimi ex Societate Jesu theologi.

[3] **Claudius Aquaviva**, Societatis Jesu olim Praepositus Generalis, decreto diei

http://www.obrascatolicas.com

Ingenue fateor Molinismum et Congruismum, prout respective a puris molinistis et a *R. P. Aquaviva* exponuntur, parum differre. Tota efficacia in actu primo gratiae congruae in hoc consistit, quod auxilium intrinsece indifferens a Deo seligitur et confertur eo tempore et modo, quo praevidetur liberum arbitrium esse cooperaturum, cum in systemate *Molinae* efficacia gratiae non dependeat a tempore vel modo collationis, sed a praevisione consensus futuri creaturarum per innatam suam libertatem [1].

Tria, ut vides, docent congruistae circa efficaciam gratiae in actu primo: 1) Voluntas humana, si gratia ei accommodata tempore et modo convenienti ipsi conferatur, certe consentiet; 2) Deus per scientiam mediam hunc consensum hominis conditionatum praevidit; 3) Deus, praelucente scientia media, praedefinivit gratiam entitative quidem indifferentem, sed praevisis circumstantiis congruam, huic homini conferre [2].

---

4 Decembris 1613, videtur praescripsisse Congruismum omnibus Societatis sodalibus dicens: «Ut in tradenda divinae gratiae efficacitate theologi Societatis eam opinionem sequantur, sive in lectionibus sive in publicis disputationibus, quae a plerisque Societatis scriptoribus tradita, atque in controversia *De auxiliis divinae gratiae* coram Summis Pontificibus piae memoriae Clemente VIII et SS. D. N. Paulo V tanquam magis consentanea SS. Augustino et Thomae gravissimorum Patrum judicio explicata et defensa est. Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quae effectum reipsa habet atque *efficax* dicitur, et eam quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo, quod, posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ea media seligit, atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si haec inefficacia praevidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri; atque hac ratione efficere Deum, ut reipsa faciamus non tantum quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia, quae proculdubio donum Dei est».

R. P. Mutius Vitelleschi, successor Aquavivae in Societatis Generalatu, litteris datis die 7 Junii 1616, explicandum censuit mentem sui praedecessoris et Congruismum cum Molinismo conciliare, cum declaravit «non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere Deum sua voluntate praedeterminasse vel praedefinivisse aliquod nostrum opus bonum independenter a cooperatione libera voluntatis, nec etiam quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis aut aliquis modus physicus *in actu primo*, qui non sit in gratia sufficienti, sed hoc tantum quod fuerit speciale beneficium Dei dedisse uni, v. gr., Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore et loco, quo per praescientiam conditionalium praescivit illum ea gratia bene usurum; quod beneficium non contulit alteri, v. gr., Joanni, cui dedit gratiam eo tempore et loco, quo praescivit sua culpa ea non usurum».

[1] Solum exposita est heic differentia inter Molinismum et Congruismum quantum ad efficaciam gratiae; sed sunt aliae differentiae circa scientiam mediam, circa praedestinationem, et circa concursum simultaneum, quae ad sua loca remittuntur.

[2] Cfr. **Beraza,** *De gratia Christi*, n. 627.

152. THESIS. **Gratia Dei entitative indifferens non dicitur in actu primo efficax, ex eo quod congruat subjecto et conferatur modo, tempore et loco contemperantibus libero arbitrio, dependenter a consensu hominis conditionato, per scientiam mediam a Deo praeviso atque eadem scientia praelucente praedefinito.**

Nota. Hanc thesim *S. Augustinus, S. Thomas* [1], thomistae, et plures extranei defendunt [2], impugnant vero omnes Jesuitae et non pauci extranei [3].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Effata S. Scripturae, quibus Deus dicitur in nobis velle et perficere opera [4]; bonos a malis discernere [5]; nos gratuito elegisse [6]; nos primo praedestinasse et deinde vocasse [7]; non videntur posse explicari in Congruismo, cujus tessera est voluntatem humanam consentire gratiae indifferenti modo, tempore et loco congruis oblatae.

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum. Sed, ubi et quomodo a Patre audierint hoc et didicerint, non videmus. Nimium gratia ista secreta est; gratiam vero esse quis ambigat? Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur» [8].

3) *Ex ratione.* a) Inconveniens esse videtur Deum explorare et quasi expectare hominis consensum conditionatum, ut inde dignoscat, qualis sit gratia unicuique contemperans, et decernat uni concedere gratiam congruam et alteri incongruam.

b) Hoc systema innititur scientiae mediae, qua Deus dicitur praevidere, quid liberum arbitrium acturum sit cum gratia congrua in his vel aliis circumstantiis independenter a divinis decretis. Hoc autem ex duplici capite peccat: α) Quia scientia media, cui innititur, caret fundamento. β) Quia efficaciam gratiae non ab intrinseco et ab omnipotenti Dei virtute, uti decet, sed a consensu liberi arbitrii, sicut theoria *Molinae*, petit.

Nec valet dicere gratiam Dei vocari quidem entitative indifferentem, sed esse in actu primo efficacem, «quatenus datur a Deo dependenter a fu-

---

[1] **S. Augustinus,** *De corrept. et gratia*, c. 14; ML **44,** 942; *De gratia et lib. arb.*, c. 16; ML **44,** 900; *De gratia Christi*, lib. 1, c. 24; ML **44,** 373; **S. Thomas,** *De veritate*, q. 23, a. 5; *Comp. theol.*, c. 140; *Contra Gent.*, lib. 3, c. 89; *De malo*, q. 6, a. un. ad 3; *I-II*, q. 10, a. 4 ad 3.

[2] Conferantur ex thomistis: **Lemos,** *Panoplia div. grat.*, lib. 4, p. 2, tr. 2, c. 1 sqq.; et tr. 4, c. 1 sqq.; **Massoulié,** *Divus Thomas sui interpres*, diss. 3, q. 2 sqq.; **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei*, dub. 10; **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 7, per totum; **Billuart,** *De gratia*, diss. 5, a. 2, § 2; **Dummermuth,** *S. Thomas et doctrina praedest. phys.*, c. 2 sqq.; **Norbertus del Prado,** *De gratia et lib. arb.*, p. 3, c. 9, et alii.

[3] Videantur ex congruistis: **Suarez,** *De gratia*, lib. 5; *De auxiliis div. grat.*, lib. 3, c. 7; **S. Bellarminus,** *De gratia et lib. arb.*, lib. 1, c. 12 sqq.; **Vazquez,** *In I p.*, disp. 88 sqq.; **Beraza,** *De gratia*, n. 597 sqq.; **Sola,** *De gratia Christi*, n. 144 sqq.

[4] *Philipp.*, 2, 13.

[5] *I Cor.*, 4, 7.

[6] *Ephes.*, 1, 3-6.

[7] *Rom.*, 8, 28, 30.

[8] *De praedestinatione sanct.*, c. 8, n. 13; ML **44,** 970.

http://www.obrascatolicas.com

turitione conditionata, scientia media, et decreto praedefinitionis sub eadem scientia concepto» [1].

Hoc, inquam, nihil valet, quia gratia entitative indifferens non determinatur nec fit efficax ex eo, quod dependeat a futuritione conditionata et a scientia media. Cardo difficultatis in hoc vertitur, an voluntas humana, gratia indifferenti in his vel aliis circumstantiis perculsa, sese determinet ad opus salutare efficiendum, et an Deus per scientiam mediam praevideat hanc voluntatis humanae determinationem.

Decretum praedefinitionis congruistarum, licet dicatur concipi sub scientia media, nihil facit ad casum, quia subsequitur determinationem liberi arbitrii et praevisionem scientiae mediae.

Porro voluntas humana cum auxilio gratiae indifferentis, etiamsi circumstantiae ipsi contemperentur, nequit se determinare ad opera salutaria efficienda, nec valet Deus per scientiam mediam ante decretum absolutum suae voluntatis hanc determinationem praevidere. Ad opera salutaria ante consensum liberi arbitrii requiritur gratia intrinsece efficax in actu primo, qua voluntas creata praeveniatur ac moveatur. Unde Concilium Tridentinum «declarat... justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse» [2].

ARTICULUS III

DE SYSTEMATE SORBONICO SEU DE SYNCRETISMO

153. Theoria, quam aliqui theologi Sorbonae excogitarunt, *S. Alphonsus M. de Ligorio* patrocinavit, et recentiores quidam theologi sequuti sunt circa efficaciam gratiae, vocatur *syncretismus*.

Distinguit inter opera *faciliora*, ut est oratio, et *difficiliora*, ad quae pertinent perfecta conversio, observatio praeceptorum, et finalis perseverantia.

Ad opera faciliora solum requirit gratiam sufficientem, quae omnibus adest et dat non solum posse sed etiam ipsum agere, cooperante voluntate. Unde gratia sufficiens pro efficiendis his operibus redditur efficax extrinsece per cooperationem voluntatis humanae. *Ad opera difficiliora* requirit gratiam intrinsece efficacem, quam alii in praemotione thomistarum, alii in praevia motione morali reponunt [3].

Deus certe praevidet consensum voluntatis humanae ad gratiam tum sufficientem tum efficacem, non quidem per scientiam mediam, sed per scientiam visionis, quae consequitur decretum elargiendi gratiam sive sufficientem sive efficacem.

Gratia sufficiens, quae omnibus indiscriminatim a Deo confertur, ita connexa est cum gratia efficaci et eventu futuro, ut, qui consenserit gratiae sufficienti, infallibiliter gratiam efficacem sit recepturus atque opera salutaria perfecturus.

Hanc sententiam inter alios tenuerunt doctores sorbonici *Isambertus, Habert, Tournely*, etc.; deinde *S. Alphonsus M. de Ligorio* amplexus est, et cl. *Herrmann* late proposuit ac defendit [4].

---

[1] **Beraza**, n. 627.

[2] *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.**, n. 797.

[3] Cfr. **Herrmann**, *De gratia*, n. 507.

[4] Cfr. **S. Alphonsus M.**, *Opera dogmatica*, t. 1, app. *De modo quo gratia Dei operatur*, n. 141; et t. 2, p. 2, c. 4; **Herrmann**, *De gratia*, n. 505 sqq.; **Knoll**, *De Deo hominum sanctificatore*, sect. 1, c. 3, a. 2, n. 435; **Katschthaler**, *De gratia*, n. 149 in hanc sententiam propendet.

[1] *Retract.*, lib. 1, c. 9, n. 6; ML **32**, 598.

[2] *De corrept. et gratia*, c. 11, n. 31; ML **44**, 935.

154. THESIS. **Rejiciendus est Syncretismus circa efficaciam divinae gratiae.**

Arg. 1) Distinctio inter opera salutaria faciliora et difficiliora in ordine ad necessitatem gratiae caret fundamento. Omnia opera salutaria excedunt facultatem hominis, et ad omnia requiritur gratia intrinsece efficax. Unde *S. Augustinus:* «Quia omnia bona, sicut dictum est, et magna et media et minima ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae voluntatis» [1].

2) Ad opera salutaria etiam faciliora requiritur in homine non solum gratia sufficiens sed etiam efficax.

3) Futura contingentia non potest Deus cognoscere per scientiam simplicis intelligentiae, quae versatur solum circa possibilia, neque per scientiam visionis in decreto elargiendi gratiam sufficientem, quae futura non constituit.

4) Gratia, quae solum moraliter movet voluntatem ad consentiendum atque exsequendum opera difficiliora, non recte dicitur ex intrinseco efficax, quia non agit in voluntatem per virtutem intrinsecam, sed extrinsece tantum, suadendo, alliciendo, etc.

ARTICULUS IV

DE SYSTEMATE AUGUSTINENSIUM

155. Patres Augustinenses, qui Patrem suum *S. Augustinum* sequi gloriantur, partim molinistis favent, partim ad thomistas accedunt. Pro statu naturae innocentiae subscribunt molinistis sine scientia media; pro statu naturae lapsae conveniunt cum thomistis, rejecta praemotione physica.

1) Docent hominem in statu innocentiae non indiguisse nisi gratia indifferenti seu sufficienti ad opera salutaria, juxta illud *S. Augustini:* «Tale quippe erat (in statu innocentiae) adjutorium, quod desereret, cum vellet, et in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet» [2].

2) Defendunt vero in statu naturae lapsae ad opera salutaria necessariam esse gratiam ab intrinseco efficacem, non tamen sitam in praemotione physica, ut thomistae volunt, sed consistentem in praemotione quadam morali, quae suadendo, monendo et terrendo movet voluntatem hominis ad consensum. Rem explicant, prout sequitur:

a) Gratia sufficiens et efficax non distinguuntur natura, sed gradu et quantitate virtutis. Voluntas hominis dicitur delectatione caelesti, a Deo per gratiam elargita, ad opera salutaria attrahi, et delectatione terrena concupiscentiae et tentationis ad peccatum duci. Si delectatio caelestis eo tantum gradu a Deo voluntati humanae conferatur, ut eam

http://www.obrascatolicas.com

constituat capacem vincendi tentationes et delectationem terrenam, erit *gratia sufficiens;* si vero eo gradu a Deo elargitur, ut omnem delectationem terrenam omnesque concupiscentias ac tentationes expellat et superet, infallibiliter consensum hominis obtinendo, erit *gratia efficax* seu *delectatio victrix*.

Gratia mere sufficiens, nisi veniat simul cum gratia efficaci, semper in praxi frustratur effectu, ob debilitatem naturae corruptae [1], quia natura per peccatum vitiata semper abutitur libero arbitrio, adjuto gratia tantum indifferenti. Gratia vero efficax semper consequitur effectum et producit actus salutares, quia vincens ac superans delectationes terrenas ac concupiscentias et tentationes, quibus homo allicitur ad peccatum, movet infallibiliter, licet libere, voluntatem ad actus salutares.

Delectatio victrix seu gratia efficax juxta sententiam communiorem Augustinensium movet voluntatem, non per physicam causalitatem, sed per moralem motionem, ita eam suadendo, monendo et terrendo, ut ex electione arbitrii infallibiliter sequatur consensus [2]. Juxta alios tamen praeter illustrationem intellectus probabilius datur aliqua praemotio physica aut concursus intrinsecus «gratiae in ipsa voluntate, ita tamen ut infallibilitas effectus tribuenda sit praesertim influxui morali intellectus, ad quem ipsa physica praemotio attemperatur» [3].

Haec delectatio caelestis victrix aliquando est *absolute* efficax, «ita ut omnem penitus duritiem frangat cujusque cordis, qualis fuit gratia collata Paulo; at saepenumero est efficax tantum *comparative*, id est, in uno non in altero, quoniam in illo minorem, in isto majorem invenit indurationem» [4].

Haec theoria in hoc praecipue differt ab haeresi janseniana, quod jansenistae negabant dari gratiam sufficientem, dum Augustinenses eam admittunt, et per eam dicunt nobis conferri potestatem implendi praecepta divina; jansenistae item defendebant gratiam efficacem inducere necessitatem, dum Augustinenses sub gratia efficaci salvant plenam hominis libertatem [5].

156. THESIS. **Systema Augustinensium non videtur recte explicare efficaciam gratiae Dei.**

Arg. 1) Differentia necessitatis gratiae in statu naturae innocentis et in statu naturae lapsae, adeo ut in primo sufficiat gratia indifferens et in secundo requiratur gratia efficax, caret fundamento. In utroque enim statu indiget homo gratia efficaci ad actus salutares. *S. Thomas* ad rem: «Virtute gratuita superaddita virtuti naturae indiget homo in

[1] Cfr. **Berti,** *De theol. discipl.*, lib. 14, c. 8.
[2] Cfr. **Didacus Gonzalez,** *In II Sent.*, tr. 2, dub. 6, n. 643.
[3] **Honoratus del Val,** *De gratia*, n. 101.
[4] **Berti,** *De theol. discipl.*, lib. 14, c. 8.
[5] Cfr. **Berti,** *De theol. discipl.*, lib. 14, c. 8; et **Bellelli,** *Mens Augustini de modo reparationis humanae naturae.* «Quamvis enim sit, ait ad rem cl. **Berti,** haec efficax gratia antecedens, et Deus sine nobis faciat, ut velimus, nihilo tamen minus per illam non proponitur nobis bonum sub ratione omnis boni, quemadmodum proponitur beatis per lumen gloriae, ideoque remanet indifferentia judicii et vera libertas». *De theol. discipl.*, lib. 14, c. 8, n. 18.

statu naturae integrae quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale; sed in statu naturae corruptae quantum ad duo, scilicet ut sanetur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum» [1].

Unde *S. Augustinus*, quoties adserit primum hominem non indiguisse adjutorio divino ad bonum operandum, solum negavit necessitatem gratiae sanantis, non gratiae operantis. Primus quippe homo, utpote creatus in gratia, sanus erat, et non indigebat gratia sanante, bene tamen auxilio et gratia operante.

2) Efficacia gratiae non potest sumi a praemotione morali, quam secum fert delectatio victrix juxta Augustinenses. Haec siquidem praemotio moralis fit suadendo, monendo, vel terrendo. Motio autem moralis per suasionem et monitionem, sicut persuasio per ostensionem et oblationem objecti creati, non est nec potest esse efficax, et, si foret efficax, destrueret libertatem, quia utpote actio extrinseca auferret indifferentiam judicii in contrarium.

Ex hoc colliges systemata, quae prima facie videntur mitiora, revera esse duriora in hac materia. Si delectatio victrix efficaciter inferret consensum, simul tolleret a voluntate facultatem dissentiendi, quia esset actio extrinseca extorquens a voluntate consensum virtute attractionis invincibilis extrinsece illatae. Actio solum omnipotentis Dei, quae intrinsece agit in voluntatem hominis, et agentia libera movet libere, potest efficaciter simulque libere movere voluntatem hominis.

Unde delectatio victrix, si efficaciter extorqueat consensum voluntatis humanae, destruit libertatem; si morali tantum certitudine et cum indifferentia judicii inferat consensum, deficit ab efficacia atque infallibili nexu cum effectu.

3) *Homo non semper movetur majori delectatione in operibus salutaribus efficiendis.* Quia a) saepe timor gehennae et foeditas peccati magis inducunt peccatorem ad ineundam salutis viam, et b) justi contra vehementes carnis inclinationes non semel pugnant. Unde *S. Augustinus* de se ipso ajebat: «Non faciebam, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat» [2].

157. Objicies. *S. Augustinus* ait: «Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est» [3].

Resp. 1) Si haec verba S. Augustini ad litteram accipiantur, certe innuunt nos, cum majori delectatione ducimur, necessario operari. Sed hoc admitti nequit.

2) Potest *S. Augustinus* intelligi de delectatione indeliberata, qua aliquando movemur ad operandum, et hoc sensu significare voluit moralem necessitatem operandi secundum delectationem, quia in actibus indeliberatis delectabiliora natura quaerit ac sequitur.

3) Si locutus est *S. Augustinus* de delectatione deliberata, quae est inclinatio ad bonum libere electum et amatum, significare voluit nos debere operari secundum quod, inspectis circumstantiis, magis amamus vel magis habet rationem boni.

[1] *I-II*, q. 109, a. 2.
[2] *Conf.*, lib. 8, c. 8, n. 20; ML **32,** 758.
[3] *In ep. ad Galat.*, 5, 49; ML **35,** 2140.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS V

DE SYSTEMATE SCOTISTARUM

158. Scotus ipse non videtur explanasse completum systema circa efficaciam gratiae, hinc tamen et inde suam mentem satis aperuit. Ait enim: «Tunc autem (in signo quod praecedit decretum Dei) non sunt vera contingentia; quia nihil est tunc, per quod habeant veritatem determinatam. Posita autem determinatione voluntatis divinae, jam sunt vera, videlicet pro illo secundo instanti» [1].

Haec et alia *Scoti* verba aliter et aliter ejus discipuli intellexerunt. *Scoti* mentem explicat *Biel* dicens: «Voluntas divina, quae est prima regula contingentium, prius determinat contingentia, antequam illa intellectus divinus intelligat. Unde intellectus divinus videns determinationem divinae voluntatis videt illud fore pro A, quia voluntas determinat pro A» [2]. Et *Mayronus* haec habet: «Deus cognoscit omnia futura contingentia et etiam praesentia per voluntatem suam, sive per determinationem propriae voluntatis. Quia per propriam causam cognoscitur effectus. Sed voluntas divina est propria causa contingentis. Ergo» [3].

Bassolus vero, *Lychetus, Philippus Faber* et alii scotistae [4], putantes per decretum Dei absolutum everti libertatem hominis, dixerunt *Scotum* locutum fuisse de decreto conditionato.

Nihilominus scotistae communius defendunt decretum Dei absolutum.

Mastrius hanc communiorem scotistarum doctrinam sequutus, docet 1) divinam voluntatem utpote infinitam, eminenter in se continere voluntatem creatam secundum omnem ejus inclinationem [5]. 2) Deum decreto absoluto, non quidem praedeterminante in sensu thomistarum, sed condeterminante decernere actus liberos salutares hominis, adeo ut Deus velit omnes effectus salutares «eodem prorsus modo, quo vellet creata voluntas, si Deo ab aeterno coexsisteret et se cum divina voluntate condeterminaret ad omnes suos effectus in tempore ponendos» [6]. 3) Hoc decretum condeterminans nullatenus dependere a determinatione voluntatis creatae, sed esse intrinsece efficax, non quidem *effective*, determinando aliquid sine voluntate creata, sed *affective*, «quasi non determinet voluntatem meam hoc volituram, sed cum voluntate mea condeterminet hoc volendum fore, absque ulla praevisione effectus ab ea futuri saltem conditionate, ex sola ejus infinitate in genere potentiae volitivae» [7]; vel «ex sua infinitate coincidendo in eumdem penitus actum, quem faceret creata voluntas, si exsisteret ab aeterno cum voluntate divina» [1]. 4) Cum hoc decreto Dei condeterminante optime salvari libertatem creatam, quatenus voluntas divina, edendo decretum condeterminans sumptum «ex continentia virtuali et eminentiali voluntatis creatae in divina, sicut in primo libero, secundum omnem suam virtutem et volendi aut nolendi modum», ita voluntatibus creatis se accommodat, «ut sicut in tempore non efficit nisi effectum illis placitum, ita et ab aeterno non decernat in tempore futurum ab eis, nisi quod eis placuerit, et ad quod in tempore sese ex sua libertate determinabunt» [2].

1 *In I Sent.*, disp. 39, q. 1, § «Vel aliter», n. 23, ed. Vives, 1893.
2 *In I Sent.*, dist. 38, q. un., a. 2.
3 *In I Sent.*, dist. 39, q. 1.
4 **Bassolus,** *In II Sent.*, dist. 37, a. 3, «Sic igitur dico»; **Lychetus,** *In I Sent.*, dist. 41, «Sed hoc videtur» et sqq.; **Philippus Faber,** *In I Sent.*, dist. 39, disp. 54, c. 5.
5 *De divino intellectu*, disp. 3, q. 3, a. 8, n. 175.
6 **Mastrius,** l. c., n. 175.
7 **Mastrius,** l. c., n. 167.

159. THESIS. **Efficacia divinae gratiae non provenit ex decreto Dei condeterminante scotistarum.**

Arg. 1) Gratia Dei efficax influit non solum affective sed etiam effective et physice in voluntatem liberam hominis. Sed in systemate scotistarum gratia Dei efficax non influit effective sed tantum affective in voluntatem creatam. Ergo. Decretum concomitans, non efficiens determinationem voluntatis creatae, nequit infallibiliter connecti cum actu voluntatis. Quo enim fieri potest, ut voluntas infallibiliter id efficiat, quod decreto Dei constitutum est? Nonne sympathia essentiali humanae voluntatis cum decreto divino? Sed haec sympathia concipi non potest, tum quia sympathia non est actus liber, tum quia agentia libera nequeunt *essentialiter* conjungi cum determinato actu.

2) Gratia Dei efficax praevenit actus humanos salutares, quia, ut dicit Concilium Tridentinum, «justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia» sumendum est [3]. Sed gratia Dei juxta scotistas non praevenit actus humanos salutares, sed cum voluntate creata condeterminat, quatenus «divina voluntas sese accommodat voluntati creatae... ex sua infinitate coincidendo in eumdem penitus actum, quem faceret creata voluntas, si exsisteret ab aeterno cum voluntate divina» [4]. Ergo. Simplex coincidentia voluntatis divinae et humanae in eumdem actum, quam ponunt scotistae, non sufficit ad constituendam efficaciam divinae gratiae.

3) Decretum condeterminans scotistarum vel influit in consensum creaturae vel non. *Si primum*, non est solum condeterminans, sed vere praedeterminans, quia actio causae primae in causam secundam, quamvis sit simul tempore cum actu creaturae, est natura atque causalitate prior, et praevenit ac moderatur actionem etiam liberam causae secundae. *Si secundum*, nullam confert efficaciam, sed ponit tantummodo parallelismum quemdam inter Deum et creaturam.

1 **Mastrius,** l. c., n. 170.
2 **Mastrius,** l. c., n. 174.
3 *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.,** 797.
4 **Mastrius,** *De divino intellectu*, disp. 3, q. 3, a. 8, n. 170.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS VI

DE SYSTEMATE THOMISTARUM [1]

160. *Thomistae* sic dicti, quia mentem *S. Thomae* in materia praecipue de gratia divina sequi gloriantur, suam theoriam de gratia Dei efficaci exponunt, prout sequitur.

1) Cum Deus sit prima causa et primus motor omnium creaturarum, in manu sua habet omnes facultates etiam voluntates liberas creaturarum, quibus confert non solum posse agere sed etiam ipsum agere. Efficacissima sua virtute ita agit in creaturas, ut causas necessarias necessario, liberas vero libere moveat. Voluntatem humanam ita movet, mutat ac determinat, ut voluntas hominis actione Dei mota sponte ac libere id velit, ad quod movetur. Hinc actio Dei, quantumvis efficax ac praedeterminans, non tollit sed perficit libertatem creatam, quia facit voluntatem libere se movere ad id, quod Deus velit.

2) Unde gratia Dei dicitur per se ipsam ab intrinseco efficax, et est motio Dei, quae sua virtute physice movet voluntatem hominis, et qua causa prima producit infallibiliter consensum voluntatis ad bonum, dum ipsa voluntas humana ut causa secunda a gratia sic mota libere consentit.

3) Haec motio Dei non fit morali influxu, alliciendo et suadendo,

---

[1] Miror sane, quod molinistae saepe thomistas vocent banesianos, et contendant Banesium fuisse auctorem hujus systematis. Centies ac millies nostrates demonstrarunt suas theorias a S. Thoma antiquisque theologis ante Banesium traditas fuisse. *Joannes Bachonus* († 1346) solutionem thomisticam clarissime cognoscebat, cum ait: «Alia est opinio in hoc concordans cum ista. Quod causa praedestinationis hujus est Dei voluntas sola; causa tamen reprobationis est in illo, qui est reprobatus. Unde isti ponunt, istum ordinem in praedestinatione et in reprobatione. Quia in primo instanti naturae offerebantur conspectui divino (secundum modum nostrum intelligendi) Petrus et Judas: in quo omnes aequales: in secundo instanti praedestinatus est Petrus ad gloriam; in tertio instanti confirmatus est Petrus in gratia, per quam consequitur beatitudinem; in quarto instanti ipsum praemiat. Tamen in isto processu executionis secundum modum intelligendi postremum est causa prioris; in omni enim agente ordinate propter finem finis est causa omnium, quae sunt ad finem. Unde, quia voluit Petro gloriam, ideo voluit sibi alia, quae ad gloriam ordinantur; nec hujus causa est prior, quare voluit ei gloriam nisi libertas voluntatis suae. Et ideo voluntas Dei est causa totalis praedestinationis ejus absque alio merito ex parte praedestinati; meritum enim est effectus praedestinationis. Sed alius processus est in Juda. Nam in secundo instanti naturae nec vult Deus ei beatitudinem nec miseriam; in tertio videt eum male utendum libero arbitrio; in quarto instanti reprobat». *In I Sent.*, dist. 41, a. 2. En systema thomisticum.

De Capreolo († 1444) ait **Dr. J. Ude.** «Voluimus autem et sperabamus nos inventuros esse in Capreolo nostram sententiam scilicet molinisticam, sed contrarium accidit, Capreolus eum, qui molinista praeformatus erat, in castra thomistarum pertraxit... Capreoli doctrina genuina est cum doctrina modernorum thomistarum; qui igitur injuria contra aperta argumenta historica banesiani nuncupantur, quasi eorum doctrina a Banesio prima vice ficta et introducta fuisset». *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanae* (1905), p. 298. Desinant aliquando molinistae thomistas vocare banesianos.

ut aliqui dixerunt [1], sed physice virtute propria gratiae, quae in ipsam voluntatem agens determinat actum salutarem consensu libero voluntatis humanae fieri. Uno verbo. *Facit, ut voluntas faciat* [2].

4) Gratia Dei efficax entitative et specifice differt a sufficienti. Gratia sufficiens elevat atque praeparat voluntatem hominis, eique confert veram, proximam et expeditam facultatem producendi actus salutares, dum gratia efficax voluntatem ita elevatam ac praeparatam e statu potentialitatis ad opus salutare traducit, ipsumque consensum voluntatis ut causa prima immediate totum producit.

5) Sicut actio Dei ad quodlibet creaturarum opus dicitur *praemotio physica* vel etiam *praedeterminatio physica*, ita motio Dei, qua voluntas hominis traducitur ad opera salutaria, vocatur *gratia efficax*. Unde gratia efficax potest vocari *quaedam praemotio physica* in ordine supernaturali ad actus salutares, quae ex parte Dei est virtualis contactus voluntatem movens et ad actus salutares traducens; et ex parte voluntatis est participatio divinae virtutis praebens virtutem et ultimum complementum ad operandum per modum qualitatis fluentis, et applicans ac reducens potentias ad exercitium per modum motionis. Unde gratia efficax ex parte voluntatis nunc *qualitas fluens* et *imperfecta*, nunc *motio* pro diverso munere vocari solet [3].

6) Nexus infallibilis gratiae efficacis cum actu salutari petitur a decreto absoluto Dei omnia futura ab aeterno praedeterminantis et ab influxu gratiae efficacis nostram voluntatem suaviter quidem sed fortiter ad actum salutarem in tempore applicantis. Decretum siquidem Dei et gratia efficax infallibiliter producunt in tempore effectus ab aeterno praedeterminatos.

161. THESIS I. **Gratia Dei efficax ea dicitur, quae in se ipsa et in actu primo habet efficaciam a solo Deo, atque sua virtute ita praevie et physice, non moraliter, movet hominis voluntatem, ut infallibiliter producat ejusdem consensum ac effectum salutarem. Est thesis praecipua thomistarum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Esther ait: *Domine, Domine, Rex omnipotens. In ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit*

---

[1] Cfr. **Lemos,** *Panoplia gratiae*, lib. 3, p. 1, tr. 1, c. 28.

[2] Non inficiantur thomistae Deum movere voluntatem creatam moraliter, idque triplici modo: 1) Praeparando objecta externa, quae voluntatem moveant; 2) nullo externo objecto proposito, exhibendo interius objecta; 3) proponendo per illustrationes et pias affectiones bonitatem objecti. Cfr. **Massoulié,** *Divus Thomas sui interpres*, diss. 3, q. 2, a. 14. Sed ulterius necesse est, ut *ex parte subjecti* moveatur voluntas creata per immediatam actionem Dei. Motio moralis in voluntatem humanam ex parte objecti est indirecta, et exerceri potest ab angelo sub triplici ratione qua diximus a Deo fieri; motio physica ex parte subjecti est directa et a solo Deo exercèri potest. Unde *Angelicus* ad rem: «Per modum causae efficientis... ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non potest nisi quod operatur intra voluntatem; et hoc est ipsa voluntas et id, quod est causa esse voluntatis, quod secundum fidem solus Deus est. Unde solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud, secundum quod vult». *De veritate*, q. 22, a. 9.

[3] Cfr. **Lemos,** *Panoplia gratiae*, lib. 3, p. 1, tr. 1, c. 29, n. 286. **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 7, n. 331; et **Massoulié,** *Divus Thomas sui interpres*, diss. 3, q. 3, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel... nec est, qui resistat majestati tuae [1]. Isaias: *Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare?* [2]. Proverbia: *Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud* [3].

Haec et alia exponens ait *S. Augustinus:* «His et talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quae omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum» [4].

b) Christus apud Joannem: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* [5]. Apostolus: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate* [6].

S. Augustinus et *S. Thomas* optime de more interpretantur haec loca, quorum verba lubet heic proferre.

S. Augustinus: «Nisi donum Dei esset ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur: *Deus virtutum, converte nos* (Ps. 89)... et venire ad Christum, quid est aliud nisi ad Deum credendo converti? Et tamen ait: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo... Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Prorsus talia cogitanti verissime dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi a te ipso, non ab illo sunt merita tua. Haec enim, si talia sunt, mala sunt, quae non coronat Deus. Si autem bona sunt, Dei dona sunt» [7]. Iterum: «Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia *indeclinabiliter* et *inseparabiliter* (alii insuperabiliter) ageretur; et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur» [8].

Praemotio seu *praedeterminatio physica* nihil aliud est quam *motio* seu *virtualis contactus Dei, qui voluntatem creatam e statu potentialitatis ad actum applicat et traducit.* Cfr. **Van Noort,** *De gratia Christi,* n. 64; et **Goudin,** *De gratia Dei,* q. 5, a. 4, § 4. Gratia Dei applicat voluntatem creatam in ipso momento operationis. «Illa praepositio *prae,* ait **Lemos,** nihil aliud denotat aut denotare potest, quam Deum esse priorem et primam causam, prius natura et causalitate moventem, applicantem, inclinantem, et determinantem voluntatem, quam ipsa voluntas se determinet; faciens proinde in illo priori rationis, ut voluntas se libere determinet, ita ut ista causalis sit vera; *ideo voluntas se libere determinat in actu secundo, quia prius natura a Deo determinatur in actu primo*». *Panoplia gratiae,* lib. 3, p. 1, tr. 1.

Haec motio non solum tangit immediate nostram voluntatem sed etiam ipsam actionem et effectum salutarem voluntatis creatae, quia Deus influxu suo efficaci omnia intime penetrat ac producit; imo virtus divina immediatius attingit actionem et effectum creaturae quam ipsa virtus causae secundae.

1 *Esther,* 13, 9-11.
2 *Is.,* 14, 27.
3 *Prov.,* 21, 1.
4 *De gratia et lib. arb.,* c. 21, n. 43; ML **44,** 909.
5 *Joann.,* 6, 44.
6 *Philipp.,* 2, 13.
7 *De gratia et lib. arb.,* cc. 5 et 6; ML **44,** 808, 890.
8 *De corrept. et grat.,* c. 12; ML **44,** 940. **Ludovicus San,** *De Deo uno,* n. 217, contendit haec S. Augustini verba non referri ad efficaciam gratiae actualis, sed ad donum perseverantiae, sed, ut puto, minus recte; quia S. Augustinus loquitur de auxilio, quo voluntas humana infirma sustinetur, ne deficiat vel adversitate aliqua vincatur.

S. Thomas: «Est ergo humana facultas deficiens ad veniendum ad Christum per fidem; et ideo dicit: *Nemo potest venire ad me.* Secundo: divinum auxilium est efficax ad subveniendum; unde subdit: *Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sed quia non solum revelatio exterior vel objectum virtutem attrahendi habet (moralis motio), sed etiam interior instinctus impellens ac movens ad credendum (motio physica), ideo trahit multos Pater ad Filium per instinctum divinae operationis moventis interius cor hominis ad credendum. *Philipp.,* 2, 13: *Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere...*

»Vere nullus venire potest nisi tractus a Patre; nam, sicut grave per naturam non potest per se sursum ferri, nisi trahatur ab alio, ita cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari nisi tractum. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui, quantum in se est, nulli deficit, sed est propter impedimentum ejus, qui non trahitur... Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit, quantum in se est... Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam et ad se trahere, non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei, qui non accipit.

»Quare autem non omnes aversos trahit, sed aliquos, licet sint omnes aequaliter aversi, ratio quidem in generali potest adsignari, ut scilicet in illis, qui non trahuntur, appareat et refulgeat ordo divinae justitiae; in illis autem, qui trahuntur, immensitas divinae misericordiae. Quare autem in speciali trahat hunc, et illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinae [1]. Unde dicit *S. Augustinus:* «Quem trahat et quem non trahat, quare illum trahat, et quare illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Sed accipe et intellige: nondum traheris, ora ut traharis...»

»Sic ergo Deus ad complementum universi quosdam quidem trahit, ut in eis appareat sua misericordia; quosdam vero non trahit, ut ostendatur in eis sua justitia. Sed hos trahit, illos non trahit secundum beneplacitum voluntatis» [2].

c) Apostolus: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* [3]. Molinistae et congruistae possent respondere Apostolo se non accepisse a Deo consensum et determinationem propriae voluntatis, quo discreti sunt ab aliis, et de quo possent licite gloriari.

d) Item Paulus ad athenienses: *In ipso enim vivimus, movemur et sumus* [4]; id est, sicut vitam, ita et esse, motum atque actionem a Deo habemus. Rursum: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere* [5]. Quod his verbis exponit *Angelicus:* «Quidam vero non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque praejudicio libertatis voluntatis [6], conati sunt has auctoritates male ex-

---

1 En gratia efficax a sola voluntate divina.
2 *In Joannem,* 6, lect. 5.
3 *I Cor.,* 4, 7.
4 *Act.,* 17, 28.
5 *Philipp.,* 2, 13.
6 Jam inde a tempore S. Thomae arbitrabantur nonnulli gratiam ab intrinseco efficacem tollere libertatem.

http://www.obrascatolicas.com

ponere, ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle et perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic quod faciat nos velle hoc vel illud, sicut *Origenes* exponit (Περι Αρχων, lib 3), liberum arbitrium defendens contra auctoritates praedictas... Quibus quidem auctoritatibus Sacrae Scripturae resistitur evidenter. Dicitur enim: *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine. Is.*, 26, 12. Unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem» [1].

162. 2) *Ex conciliis.* a) Concilium Arausicanum II (a. 529) hoc declaravit: «Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: *Praeparatur voluntas a Domino (Prov.*, 8, 35; 70 interpr.), et Apostolo salubriter praedicanti: *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate». Philipp.*, 2, 13 [2].

b) Concilium Tridentinum «declarat praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur, ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere adsentiendo et cooperando, disponantur» [3]. Concilium hic gratiae efficacis praevenientis influxum et sub eo libertatem voluntatis humanae diserte statuit.

163. 3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Cui (Deo) volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem» [4].

Rursum: «Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in caelo et in terra omnia quaecumque voluit fecit *(Ps.* 134, 6), et qui etiam illa, quae futura sunt, fecit *(Is.*, 45, 11; 70 interpr.), humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit... Qui tamen hoc non fecit nisi ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem... Intus egit, corde tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit... Magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas» [5].

S. Gregorius Nazianzenus exponens illud Apostoli: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (Rom.*, 9, 16), scribit: «Quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo adsignavit» [6].

4) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* a) «Omnes motus tam corporales quam spirituales reducuntur ad primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo... Non solum autem a Deo est omnis motio sicut a primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio sicut a primo actu. Sic igitur actus intellectus et cujusquam entis creati dependet a Deo quantum ad duo: uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam, per quam agit; alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum» [1]. En efficacia gratiae per solam virtutem divinam.

b) «Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur (en efficacia motionis Dei et infallibilitas effectus), non tamen est impossibile simpliciter» (en libertas creaturae) [2].

c) «Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas» [3]. Tota efficacia hic petitur a divina virtute, libertas vero a divina virtute et a conditione humanae voluntatis.

d) Juxta *Angelicum Doctorem* a causis necessariis a Deo motis eveniunt effectus necessario, «a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter, unumquodque secundum suum modum» [4]. Si causas necessarias movet Deus physice et necessario, ut necessario producant effectus, causas liberas movet libere, ut libere operentur.

164. 5) *Ex auctoritate veterum theologorum. Magister Sententiarum:* «Voluntas ergo, ut ait *S. Augustinus*, in lib. 3 de Trinitate, prima et summa causa est omnium specierum atque motionum» [5], causa, inquam, physica sicut specierum ita et motionum. Iterum: «Voluntas quippe Dei semper efficax est, ut fiat omne, quod velit, et nihil fiat, quod nolit: quae de homine semper impletur, quocumque se vertat» [6].

Albertus Magnus: «Voluntas Dei causa est per se immediata et propria et necessaria omnium eorum, quae fiunt ab efficiente causa, et non a causa deficiente. In toto enim illo efficientium causarum ordine voluntas Dei prima est et princeps, omnes alias movens et agens ad causandum, quae vult, et sicut vult; aliter enim non esset in omnibus agentibus et actis essentialiter, praesentialiter, potentialiter, sicut influens eis esse, speciem et virtutem ad operandum» [7].

Alexander Alensis: «In bonis vero actibus voluntas nostra subjicitur divinae voluntati ut efficiens sub efficiente, secundum illud *(Is.*, 26, 12): *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine*» [8].

Capreolus († 1444): «Deus est causa non solum creaturae, sed etiam cujuslibet actionis creaturae, quatuor modis» [9]. Hanc thesim demonstrat

1 *Contra Gent.*, lib. 3, c. 89.
2 *Can.* 4; **Denz-Bannw.**, 177.
3 *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.**, 797.
4 *De corrept. et gratia*, c. 14; ML **44**, 942.
5 *De corrept. et gratia*, c. 14; ML **44**, 943-944.
6 *Orat.* 37, n. 13; MG **36**, 300.

1 *I-II*, q. 109, a. 1.
2 *I-II*, q. 10, a. 4 ad 3.
3 *De malo*, q. 6, a. un. ad 3.
4 *De malo*, q. 6, a. un. ad 3.
5 *I Sent.*, dist. 45, n. 5; ML **192**, 642.
6 *I Sent.*, dist. 47, n. 1; ML **192**, 648.
7 *Summa*, p. 1, tr. 20, q. 79.
8 *Summa theolog.*, p. 1, q. 40, memb. 1.
9 *In II Sent.*, dist. 1, q. 2, concl. 6.

http://www.obrascatolicas.com

verbis S. Thomae, *De potentia*, q. 3, a. 7, ubi Angelicus diserte defendit motionem Dei praeviam in hominem, in quantum Deus movet et applicat ejus virtutem ad agendum, sicut causa principalis movet et applicat instrumentum ad actionem. Deinde, articulo secundo, § 6, proponit Aureoli ac Durandi argumenta contra hanc doctrinam, ac tandem art. 3, § 6, ea solvit juxta theoriam thomistarum.

Ferrariensis († 1526): «Duplex vis ad agendum rebus creatis inest, dum agunt; una est forma habens esse firmum et ratum in natura, per quam agunt tanquam propria et naturali virtute; alia est vis, quae est intentio sola virtutis divinae habens esse incompletum per modum, quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento, et ista vis non convenit rebus, nisi quando actualiter operantur, et agunt tanquam divinae virtutis instrumenta, sicut et virtus artis non remanet in instrumento, nisi quando ipso utitur ad operationem artis. Deus ergo dat rebus naturalibus utramque virtutem, sed secundam tantum illis communicat, dum eas ad operationem applicat. Ideo dixit *S. Thomas*, quod superius agens dat inferiori agenti virtutem, per quam agit vel conservat eam, quod pertinet ad primam virtutem; vel applicat ad agendum, quod per secundam virtutem efficitur» [1].

Catechismus S. Pii V: «Non solum Deus universa, quae sunt, providentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam, quae moventur et agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat» [2].

165. 6) *Ex ratione:* a) Voluntas hominis in eliciendis actibus liberis est instrumentum Dei, non quidem proprium, sed , ut ait *S. Thomas*, «magis communiter», in quantum est movens a Deo mota, quia «homo sic movetur a Deo ut instrumentum, quod tamen non excluditur, quin moveat se ipsum per liberum arbitrium» [3]. Actus autem salutares, quos voluntas humana ut instrumentum Dei elicit, sunt physici, requirentes influxum physicum causae principalis. Ergo voluntas humana in operibus salutaribus liberis movetur a Deo physice.

«Liberum arbitrium hominis, ait ad rem *Norbertus del Prado*, sic agitur a Deo, ut ipse homo agat; sic movetur, ut ipse homo moveat seipsum; sic applicatur, ut seipsum applicet; sic determinatur, ut seipsum determinet» [1]; ita tamen ut homo, qua instrumentum Dei, nihil agat sine praevia motione et applicatione causae principalis.

b) Causa secunda nihil potest facere nisi in virtute et sub motione causae primae, quia «virtus... inferioris agentis dependet a virtute superioris agentis, in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti per quam agit, vel conservat eam; aut etiam applicat eam ad agendum» [2]. Unde *Liber de causis* hoc habet principium: «Omnis causa primaria plus est influens super causatum quam causa secunda universalis» [3]. Ergo voluntas humana, quae est causa secunda, non potest elicere actus salutares nisi mota et applicata physice a causa prima per gratiam efficacem. Unde Deus immediate operatur in voluntatem hominis et in actus salutares ejus.

c) Omne ens, quodcumque illud sit, producitur a Deo immediate per actionem physicam et realem. Sed actus secundus, ipse etiam consensus voluntatis creatae, est quoddam ens distinctum a potentia. Ergo. Aliqua entia producuntur a solo Deo, ut quae producuntur per creationem; alia a Deo et creaturis, a Deo quidem ut a causa prima, et a creaturis ut a causa secunda a Deo mota. «Nec aliquid agit ad esse, ait *Angelicus*, nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus. Et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus. Unde etiam, ut dicitur in *Libro de causis* (prop. 9), intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus divina. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis» [4].

d) Ratio gratiae efficacis postulat, ut ejus influxus infallibiliter et necessario necessitate consequentiae connectatur cum effectu, alioquin non esset efficax. Sed auxilium gratiae sufficientis aut congruae in sensu molinistarum et congruistarum, id est, gratia per sanctam cogitationem, illustrationem et suasionem moraliter influens in voluntatem, non connectitur infallibiliter et necessario necessitate consequentiae cum effectu. Ergo per motionem Dei physicam in voluntatem hominis, et non aliter, constituitur gratia efficax.

Prob. min. *α*) Auxilium gratiae sufficientis communis tantum in sensu molinistarum et gratiae congruae in sensu congruistarum non connectitur infallibiliter cum effectu. Voluntas siquidem humana cum auxilio hoc communi non potest determinari ad actum salutarem, et, non determinata voluntate, auxilium non connectitur infallibiliter cum effectu.

β) Neque gratia per illustrationem et suasionem moraliter influens connectitur infallibiliter cum effectu, quia saepenumero voluntas, quamvis sanctis cogitationibus et suasionibus excitetur, dissentit.

---

[1] *Contra Gent.*, lib. 3, c. 70. **Conimbricenses** expresse fatentur S. Thomam, Capreolum et Ferrariensem defendere nostram sententiam. «Circa modum, ajunt, quo Deus cum causis secundis ad earum operationes et effecta concurrit, discutienda se offert celebris opinio **S. Thomae,** *I p.*, q. 105; et *I-II*, q. 109, a. 1; et q. 3, *De potentia*, a. 7; ejusque sectatorum, **Capreoli,** *In II Sent.*, dist. 1, q. 2; **Ferrariensis,** *III Contra Gent.*, c. 70; et aliorum existimantium omnes causas secundas, antequam operentur, accipere a Deo influxum quemdam et motum, qui sit quasi esse intentionale virtutis divinae, quo ad promendas actiones excitantur, eo modo quo artium instrumenta, ut dolabra et securis praeviam motionem a fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur». *Physic.*, lib. 2, c. 7, q. 13. **Molina** quoque, *Concordia*, q. 14, disp. 26, docet praemotionem physicam esse de mente S. Thomae.

[2] *Parte I*, c. 2, n. 22.

[3] *I-II*, q. 21, a. 4 ad 2.

[1] *De gratia et lib. arb.*, p. 2, c. 3, pag. 128.

[2] **S. Thomas,** *Contra Gent.*, lib. 3, c. 70.

[3] *Liber de causis*, n. 1. Vide librum apud **Bonilla,** *Historia de la Filosofía española* (desde los tiempos primitivos hasta el siglo XII), p. 459.

[4] *De potentia*, q. 3, a. 7.

http://www.obrascatolicas.com

Objectiones diluuntur.

166. Obj. 1.° Christus Dominus *coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam: Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent* [1]. His verbis Christus innuit gratias, quae civibus Corozain et Bethsaidae fuerunt inefficaces, tyriis et sidoniis fore efficaces. Ergo idem auxilium gratiae potest esse uni inefficax et alteri efficax.

Resp. explicando textum. Tyrii et sidonii, si vidissent virtutes, quae factae sunt in Corozain et Bethsaida, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent, vi gratiae efficacis, sub decreto conditionali de verificandis inter ipsos praefatis signis, a Deo oblatae, **conc.;** vi virtutum, quae factae sunt inter incolas Corozain et Bethsaidae, **neg.** Hunc locum explicat *S. Augustinus* dicens: «Nec illis (tyriis et sidoniis) profuit quod poterant credere, quia praedestinati non erant ab eo, cujus inscrutabilia sunt judicia et investigabiles viae; nec istis (corozainitis et bethsaiditis) obfuisset, quod non poterant credere, si ita praedestinati essent, ut eos caecos Deus illuminaret, et induratis cor lapideum vellet auferre» [2]. Corozainitis et bethsaiditis non obfuisset, si praedestinati essent. Ut hoc explicaret, confugit *S. Augustinus*, non ad identitatem gratiae sufficientis et efficacis, sed ad mysterium praedestinationis, quo initium et media ad finem praeordinantur.

Obj. 2.° Apostolus: *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* [3]. Isaias: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod exspectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* [4]. Apostolus his verbis docet hominem, posita gratia sufficienti, posse consentire vel dissentire; et Isaias affirmat hominem, acceptis omnibus auxiliis, quae ex parte Dei necessaria sunt ad opus salutare, saepe deficere.

Resp. Textus allati probant, ut suo loco diximus, Deum conferre hominibus gratias sufficientes, ut huic gratiae Dei cooperantes, salutem consequantur aeternam. Unde Apostolus exhortatur fideles, ne gratiae Dei resistant, et Isaias lamentatur, quod populus, beneficiis Dei rejectis, fructus peccati protulerit, quod in sententia thomistarum ultra admittimus.

Obj. 3.° Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari adsentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, a. s.» [5]. Ergo liberum hominis arbitrium potest gratiae efficaci dissentire, si velit, et contrarium facere.

Resp. Admisso integro tridentini canone, **dist. conseq.:** Liberum hominis arbitrium potest gratiae efficaci dissentire, si velit, et contrarium facere, in sensu diviso, id est, voluntas humana per gratiam efficacem excitata atque mota habet facultatem dissentiendi atque contrarium faciendi, **conc.;** in sensu composito, id est, voluntas humana per gratiam efficacem ad consensum a Deo mota potest cum motione dissensum cunjungere, **neg.** [6].

Cl. *Beraza* contradicit Banesio dicens: «Decipitur, ni fallor, iste theologus asserens idem esse liberum arbitrium motum posse in sensu composito dissentire, ac posse conjungere consensum cum dissensu. Nam dissentire motioni non est conjungere dissensum cum consensu, quantumvis in sensu composito sumatur. Alias, qui tentationi dissentit, conjungeret dissensum cum consensu in tentationem quod est absurdum» [7]. Sed omnino tenenda

[1] *Matth.*, 11, 20 sq.
[2] *De dono perseverantiae*, c. 14; ML **45**, 1014.
[3] *II Cor.*, 6, 1.
[4] *Is.*, 5, 4.
[5] *Sess.* 6, can. 4; **Denz-Bannw.**, 814.
[6] Cfr. **Banez,** *In II-II*, q. 10, a. 1, docum. 3.
[7] *De gratia*, n. 543.

est doctrina *Banez*. Sane motio gratiae efficacis non est consensus, sed confertur voluntati simul cum consensu, et dissentire motioni gratiae efficacis in sensu composito importat conjungere consensum cum dissensu [1].

Obj. 4.° *Ex auctoritate S. Thomae.* 1) Juxta *S. Thomam:* «Deus non determinat voluntatem, sed voluntas se ipsam determinat, quando libere agit».

2) «Voluntas determinatur a Deo, quando fertur in finem ultimum; et non a Deo sed a se ipsa, quando fertur ad ea, quae ad finem ultimum ordinantur».

3) «Voluntas non esset libera, nisi se ipsam determinaret».

4) «Deus ita movet voluntatem, ut huic motioni voluntas resistere possit».

5) «Est simpliciter impossibile, ut actiones liberas creaturae cognoscat Deus in causis, id est, in decretis praedeterminantibus et in ipsa praedeterminatione physica».

6) «Locutiones: *Deus praedeterminat voluntatem: Deus praemovet praemotione physica nostram voluntatem:* ne semel quidem apud *S. Thomam* reperiuntur».

Has propositiones collegit atque expendit cl. *Beraza*, et per eas contendit probare doctrinas thomistarum contradicere in hac materia principiis *S. Thomae*.

Respondeo has propositiones non esse fideliter collectas ex *S. Thoma*, nec bene applicatas principiis Angelici Doctoris.

Ad primum: Deus ut prima et principalis causa determinat voluntatem, et voluntas ut causa secunda ac instrumentalis libera se ipsam determinat, quando libere agit.

Ad secundum: Voluntas humana juxta thomistas et juxta *S. Thomam* movetur ac determinatur ad actum secundum a Deo, tum quando fertur ad finem ultimum, tum quando fertur ad ea, quae sunt ad finem. Ipsi quoque liberrimi actus voluntatis, in quibus liberum arbitrium se ipsum movet, producuntur et determinantur a Deo, causa prima et principali. Textus autem Angelici, qui in contrarium adducuntur ex *IV Sent.*, dist. 49, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 1; et sol. 3; ex *I-II*, q. 9, a. 3; *De malo*, q. 6, a. un.; etc., referuntur ad determinationem liberam voluntatis, supposita motione Dei. In omnibus his locis docet *S. Thomas* voluntatem humanam per impressionem a Deo acceptam necessario ferri ad beatitudinem bonumque in communi, ad alia vero objecta creata libere determinari. Sed ex hac libera determinatione voluntatis humanae ad ea, quae sunt ad finem, nunquam excludit motionem atque determinationem Dei.

Ad tertium: Ultro concedimus thomistae voluntatem humanam nunquam fore liberam, nisi se ipsam determinaret, sed ulterius defendimus eam, quando se ipsam determinat, a Deo simul efficaciter moveri.

Ad quartum: Thomistae pariter docent Deum ita movere efficaciter voluntatem hominis, ut voluntas possit huic motioni resistere in sensu diviso, quamvis nequeat ei resistere in sensu composito, quia non valet consensum dissensui conjungere.

Ad quintum: Miror vehementer textus *S. Thomae* ex *I Sent.*, dist. 38, q. 1, a. 5; et *De veritate*, q. 2, a. 12, contra doctrinam thomisticam adlegari. Angelicus in primo loco agit de cognitione contingentium in suis causis secundis, quae se habent ad utrumque; et in secundo loco de cognitione futurorum contingentium, ut sunt futura. Deus non cognoscit futura contingentia, ut sunt futura, bene tamen, ut sunt praesentia in aeternitate per suum decretum absolutum.

Ad sextum: Locutiones: *physica praedeterminatio, physica praemotio*, etc., non reperiuntur in *S. Thoma* ad litteram, saepissime tamen quoad sensum.

167. Corollarium. Ex his facile colliges gratiam Dei efficacem constitui per praemotionem et praedeterminationem physicam, qua Deus

[1] Cfr. **Lemos,** *Panoplia gratiae*, lib. 4, p. 2, c. 22 sq.

http://www.obrascatolicas.com

voluntatem humanam efficaciter movet, sine detrimento libertatis creatae, faciens ut voluntas libere faciat, movens scilicet eam libere se moventem, atque determinans ipsam libere se determinantem.

Triplex est motus voluntatis humanae in aliqua objecta, et juxta hunc triplicem motum, tripliciter exercet Deus praemotionem physicam in voluntatem humanam.

Primus motus voluntatis est in bonum commune et in beatitudinem in genere; et est naturalis ac necessaria inclinatio ante deliberationem rationis; **secundus** est motus voluntatis in bonum particulare ordinis naturae omnino liber; **tertius** est motus voluntatis ad aliquod bonum particulare ordinis gratiae, et, quamvis transcendat vires naturales rationis, est vel simplex volitio vel actus liber voluntatis, prout motus praecedit vel non usum liberi arbitrii.

In primo motu voluntas fertur naturali inclinatione, et est mota non movens; **in secundo motu** fertur ex deliberatione, et est se movens et a Deo mota; **in tertio motu** aliquando praevenitur per gratiam operantem ante usum liberi arbitrii, et est a Deo mota non movens, aliquando adjuvatur per gratiam cooperantem post usum liberi arbitrii, et est a Deo mota se movens [1].

168. Scholion. Quidam theologi thomistae, rejecta molinistarum et congruistarum theoria, docuerunt efficaciam gratiae repetendam esse, non a praemotione physica, sed ab influxu morali per modum illustrationis, suasionis, etc., ita ut voluntas per gratiam sufficientem elevata moveatur infallibiliter a Deo per sanctas cogitationes, bonas affectiones, exhibitionem boni objecti, etc., ad actum secundum. Ita *Joannes Gonzalez*, O. P., et *Franciscus Arauxo*, O. P. [2].

Eorum tamen argumentatio non videtur satis solida. Voluntas siquidem, quantumvis bonis cogitationibus, piis affectionibus, atque repetitis suasionibus ad bonum invitetur, majori tentatione victa, vel instabili conditione pervoluta, aliisve causis agitata, plerumque deficit ab actu salutari. Unde inter influxum moralem a Deo voluntati immissum et actum salutarem non datur infallibilis nexus.

169. THESIS II. **Gratia Dei efficax non est formaliter operatio supernaturalis voluntatis, prout dependet a Deo, sed est aliquid reale supernaturale per modum motus et impressionis transeuntis a Deo in potentiis animae prius natura causatum, quam operatio potentiarum exerceatur.**

Est applicatio doctrinae, quam dedimus superius n. 16, dum ageremus de natura gratiae actualis.

Pars 1.ª Non est formaliter operatio supernaturalis voluntatis.

Arg. 1) Omnia documenta ecclesiastica, quae exstant circa necessitatem gratiae, crebro nos docent auxilium efficax gratiae esse nobis

[1] Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 9, a. 6 ad 3; et *I-II*, q. 3, a. 2; **Lemos,** *Panoplia gratiae*, lib. 4, p. 2, n. 536 sqq.; et **N. del Prado,** *De gratia et lib. arb.*, p. 2, c. 7, § 3, concl. 1.

[2] **González,** *In I p.*, q. 19, a. 8, disp. 58, sect. 2; **Arauxo,** *In I-II*, q. 3, a. 5, dub. 6, n. 41. Alius etiam Ordinis Praedicatorum theologus nomine **Josephus Vita** in opere *De proprio et per se principio* dicitur praemotionem physicam simul et scientiam mediam impugnasse. Cfr. **Hurter,** *Nomenclator lit.*, vol. 4, p. 24 sqq.

necessarium ad opera salutaria. Si autem gratia efficax esset formaliter ipsa voluntatis operatio, haec adsertio esset inutilis, quia ridiculum esset adserere operationem voluntatis esse necessariam ad operationem ejusdem.

2) *S. Thomas:* «In operatione, qua Deus operatur, movendo naturam, non operatur natura, sed ipsa naturae operatio est etiam operatio virtutis divinae, sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis» [1]. Rursum: «Motio autem moventis praecedit motum mobilis ratione et causa» [2].

3) Supernaturalis operatio voluntatis humanae procedit a gratia sicut effectus a causa. Causa autem realiter distinguitur ab effectu, ut ostendunt philosophi [3]. Ergo gratia efficax non est formaliter ipsa operatio voluntatis.

Dices. Huic doctrinae *Angelicus* contradicere videtur dicens: «In eo, qui dicitur gratiam Dei habere, significatur esse quidam effectus gratuitae Dei voluntatis. Dictum est autem supra, q. 109, a. 1, quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur: uno modo, in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum, vel agendum; et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae; *actus enim moventis in moto est motus*, ut dicitur *in 3 Physic.*, text. 18» [4]. Motus autem animae est operatio. Ergo gratia efficax, qua «anima hominis movetur a Deo ad aliquid... agendum» est formaliter operatio voluntatis.

Resp. 1) *Angelicus* in hoc textu dividit gratiam in actualem et habitualem, et diserte docet gratiam habitualem esse qualitatem in anima receptam, et gratiam actualem esse motum animae. Ex hoc tamen non licet inferre omnem gratiam actualem esse formaliter operationem, ut patet ex gratia sufficienti, quae, quamvis sit actualis, non potest vocari operatio.

2) **Neg. min.** Motus animae, id est, motus, qui egreditur ab agente et recipitur in anima, non est operatio elicita ab anima, sed aliquid viale et fluens receptum in anima et ipsam movens ad operandum. Unde *S. Thomas* non dixit motum ab anima elicitum, sed motum animae, «in quantum anima hominis movetur... ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum», et nullatenus significavit gratiam actualem esse operationem supernaturalem animae, sed motum animae, id est, motum animae impressum, quia motus est actus moventis in moto. De hoc statim uberius.

Pars 2.ª Gratia Dei efficax est aliquid reale supernaturale per modum motus et impressionis transeuntis a Deo in potentiis animae prius natura causatum quam operatio potentiarum exerceatur.

Arg. 1) *S. Thomas:* «Omnis motus est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio».

2) Quod praemotio physica facit in actibus naturalibus, facit gratia

[1] *De potentia*, q. 3, a. 7 ad 3.

[2] *Contra Gent.*, lib. 3, c. 149.

[3] Cfr. **Complutenses,** *Physic.*, disp. 8, q. 1.

[4] *I-II*, q. 110, a. 2.

http://www.obrascatolicas.com

efficax in actibus salutaribus. Praemotio autem ad actus naturales requisita est aliquid reale per modum motus transeuntis a Deo in potentiis hominis causatum. Ergo. Ad rem *S. Thomas:* «Virtus naturalis, quae est in rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat (praemotio), est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere et virtus in instrumento artificis... Unde, sicut patet, quod instrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur absque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione divina» [1].

Id ipsum radicitus explicat *S. Thomas* dicens: «In quolibet enim agente est duo considerare, scilicet, rem ipsam quae agit, et virtutem qua agit; sicut ignis calefacit per calorem. Virtus autem inferioris agentis dependet a virtute superioris agentis, in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti, per quam agit, vel conservat eam, aut etiam applicat eam ad agendum; sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat, per quam agit instrumentum, nec conservat, sed dat ei solum motum. Oportet igitur, quod actio inferioris agentis non solum sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium; agit enim in virtute omnium; et sicut agens infimum invenitur *immediatum activum*, ita virtus primi agentis invenitur *immediata* ad producendum effectum. Nam virtus infimi agentis non habet, quod producat hunc effectum *ex se*, sed ex virtute superioris proximi, et virtus illius ex virtute superioris, et sic virtus supremi agentis invenitur ex se productiva effectus, quasi causa immediata; sicut patet in principiis demonstrationum, quorum primum est immediatum. Sicut igitur non est inconveniens, quod una actio producatur ex aliquo agente et ejus virtute, ita non est inconveniens, quod producatur idem effectus ab inferiori agente et a Deo, ab utroque immediate, licet alio et alio modo... Patet autem quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti totus» [2].

Ex his facile deducitur gratiam efficacem dari a Deo hominibus per modum motus et impressionis transeuntis.

170. Amplior explicatio.

I. **Natura motus.** Ad hoc rite intelligendum non parum juverit explicare naturam motus, et rationem, qua dicitur gratiam efficacem dari a Deo per modum motus.

1) Naturam motus definiens ait Philosophus: «Actus ejus, quod est potestate qua talis, motus est» [3], vel, vertit *Angelicus:* «Motus est actus exsistentis in potentia, secundum quod hujusmodi» [4]. «Est, inquit iterum, actus

[1] *De potentia*, q. 3, a. 7 ad 7.
[2] *Contra Gentiles*, lib. 3, c. 70.
[3] *Nat. auscult.*, lib. 3, c. 1; **Didot,** *Aristotelis opera*, vol. 2, p. 273. Nihil hoc obscurius dici potuisse adserit **Gassendus,** *Physica*, sect. 1, lib. 5, c. 1.
[4] *Physic.*, 3, lect. 2.

imperfectus, medius inter potentiam et actum» [1]. Et alibi: «Considerandum est igitur, quod aliquid est in actu tantum, aliquid vero in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam puram et actum perfectum. Quod igitur est in potentia tantum, nondum movetur; quod autem jam est in actu perfecto, non movetur, sed jam motum est. Illud igitur movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum, quod quidem partim est in potentia, et partim in actu, ut patet in alteratione. Cum enim aqua est solum in potentia calida, nondum movetur; cum vero est jam calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero jam participat aliquid de calore sed imperfecte, tunc movetur ad calorem... Ipse igitur actus imperfectus caloris in calefactibili exsistens, est motus; non quidem secundum id, quod actu tantum est, sed secundum quod jam in actu exsistens, habet ordinem ad ulteriorem actum... Sic igitur actus imperfectus habet rationem motus, et secundum quod comparatur ad ulteriorem actum ut potentia, et secundum quod comparatur ad aliquid imperfectius ut actus. Unde neque est potentia exsistentis in potentia, neque est actus exsistentis in actu, sed est actus exsistentis in potentia; ut per id, quod dicitur *actus*, designetur ordo ejus ad anteriorem potentiam; et per id, quod dicitur *in potentia exsistentis*, designetur ordo ejus ad ulteriorem actum» [2].

2) *Motus recipitur in mobili*, quia, ut iterum dicit *S. Doctor*, «motus est in mobili, cum sit actus mobilis, causatus tamen in eo a movente» [3].

3) *Motus distinguitur quidem realiter, distinctione reali* modali, a termino ad quem, ut communius tradunt doctores contra paucos [4], sed «quantum ad suam substantiam reducitur ad illud genus, in quo sunt termini motus, sicut imperfectum ad perfectum, quamvis ponatur in praedicamento passionis, secundum quod importat ordinationem moventis ad motum» [5].

II. *Gratia Dei efficax confertur homini per modum motus. Angelicus Doctor* expresse docet hominem per gratiam Dei adjuvari, «in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae: actus enim moventis in moto est motus» [6]; motus inquam animae, non ab anima elicitus, ut minus recte quidam dixerunt, sed motus a Deo impressus in anima [7].

Gratia efficax non bene dicitur id, quod movet atque praedeterminat potentias hominis ad operandum, quasi esset agens quoddam, sed melius dicitur id, quo Deus tanquam instrumento intellectum voluntatemque hominis movet et applicat ad operationem.

Haec gratia efficax producitur immediate a potentia divina, sed tamen non est ipsa Dei actio, quia est aliquid ad extra egrediens, nec est forma vel qualitas potentiis animae inhaerens, sed est actualis ac intentionalis virtus Dei potentias animae immediate ac transeunter movens atque in actionem et effectum voluntatis operans eo fere modo, quo virtus causae principalis movet instrumentum et producit ejus actionem atque effectum.

Egreditur a Deo agente et recipitur transeunter in potentiis animae, et una cum ipsis operantibus agit in actionem ac effectum, tangens immediate potentias animae earumque actiones et effectus.

Non est potentia operativa, neque operatio, sed virtus media, quae facultates operativas animae reducit in actum, quin tamen proprie inhaereat potentiis animae per modum formae, sed prout transeunter recipitur in ipsis [8].

[1] *Physic.*, lib. 3, lect. 3.
[2] *Physic.*, lib. 3, lect. 2. Cfr. **Complutenses abbreviati,** *Physic.*, lib. 3, disp. 16, q. 1, § 1.
[3] *Physic.*, lib. 3, lect. 4.
[4] Cfr. **Complutenses abbreviati,** *Physic.*, lib. 3, disp. 16, q. 3.
[5] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 4, sol. 2 ad 1.
[6] *I-II*, q. 110, a. 2.
[7] Cfr. **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 7, n. 297.
[8] Cfr. **Lemos,** *Panoplia gratiae*, lib. 3, p. 1, tr. 1, n. 306; et **N. del Prado,** *De*

http://www.obrascatolicas.com

Prius saltem natura recipitur gratia sufficiens in voluntate, qua homo fit potens operari actus salutares, et gratia efficax superveniens distinguitur realiter ab ea.

Posset in dubium verti, an gratia efficax praevia, quae voluntatem movet et applicat ad agendum, distinguatur realiter a gratia efficaci simultanea, quae voluntatem motam concomitatur, atque cum ea actionem effectumque producit.

Plures affirmant, et habent fundamentum in *S. Thoma*, qui ait: «Antequam aliquid moveatur, est in potentia ad duos actus, scilicet, ad actum perfectum, qui est terminus motus, et ad actum imperfectum, qui est motus. Sicut aqua, antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calorem et ad calidam esse; cum autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui est motus, nondum in actum perfectum, qui est terminus motus, sed adhuc respectu ipsius remanet in potentia» [1]. Volunt igitur plures potentiam ad actum imperfectum actuari per gratiam efficacem praeviam, potentiam vero ad actum perfectum per gratiam efficacem simultaneam [2].

Alii vero existimant concursum simultaneum esse continuationem concursus praevii, et gratiam efficacem, quae movet liberum arbitrium ad operandum, simul cum eo concurrere ad producendam actionem et effectum [3]. Nolunt enim concedere gratiam efficacem Dei habere duplicem terminum, unum movere et applicare voluntatem ad agendum, alterum simul cum causa secunda agere et producere effectum.

171. THESIS III. **Gratia Dei efficax praevia, infallibiliter movens voluntatem humanam, non tollit nec minuit sed perficit ejus libertatem.**

Arg. Fundamentum scientificum hujus theseos in hoc consistit, quod Deus, movens voluntatem hominis, facit, ut libere ipsa se moveat atque velit effectum, adeo ut eadem actio idemque effectus libere omnino producantur a Deo causa prima et principali, atque a voluntate causa secunda et instrumentali. Voluntas hominis a Deo efficaciter mota, applicata, et aliquando mutata, libere se movet, applicat et mutatur, imo libere vult id, ad quod a Deo efficaciter movetur et applicatur.

Hanc doctrinam fundamentalem diserte tradunt *S. Augustinus* et *Angelicus* sequentibus praecipue verbis:

S. Augustinus: «Non enim quia dixit: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est» [4].

«Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit» [5].

S. Thomas: «Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult; vult autem quaedam Deus fieri necessario, quaedam contingenter» [6].

---

gratia et lib. arb., p. 1, c. 5. Quoad substantiam reducitur ad speciem termini, ad quem ordinatur motio, sicut imperfectum ad perfectum.

1 *Physic.*, lib. 3, lect. 2.
2 Cfr. **Salmanticenses**, *De gratia*, disp. 7, n. 330.
3 Ita **Lemos**, *Panoplia gratiae*, lib. 3, p. 1, tr. 1, n. 291 sqq.
4 *De gratia et lib. arb.*, c. 9; ML **44**, 894.
5 *De gratia et lib. arb.*, c. 21; ML **44**, 908.
6 *I p.*, q. 19, a. 8.

«Ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, quae sic fieri vult» [1].

«Tractus ille non importat violentiam, sed operationem divinam, qua operatur in liberum arbitrium, vertendo id quocumque voluerit; et sic illud, ad quod homo trahitur, aliquo modo ad liberum arbitrium pertinet» [2].

«Omnia movet (Deus) secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens et non necessarius nisi in his, ad quae naturaliter movetur» [3].

Objectio difficilis.

172. Obj. De ratione libertatis humanae est indifferentia ad utramque contradictionis partem, adeo ut voluntas, quae dicitur libera, possit agere vel non agere, consentire vel non consentire. Atqui voluntas humana a Deo per gratiam efficacem ad agendum vel consentiendum mota ac determinata non potest non agere vel non consentire, quia impossibile est, quod non agat vel non consentiat. Ergo.

Resp.—Dist. min. Voluntas humana... non potest non agere vel non consentire, in sensu composito, **conc.;** in sensu diviso, **neg.** Id est, voluntas humana in hoc casu conservat ac retinet, etiam sub influxu Dei efficaci, potentiam expeditam ad non agendum et ad non consentiendum; et ita dicitur voluntatem humanam a Deo efficaciter motam *in sensu diviso* posse non agere vel non consentire. Sed, quia Deus per gratiam efficacem applicat voluntatem humanam ad actum vel consensum, et metaphysice impossibile est actum cum non actu vel consensum cum dissensu conjungere, ideo dicitur voluntatem sic motam et applicatam non posse *in sensu composito* non agere vel non consentire.

Optime ad rem ait *Angelicus:* «Impossibile est haec duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum caritatis, et quod ipse caritatem amittat peccando» [4]. Nonne hic homo per Spiritum Sanctum ad caritatem motus, caret potentia ad peccandum? Non. Et hac de causa non dixit *Angelicus* hujusmodi hominem non posse peccare, sed motionem Spiritus Sancti ad caritatem et peccatum in uno homine conjungi non posse. Unde iterum *S. Thomas:* «Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur» [5].

In ipso etiam momento, in quo homo praemotionem seu gratiam efficacem recipit, et *in ipso momento, in quo agit*, potest non agere, quia libere agit; sed, quia praemotio seu gratia efficax dat ipsum agere, et agere cum non agere conjungi non potest, ideo impossibile est hominem ad agendum vel consentiendum praemotum in sensu composito non agere vel dissentire.

---

1 *I p.*, q. 19, a. 8 ad 2.
2 *De veritate*, q. 28, a. 4 ad 2.
3 *I-II*, q. 10, a. 4. Cfr. *Quodlib.* 1, a. 7 ad 2.
4 *II-II*, q. 24, a. 11.
5 *I-II*, q. 10, a. 4 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

173. Scholion. Ex theoriis hactenus expositis potest unusquisque quam maluerit sententiam libere sequi, dummodo caveat aliter sentientes censura inurere vel epithetis parum correctis abjicere. Quantum ad nos attinet, systema thomisticum ideo defendimus, quia menti *S. Thomae* conformius et libertati humanae cum gratia efficaci conciliandae aptius esse censuimus.

SECTIO III

DE GRATIA HABITUALI

QUAESTIO X

DE NATURA GRATIAE HABITUALIS

174. 1) Gratias actuales homo recipit, ut gratiam habitualem adipiscatur. Hinc, postquam egimus de quaestionibus ad gratias actuales pertinentibus, ordo rerum postulat, ut de gratia habituali disseramus.

2) Gratia habitualis dicitur etiam communiter gratia *sanctificans* et *gratia gratum faciens*, quia permanenter in anima exsistens eam sanctificat et gratam seu amicam Deo reddit, ut inferius dicemus. Unde definiri potest: *Donum supernaturale creaturae rationali a Deo concessum et per modum qualitatis permanentis animae inhaerens, eamque faciens Deo gratam et haeredem regni caelorum.*

3) Justificatio impii computanda est inter effectus gratiae habitualis, et ideo consulto loquimur primo de natura et conditionibus gratiae habitualis, deinde acturi de justificatione impii.

ARTICULUS I

UTRUM GRATIA HABITUALIS SIT ALIQUID REALE, CREATUM, INTRINSECE RECEPTUM IN ANIMA

175. Status quaestionis. 1) Ex sacra Scriptura et documentis ecclesiasticis constat homines vere et realiter fieri Deo gratos, quia, *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo* [1].

2) Nolumus hic decidere, an gratia habitualis sit ens per creationem vel aliter productum, quod inferius data opera declarabimus, sed solum scire volumus, an gratia sanctificans sit ens a Deo quomodolibet productum; id est, quaerimus, an id, quo reddimur amici Dei, sit aliquid reale, a Deo productum, et intrinsece receptum in anima.

176. Errores. 1) Priscillianistae contendebant animam humanam per se ipsam esse gratiam, quia «animam hominis divinae adserebant esse substantiae» [2]. Damnati sunt in Concilio Toletano I vel ab auctore Formulae:

---

[1] *Rom.*, 5, 10.
[2] **S. Leo**, *ep.* 15, c. 5; ML **54**, 682.

http://www.obrascatolicas.com

Libellus in modum symboli, his verbis: «Si quis dixerit vel crediderit animam humanam Dei portionem vel Dei esse substantiam, a. s.» [1].

2) Lutherani et calvinistae, qui, ut videbimus inferius, docent remissionem peccatorum et justificationem hominis fieri per imputationem extrinsecam justitiae Christi, non videntur admittere gratiam, entitatem creatam intrinsece receptam in anima, qua reddamur Deo grati.

177. THESIS. **Gratia habitualis seu sanctificans, qua homo efficitur Deo gratus, est aliquid reale, creatum, et intrinsece receptum in anima.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia... Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* [2]. Iterum: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet* [3]. Apostolus: *Qui unxit nos Deus; qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* [4]. In his locis gratia dicitur per Jesum Christum facta, a nobis accepta, imo et pignus Spiritus ac semen Dei in cordibus nostris manens. Haec autem omnia significant gratiam sanctificantem esse aliquid creatum intrinsece receptum in anima.

2) *Ex Concilio Tridentino.* Concilium expresse docet homines justificari «gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat» [5].

3) *Ex SS. Patribus. S. Cyrillus alexandrinus:* «Formatur autem in nobis Christus, Sancto Spiritu nobis divinam quamdam formam per sanctificationem et justitiam induente» [6]. *S. Augustinus:* «Ille, in quo omnes vivificantur, praeter quod se ad justitiam exemplum imitantibus praebuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis» [7].

4) *Ex ratione.* Ea est inter voluntatem nostram et divinam differentia, quod voluntas nostra supponit bonum, quod amat, et voluntas divina, cum amat absolute et simpliciter, efficit bonum, objectum sui amoris. Sed voluntas divina amat amore supernaturali absolute et simpliciter hominem sibi gratum et carum. Ergo efficit in eo rationem bonitatis supernaturalis, quae est per gratiam. Profundissime hoc explicat *S. Thomas* dicens: «Quamlibet Dei dilectionem sequitur aliquod bonum in creatura causatum quandoque, non tamen dilectioni aeternae coaeternum. Et secundum hujusmodi boni differentiam differens consideratur dilectio Dei ad creaturam; una quidem communis, secundum quam *diligit omnia, quae sunt*, ut dicitur Sap. 11, secundum quam esse naturale rebus creatis largitur; alia autem dilectio est specialis, secundum quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturae ad participationem divini boni, et secundum hanc dilectionem dicitur aliquem diligere simpliciter, quia secundum hanc dilectionem vult Deus simpliciter creaturae bonum aeternum, quod est ipse. Sic igitur, per hoc, quod dicitur homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine a Deo proveniens» [1].

Dices. Potest Deus amare hominem, quin producat in eo gratiam sanctificantem, ut patet ex amore supernaturali, quo vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quin gratiam sanctificantem in omnibus producat. Ergo ratio praecedens non probat. Ita *Ockamus* [2].

Respondeo. Rationem *S. Thomae* intelligendam esse de amore Dei absoluto et simpliciter tali, non de amore imperfecto et secundum quid. Homines autem, quos vult voluntate antecedente salvos fieri, non diligit amore absoluto et simpliciter tali, sed amore imperfecto et secundum quid..

ARTICULUS II

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS SIT QUALITAS PERMANENS IN ANIMA

178. Status quaestionis. 1) Qualitas recte definitur: *Accidens dispositivum substantiae.* Porro qualitas, ut docemur in philosophia, complectitur quatuor species geminas. Si disponat substantiam bene vel male in se ipsa, dicitur *habitus* et *dispositio;* si in ordine ad actionem, *potentia* et *impotentia;* si in ordine ad motum, *passio* et *passibilis qualitas;* si in ordine ad quantitatem, *forma* et *figura.*

2) Compertum est gratiam sanctificantem non pertinere ad secundam, tertiam et quartam speciem qualitatis, quia directe non ordinatur ad operationem, ut potentia et impotentia; nec est accidens corporeum, ut passio et passibilis qualitas, forma et figura.

3) Gratia sanctificans, utpote spiritualis, facilius posset pertinere ad primam speciem qualitatis, quae dispescitur in habitum et dispositionem, ita ut accidens disponens substantiam bene vel male in se ipsa, si sit difficile mobile, dicatur *habitus*, sin autem *dispositio*. Porro non potest esse *dispositio*, quia ex se est permanens et difficile mobilis.

4) Unde quaeritur, an gratia sanctificans sit a) accidens; b) qualitas permanens; c) prima species qualitatis, quae dicitur habitus.

179. THESIS I. **Gratia sanctificans non est substantia sed forma accidentalis.**

Arg. 1) Gratia sanctificans, ut videbimus infra, est donum Dei supernaturale creatum, quo reddimur Deo accepti ac grati. Sed nulla res supernaturalis creata potest esse substantia. Ergo gratia sanctificans non est substantia sed accidens. **Prob. min.** Supernaturalitas, ut bene docet *Vazquez*, non est nisi forma, quae perficit naturam «supra id, quod ipsa vel alia creata substantia ex suis principiis et constitutione naturali postulat» [3]. Forma autem, quae ita rem perficit, est accidentalis et non substantia. *S. Thomas* ad rem: «Omnis substantia vel est ipsa natura rei cujus est substantia, vel est pars naturae; secundum quem modum materia vel forma substantia dicitur. Et quia gratia est supra

---

1 *Mansi*, 3, 1004; **Denz-Bannw.**, 31; vid. ibid. nota ad n. 19.
2 *Joan.*, 1, 16-17.
3 *I Joan.*, 3, 9.
4 *II Cor.*, 1, 21-22.
5 *Sess.* 6, can. 11; **Denz-Bannw.**, 821.
6 *In Is.*, lib. 4, or. 2; MG **70**, 936.
7 *De peccat. merit. et remiss.*, lib. 1, c. 9; ML **44**, 114.

1 *I-II*, q. 110, a. 1. Cfr. *De veritate*, q. 27, a. 1.
2 *In I Sent.*, dist. 27, q. 1.
3 *In I p.*, disp. 44, nn. 3 et 4.

http://www.obrascatolicas.com

naturam humanam, non potest esse, quod sit substantia aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animae. Id enim, quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem, ut de scientia patet» [1].

2) Concilium Tridentinum expresse docet gratiam habitualem inhaerere cordibus hominum [2]. Inhaerere autem alteri non est substantiae sed accidentis.

180. THESIS II. **Gratia habitualis est qualitas physica permanens.**

Arg. 1) Sacra Scriptura, ut jam superius diximus, gratiam habitualem appellat *semen*, *pignus* et *sigillum*. Haec autem nomina satis innuunt gratiam sanctificantem esse accidens supernaturale disponens animam, quae non potest esse nisi qualitas permanens.

2) Concilium Viennense admisit tanquam probabiliorem et Sanctorum ac Doctorum modernorum dictis magis consonam opinionem, quae dicebat in baptismo tam parvulis quam adultis infundi informantem gratiam et virtutes [3]. Et deinde Concilium Tridentinum diserte adseruit in justificatione hominum gratiam et caritatem in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundi atque illis inhaerere [4]. Nihil autem diffunditur nec inhaeret cordibus hominum nisi qualitas permanens. Ergo.

3) Catechismus romanus *S. Pii V* ait: «Est autem gratia, quemadmodum tridentina synodus ab omnibus credendum, poena anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens» [5].

4) Mirifice hoc illustrat *Angelicus* dicens: «Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod aliquod habituale donum a Deo animae infunditur. Et hoc ideo, quia non est conveniens, quod Deus minus provideat his, quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum se ipsas inclinentur ad hujusmodi motus, et sic motus, quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles, secundum illud Sapientiae, 8, 1: *Et disponit omnia suaviter*. Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum aeternum consequendum; et sic donum gratiae qualitas quaedam est» [6].

Disputant theologi, an haec doctrina sit de fide.
Affirmant *S. Bellarminus*, *Valentia* et *Suarez* [7].

[1] *I-II*, q. 110, a. 2 ad 2.
[2] *Sess.* 6, can. 11; **Denz-Bannw.**, 821.
[3] **Denz-Bannw.**, 483.
[4] *Sess.* 6, can. 11; **Denz-Bannw.**, 821.
[5] *Part.* 2, c. 2, n. 50.
[6] *I-II*, q. 110, a. 2.
[7] **S. Bellarminus**, *De gratia et lib. arb.*, lib. 1, c. 3; **Valentia**, *In I-II*, disp. 4, q. 3, p. 4; **Suarez**, *De gratia*, lib. 6, c. 3, n. 6.

Negant *Cano*, *Medina*, *Salmanticenses*, *Prado* et alii [1], quia Concilium Tridentinum incidentaliter tantum dixit gratiam habitualem in cordibus renatorum diffundi.

181. THESIS III. **Gratia sanctificans pertinet ad primam speciem qualitatis, quae est habitus.**

Arg. Gratia sanctificans est qualitas permanens animae rationali impressa. Sed haec qualitas permanens nequit esse nisi habitus, ut alias species qualitatis consideranti patet. Ergo.

182. Corollarium I. Ex dictis in hoc articulo facile deduces gratiam sanctificantem, utpote principium amoris supernaturalis et visionis beatificae, esse formam supernaturalem.

183. Coroll. II. Compertum est pariter gratiam sanctificantem esse entitatem ab anima rationali ejusque potentiis realiter distinctam. Est siquidem accidens quoddam supernaturale, animae cum suis potentiis jam constitutae modo supernaturali adveniens.

184. Coroll. III. Gratia sanctificans, quae, sicut diximus superius, inhaeret permanenter animo, distinguitur realiter a gratia actuali, quae solum transeunter recipitur in anima. Item, distinguitur re ab actibus virtutum, sicut omnis habitus distinguitur ab actu. Hinc infantes baptizati imo et adulti justi dormientes habent proculdubio gratiam sanctificantem, quamvis non exerceant actus virtutum. Unde Concilium Vaticanum paraverat *schema Constitutionis dogmaticae de doctrina catholica*, in quo dicebatur: «Hoc quoque tenendum et ab omnibus christifidelibus profitendum est sanctificantem gratiam, qua Deo conjungimur, non in externo tantum favore Dei consistere, *neque in actibus praetereuntibus reperiri*, sed permanens esse donum supernaturale, quod divinitus infusum animae inhaeret, tam in adultis justificatis quam in infantibus baptismo regeneratis». Et deinde: «Si quis negaverit gratiam sanctificantem donum esse supernaturale permanens et in anima inhaerens, a. s.» [2].

ARTICULUS III

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS SIT PARTICIPATIO FORMALIS AC PHYSICA NATURAE DIVINAE SUB CONCEPTU NATURAE

185. Status quaestionis. 1) Participatio nihil aliud est quam alicujus perfectionis in re superiori exsistentis adsimilatio et expressio inadaequata in re inferiori. «Quod enim, ait ad rem *S. Thomas*, totaliter est aliquid, non participat illud, sed est per essentiam idem illi. Quod vero non totaliter est aliquid, habens aliquid aliud adjunctum, proprie participare dicitur» [3].

2) Participatio potest esse *moralis* vel *physica*. *Moralis* est conve-

[1] **Cano**, *De locis*, lib. 7, c. 2; **Medina**, *In I-II*, q. 110, a. 2; **Salmanticenses**, *De gratia*, disp. 4, n. 19; **Prado**, *De gratia et lib. arb.*, p. 1, q. 2, a. 2, § 4.
[2] *Col. Lac.*, 7, 562-566.
[3] *Metaphysic.*, lib. 1, lect. 10.

http://www.obrascatolicas.com

nientia rei inferioris cum superiori in aliqua perfectione substituta per actus liberos voluntatis, ut justi dicuntur filii Dei, et qui peccant, filii diaboli. *Physica* est realis adsimilatio atque expressio perfectionis superioris in inferiori ante omnem actum voluntatis, ut luna participat lucem solis.

3) Participatio physica alia est *virtualis* alia *formalis*. Participatio physica *virtualis* est similitudo vel convenientia rei inferioris cum superiori in aliqua perfectione, habita in inferiori formaliter et in superiori eminenter virtualiter, ut ratiocinatio invenitur in homine formaliter et in Deo eminenter. Participatio physica *formalis* est similitudo rei inferioris cum superiori in una perfectione, habita in ambobus formaliter licet modo longe diverso, sicut minus album dicitur simile magis albo, et animal simile homini in vita [1].

4) Participatio physica formalis potest contingere *univoce*, quando res inferior et superior conveniunt in una perfectione secundum eamdem rationem specificam vel genericam, ut minus album et magis album; vel *analogice*, quando inferior et superior habent eamdem perfectionem formaliter et proprie, licet non secundum eamdem rationem.

5) Controvertitur, an gratia sanctificans participet physice formaliter perfectionem naturae divinae *sub conceptu naturae*.

Ut hae particulae recte intelligantur, et solutio conveniens quaestioni adhibeatur, animadvertendum est, quod, licet in Deo omnia sint unum et idem, constitutivum tamen physicum naturae divinae est complexus omnium proprietatum et perfectionum, dum constitutivum metaphysicum ejusdem, id est, primum ac nobilissimum praedicatum, quo nostro modo concipiendi Deus constituitur, est *ipsum esse a se subsistens* [2].

Hoc *ipsum esse a se subsistens*, licet Deo connaturale sit et proprium, longe tamen excedit totam naturam creatam, quatenus est infinitum, et respectu omnium creaturarum est aliquid supernaturale.

Pariter, licet nulla substantia creata possit esse supernaturalis, ut bene advertit *Vazquez* [3], gratia tamen sanctificans, utpote accidens absolutum et radix virtutum supernaturalium atque principium amoris Dei, est supernaturalis, et imitatur naturam divinam.

Hinc quaeritur, an gratia sanctificans, qua Deo grati efficimur atque accepti, sit participatio seu expressio physica formalis naturae Dei sub conceptu naturae.

186. Errores. Aliqui per excessum in hoc erraverunt. 1) *Ekardus* ajebat: «Nos transformamur totaliter in Deum et convertimur in eum». «Quidquid Deus Pater dedit Filio suo Unigenito in humana natura, hoc totum dedit mihi» [4].

2) *Molinos:* «Nihil operando, anima se annihilat et ad suum principium redit et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet» [5].

---

1 Cfr. *De Deo uno*, n. 94.
2 Cfr. *De Deo uno*, n. 55.
3 *In I p.*, disp. 44, nn. 3-4.
4 *Prop.* 10 et 11; **Denz-Bannw.**, 510-511.
5 *Prop.* 5; **Denz-Bannw.**, 1225.

3) *Michael Servetus* dicitur docuisse «deitatem reipsa in justos transfundi, sicut transfunditur anima in corpus, dum illud animatur et vivificatur» [1].

187. Theologorum placita. 1) Plures scotistae videntur defendere gratiam sanctificantem esse solum participationem moralem, non physicam, naturae divinae. His subscripsit *Ripalda* [2].

2) *Lessius* e contra ait: «Gratia sanctificans constituit nos filios Dei, non ut forma principalis, a qua dicamur filii (haec enim est ipsa divinitas nobis communicata), sed ut vinculum et unio illius formae» [3]. «Ille homo, qui dicitur Christus, est filius Dei, quia accepit naturam divinam per unionem hypostaticam; ita homo justus dicitur filius, quia naturam eamdem accepit per unionem gratiae» [4]. «Ita (gratia) secum trahit naturam divinam, eamque nobis praesentem et inhabitantem facit, ut, etiamsi ipsa non esset immensa et ubique, tamen eam nobis intime praesentem sisteret» [5].

188. THESIS. **Gratia sanctificans est participatio physica formalis naturae divinae sub conceptu naturae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Petrus: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* [6]. In hoc loco *maxima et pretiosa* significant praecipue Spiritus Sancti gratiam, ut expresse docuit *S. Athanasius* [7]. Per hanc autem gratiam efficimur divinae consortes naturae, cum ad divinam naturam participandam elevamur, ut ait *S. Thomas* [8].

2) *Ex sacra liturgia.* In praefatione Ascensionis Domini canit de Christo Ecclesia: «Est elevatus in caelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes».

3) *Ex SS. Patribus. S. Leo M.*: «Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae *(II Petr.*, 1, 4), noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire» [9].

Multa sunt, quae ad participationem divinae naturae in nobis concurrunt; alia *causando*, ut sacramenta, quae producunt gratiam et active nos sanctificant; alia *disponendo*, ut gratiae actuales, quae ad perfectionem nos movent; alia *formaliter*, sese nobis adhaerendo, ut gratia sanctificans. Hoc pacto gratia sanctificans est participatio divinae naturae, ut illico dicemus.

189. Scholion I. *Modus quo gratia sanctificans participat divinam naturam.*

1. Nullatenus est Deus similis creaturis, quia non habet naturam participatam, sed creaturae omnes sunt quodammodo Deo similes, quia, cum omne agens agat sibi simile, «necesse est, quod in effectu sit similitudo formae agentis» [10]. Non tamen «dicitur esse similitudo creaturae ad Deum propter communicantiam in forma secundum eamdem ratio-

---

1 **Alapide,** *In II Petri*, 1, 4.
2 *De ente supernaturali*, lib. 6, disp. 132, sect. 9, n. 105.
3 *De summo bono*, lib. 2, c. 1, n. 4.
4 *De summo bono*, lib. 2, c. 1, n. 4.
5 *De summo bono*, lib. 2, c. 1, n. 5.
6 *II Petri*, 1, 4.
7 *Adv. arianos*, orat. 1, n. 16; MG **26**, 46.
8 *I-II*, q. 110, a. 3.
9 *Serm.* 21, c. 3; ML **54**, 192.
10 **S. Thomas,** *I p.*, q. 4, a. 3.

http://www.obrascatolicas.com

nem generis et speciei, sed secundum analogiam tantum; prout scilicet Deus est ens per essentiam, et alia per participationem» [1].

Triplex autem oportet considerari genus creaturarum, quae analogice imitantur Deum, eique sunt quodammodo similes.

1) *Creaturae irrationales*, quae perfectioni divinae participant, in quantum habent esse, et earum similitudo dicitur *vestigium*, quia sicut per vestigium seu impressionem pedis invenitur is, cujus est vestigium, ita per esse creaturarum invenitur Creator. Unde in creaturis irrationalibus est *similitudo* seu *vestigium* Creatoris [2].

2) *Creaturae rationales*, quae, utpote mente praeditae, magis expresse et determinate imitantur ac repraesentant Dei perfectiones, et propter hoc dicuntur *imago Dei naturalis*.

3) *Creaturae rationales gratia Dei ornatae*, quae, cum sint Deo conjunctae, adhuc perfectius Deum imitantur, et fiunt *imago Dei supernaturalis*, quatenus per gratiam physice et formaliter participant naturam divinam.

Cave tamen, ne dixeris per gratiam sanctificantem physice et formaliter naturam divinam nobis communicari, eo modo quo natura parentum filio, natura Patris Verbo, et natura Dei per unionem hypostaticam communicatur Christo; hoc enim pantheismum sapit; sed modo longe diverso; quatenus nempe per gratiam habitualem, ante omnem operationem intellectus vel voluntatis ac idcirco physice non moraliter, confertur animae perfectio accidentalis, realis, supernaturalis, quae modo superiori invenitur formaliter in Deo, atque ita producitur in anima specialis Dei *similitudo*. Gratia sanctificans, quae hoc efficit, jure dicitur participatio physica et formalis divinae naturae.

Additur *sub conceptu naturae*, ut magis explicetur ratio hujus similitudinis. Natura siquidem Dei, prout a nobis concipitur, est primum ac nobilissimum praedicatum, quo Deus in se constituitur, et a quo caeterae proprietates velut e radice fluere intelliguntur. Id autem est ipsum esse subsistens, supremus perfectionis gradus nulla differentia restrictus [3]. Gratia autem confert animae perfectionem divinam eo modo, quo concipimus Deum per suum esse constitui. Hinc justus per gratiam nascitur filius Dei adoptivus, et, constitutus in esse supernaturali ac divino, quasi cognatus Dei efficitur [4].

Hoc esse supernaturale justorum est radix vitae pariter supernaturalis, qua justus ex Deo vivit [5] et in opera virtutum infusarum prorumpit.

2. Plures opinantur nos per gratiam proprie participare ipsum intelligere radicale vel etiam actuale, quod putant in Deo esse constitu-

---

[1] **S. Thomas,** *I p.*, q. 4, a. 3 ad 3.
[2] **S. Thomas,** *In I Sent.*, dist. 3, q. 2, a. 1 sqq.
[3] Cfr. *De Deo uno*, n. 55.
[4] Lepide hoc explicat **Cajetanus** dicens: «Filii autem Dei nati dicuntur, qui ad connaturalia producuntur, qui ad ea, quae sunt secundum Dei naturam, elevantur. Nativitatis siquidem tam ratio quam nomen ad naturam spectat. Si itaque ex termino consideres productionem filiorum Dei, natos ex Deo intelliges, quia fiunt cognati ipsi summo Deo». *Tentac.* 2, q. 2.
[5] *Hebr.*, 10, 38.

tivum naturae et principium visionis et amoris sui ipsius; sed melius puto proprietatem, cui per gratiam sanctificantem participamus, esse ipsum esse subsistens, quod est primum praedicatum, a quo caetera in Deo fluunt; sicut gratia, quae est donum Dei, constituit in homine totum ordinem supernaturalem, et deinde est radix nostrae filiationis divinae nostrorumque actuum supernaturalium circa Deum.

190. Scholion II. 1) Haec tamen participatio naturae divinae non fit in tali perfectione, ut natura nostra in divinam essentialiter mutetur, vel natura divina, ens per essentiam infinitum, essentialiter nobis communicetur, adeo ut habens gratiam sanctificantem formaliter de Deo praedicetur, ut male videntur aliqui intellexisse. Ratio est, quia perfectiones, in quibus justus convenit cum natura divina, in Deo sunt modo connaturali et longe eminentiori quam in homine. Ad rem *S. Thomas:* «Quidquid perfectionis est in creatura, totum est exemplatum a perfectione divina; tamen perfectius est in Deo quam in creatura, nec secundum illum modum in creatura esse potest, quo in Deo est...; ideo omne nomen, quod designat perfectionem divinam absolute, non concernendo aliquem modum, communicabile est creaturae, ut potentia, sapientia, bonitas, et hujusmodi. Omne autem nomen concernens modum, quo illa perfectio est in Deo, creaturae incommunicabile est, ut est summum bonum esse, omnipotentem, et hujusmodi» [1]. Unde gratia sanctificans, licet conveniat formaliter analogice cum natura divina sub conceptu naturae, non tamen participat modum essendi Dei, nec habet rationem entis per essentiam etiam participative aut accidentaliter.

2) Nihilominus, quamvis gratia sanctificans non habeat formaliter rationem entis infiniti ac summi boni, nec de Deo formaliter praedicetur, potest tamen summam Dei perfectionem formaliter analogice imitari, quia nihil obstat, quominus donum supernaturale respiciat et imitetur suum exemplar superius etiam quantum ad modos et rationes excedentes. Unde potest dici gratiam sanctificantem esse formalem et analogam imitationem seu similitudinem naturae divinae, non quidem ut reduplicat rationem, qua perfectio conveniat Deo et gratiae, sed ut denotat exemplar hujus imitationis, quod revera est ipsum esse et totum esse subsistens. Huc veniunt verba *S. Thomae:* «Donum autem gratiae excedit omnem facultatem naturae creatae, cum nihil aliud sit, quam quaedam participatio divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam... Necesse est, quod solus Deus deificet, communicando consortium divinae naturae per quamdam similitudinis participationem» [2].

191. Corollarium I. Gratia igitur sanctificans, et non Spiritus Sanctus, constituit homines formaliter filios Deo adoptivos, ut inferius dabitur occasio dicendi.

Minime negaverim simul cum gratia sanctificante Spiritum Sanctum imo et Filium nobis donari, ut diximus in tractatu *De Deo trino* [3], sed ex parte recipientis prius natura recipitur gratia in anima, quam Spiritus Sanctus, et per eam efficimur filii Dei.

---

[1] *In I Sent.*, dist. 43, q. 1, a. 2 ad 1.
[2] *I-II*, q. 112, a. 1.
[3] *De Deo trino*, n. 622 sq.

http://www.obrascatolicas.com

Coroll. II. Si haec cuipiam difficilia visa fuerint, meminerit humanissimus lector verba *Leonis XIII:* «Eloqui nemo potest quale sit opus illud divinae gratiae in animis hominum; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae Patres, et regenerati, et creaturae novae, et consortes divinae naturae, et filii Dei, et deifici, similibusque laudibus appellantur» [1].

ARTICULUS IV

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS DISTINGUATUR A CARITATE

192. Status quaestionis. 1) Gratiae vocabulum non semel accipitur pro qualibet perfectione vel habitu supernaturali, et hoc sensu potest significare caritatem. Vicissim caritatis nomen adhibetur pro significanda qualitate supernaturali, qua efficimur Deo accepti ac filii Dei, et hoc sensu idem est ac gratia sanctificans.

2) Ne tamen vocabulis ludamus, gratiam hic et caritatem in proprio ac stricto sensu accipimus, gratiam nempe pro qualitate seu forma supernaturali permanente, quae participat naturam divinam et efficit nos filios Dei adoptivos; caritatem vero pro virtute superaddita voluntati, qua diligimus Deum.

3) Quaerimus hic, an gratia sanctificans et caritas in proprio sensu acceptae realiter distinguantur.

193. Placita theologorum. 1) Plures theologi opinati sunt gratiam sanctificantem et caritatem realiter non distingui. «Gratia et caritas, ait *Gandavensis*, non differunt re, imo id ipsum quod in ipsa essentia est gratia, in quantum consideratur absolute vel sub ratione essentiae, id ipsum est caritas in ea, in quantum consideratur sub ratione potentiae» [2]. Ita *Magister Sententiarum, Gandavensis, Scotus, Durandus, Bachonus, Biel, S. Bellarminus, Lessius, Poncius,* et alii plures [3].

2) Multo tamen communius affirmant theologi. Ita *S. Thomas, Aegidius, Argentina, Capreolus, Medina, Soto, Suarez, Valentia, Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate,* et plurimi moderni thomistae ac extranei [4].

194. THESIS. **Gratia sanctificans et caritas realiter distinguuntur.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Scriptura in eadem oratione enumerat saepe gratiam et caritatem ut dona Dei distincta. *Gratia Domini nostri*

---

[1] Encycl. *Divinum illud,* 9 Maji 1897; *Acta S. Sedis,* 29, 651 sq.

[2] *Quodlib.* 4, q. 10 in fine.

[3] **Magister Sententiarum,** *II Sent.,* dist. 26; **Gandavensis,** *Quodlib.* 4, q. 10; **Scotus,** *In II Sent.,* dist. 27, q. un.; **Durandus,** *In II Sent.,* dist. 26, q. 1, n. 7; **Bachonus,** *In II Sent.,* dist. 27, a. 1; **Biel,** *In II Sent.,* dist. 26, a. 2, concl. 4; **S. Bellarminus,** *De gratia et lib. arb.,* lib. 1, c. 6; **Lessius,** *De perfect. div.,* lib. 12, n. 76; **Poncius,** *Theolog. cursus integer,* disp. 34, q. 2.

[4] **S. Thomas,** *I-II,* q. 110, a. 3; *In II Sent.,* dist. 26, aa. 4 et 6; *De veritate,* q. 27, a. 2; **Aegidius,** *In II Sent.,* dist. 26, q. 1, a. 2; **Argentina,** *In I Sent.,* dist. 17, q. 1, a. 4; **Capreolus,** *In II Sent.,* dist. 26, q. 1; **Medina,** *In I-II,* q. 110, a. 3; **Soto,** *De natura et gratia,* lib. 2, c. 17; **Suarez,** *De gratia,* lib. 6, c. 12; **Valentia,** *In I-II,* disp. 8, q. 2, p. 2; **Salmanticenses,** *De gratia,* disp. 4, n. 77; **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei,* disp. 5, dub. 2.

Jesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis [1]. *Pax fratribus et caritas cum fide* [2].

2) *Ex conciliis.* Concilium Viennense docet tam parvulis quam adultis conferri in baptismo *informantem gratiam et virtutes* [3]. Et Concilium Tridentinum adserit homines justificari «per voluntariam susceptionem gratiae et donorum» [4].

3) Juxta *S. Augustinum* «gratia praevenit fidem... praevenit etiam caritatem» [5].

4) *Ex ratione.* a) Sicut in ordine naturali prius est natura exsistens et deinde accedunt virtutes, quae ad operationem ordinantur, ita in ordine supernaturali prius venit qualitas permanens spiritualis, quae est gratia, et deinde accedit caritas, quae perficit eam ad operationem amoris.

b) Gratia sanctificans per se primo ordinatur ad esse, et recipitur in essentia animae, quae non est immediate operativa; caritas vero per se primo ordinatur ad operari, et recipitur in voluntate, quae est potentia operativa. Sed quod ordinatur ad esse distinguitur realiter ab eo, quod ordinatur ad operari. Ergo.

195. Objicies. Gratia sanctificans et caritas producunt eosdem realiter effectus. Caritas siquidem, sicut et gratia, facit 1) ut homo sit Deo gratus [6]; 2) ut filii Dei nominemur et simus [7]; 3) ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei in caritate [8]; 4) ut remittantur nobis peccata [9]; 5) ut simus haeredes regni caelestis [10]. Ergo gratia sanctificans et caritas non distinguuntur realiter.

Resp. 1) **Neg. ant.** Ad probationem autem dicendum est auctorem sacrum saepe usurpare nomen caritatis pro gratia propter concomitantiam utriusque.

2) Potest responderi praefatos effectus produci a gratia formaliter, a caritate vero consequenter; id est, gratia eos producit ut natura, caritas vero ut principium activum, sicut aliquando eadem actio tribuitur animae et potentiis, animae quidem ut naturae, potentiis vero ut principio activo [11].

ARTICULUS V

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS SIT IN ESSENTIA ANIMAE VEL IN ALIQUA POTENTIA TANQUAM IN SUBJECTO

196. Status quaestionis. Gratia sanctificans est accidens supernaturale, et, ut tale, indiget subjecto, cui inhaereat. Disputatur, an recipiatur in ipsa anima tanquam in subjecto, vel in aliqua potentia.

---

[1] *II Cor.,* 13, 13.

[2] *Ephes.,* 6, 23.

[3] *Const. De summa Trinitate et fide cath.;* **Denz-Bannw.,** 483.

[4] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 799.

[5] *De dono perseverantiae,* c. 16; ML **45,** 1018.

[6] *Joan.,* 14, 23.

[7] *I Joan.,* 3, 1.

[8] *Ephes.,* 1, 4.

[9] *Luc.,* 7, 47.

[10] *Jacob.,* 1, 12.

[11] Audi Cajetanum: «Licet multae excellentiae sint communes gratiae et caritati propter earum connexionem, non tamen eis conveniunt eodem modo; quia

http://www.obrascatolicas.com

197. Placita theologorum. 1) Theologi, qui defendunt gratiam sanctificantem non distingui realiter a caritate, docent eam inhaerere voluntati tanquam subjecto.

2) Qui autem statuunt inter eas distinctionem realem, defendunt gratiam sanctificantem esse in anima.

198. THESIS. **Gratia sanctificans inhaeret essentiae animae tanquam subjecto.**

Arg. *Ex ratione.* 1) Regeneratio hominis fit per gratiam sanctificantem. Sed regeneratio prius terminatur ad essentiam animae quam ad potentias, quia actio generativa terminatur ad essentiam. Ergo.

2) Accidentia spiritualia, quae dant esse, adhaerent substantiae animae, et, quae ordinantur ad operari, recipiuntur in potentiis. Sed gratia sanctificans confert animae esse spirituale, et caritas ordinatur ad operari. Ergo gratia sanctificans adhaeret substantiae animae tanquam subjecto, et caritas voluntati.

3) «Omnis perfectio potentiae animae habet rationem virtutis» [1]. Sed gratia sanctificans non habet rationem virtutis. Ergo gratia sanctificans non est perfectio potentiae animae.

ARTICULUS VI

QUAE SIT PERFECTIO GRATIAE SANCTIFICANTIS

199. Status quaestionis. 1) Gratiam sanctificantem esse qualitatem excellentissimam nemo est qui dubitet. Est enim ens supernaturale, quod participat divinam naturam et miros effectus producit in anima. Sed quanta sit haec perfectio, non facile declaratur.

2) Perfectum dicitur, quod est in actu, et eo putatur aliquid perfectius, quo est magis in actu.

3) Potest esse unum alio perfectius: a) *Physice,* quatenus habet naturam praestantiorem, ut organica sunt inorganicis perfectiora, et b) *aestimatione morali,* quatenus magis aestimatur ab hominibus.

Ex his, quae sunt physice perfecta, unum potest esse alio perfectius a) *simpliciter,* cum unum, attentis omnibus, habet nobilius esse; et b) *secundum quid,* quatenus unum in uno ordine excedit perfectionem alterius, ut accidens potest in uno ordine excedere perfectionem substantiae.

4) Loquimur hic de perfectione physica simpliciter gratiae sanctificantis, et quaerimus, an, omnibus bene perpensis, tanta sit, ut excedat perfectionem omnium creaturarum.

200. I. **Gratia sanctificans est physice simpliciter perfectior:**

1) *Omnibus accidentibus ordinis naturalis.* Est communissima.

Ratio est, quia supernaturalia sunt perfectiora naturalibus.

---

gratiae ut *primae radici;* et caritati ut fructui illius... Gratia facit filium Dei *formaliter,* caritas autem *operative.* Illa enim est *principium essendi* in natura divina participata, ista est *principium operandi* secundum naturam divinam participatam». *In I-II,* q. 110, a. 3.

[1] **S. Thomas,** *I-II,* q. 110, a. 4.

2) *Omnibus habitibus et virtutibus ordinis supernaturalis.* Est communior.

Gratia sanctificans habet rationem naturae respectu habituum et virtutum supernaturalium. Habitus enim et virtutes supernaturales dimanant a gratia velut a radice. Sicut ergo natura est perfectior potentiis, quae ab ea fluunt, ita etiam gratia est perfectior habitibus et virtutibus supernaturalibus. Hinc gratia sanctificans est perfectior caritate et lumine gloriae, quae ab ea dimanant.

3) *Visione beatifica cunctisque actibus supernaturalibus.* Est probabilior.

Ratio est, quia in uno eodemque ordine natura est semper perfectior quam ejus operationes.

4) *Omnibus substantiis creatis.* Est probabilior contra *Scotum* [1].

a) *S. Augustinus* lepide ait: «Dei vero gratia non solum omnia sidera et omnes caelos verum etiam omnes angelos supergreditur» [2].

b) *S. Thomas:* «In creatione fit res secundum esse naturae, quod est minus quam esse gratiae» [3].

c) Eo dicuntur res simpliciter perfectiores, quo magis accedunt ad increatam Dei perfectionem. Gratia autem sanctificans, utpote formalis participatio naturae divinae, magis quam quaelibet substantia creata accedit ad increatam Dei perfectionem. Ergo.

d) Perfectio rerum nobis innotescit ex earum actionibus. Sed actiones gratiae, quae sunt amor Dei et visio beatifica, excedunt perfectionem omnium actionum rerum creatarum. Ergo.

Non obstat gratiam esse accidens, quia, ut ait *S. Thomas,* «aliquod accidens potest esse substantia nobilius, in quantum per ipsum substantia aliqua conjungitur alicui nobiliori se; et hoc modo beatitudo creata, et gratia, et hujusmodi, sunt aliquid nobilius natura animae, cui inhaerent» [4].

Ex hoc merito deducunt theologi quamlibet entitatem supernaturalem esse simpliciter perfectiorem qualibet substantia creata, quia entitas ordinis supernaturalis magis quam substantia creata accedit ad perfectionem Dei; et habet essentiam nobiliorem quam substantia creata.

201. II. **Gratia tamen sanctificans non est simpliciter perfectior unione hypostatica.**

1) *S. Thomas:* «Gratia, quae est accidens, est quaedam similitudo divinitatis participata in homine. Per incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinae naturae, sed dicitur esse conjuncta ipsi divinae naturae in persona Filii. Majus autem est ipsa res, quam similitudo ejus participata» [5].

2) *Cajetanus:* «Procul dubio majus, nobilius, excellentius, perfe-

---

[1] *In IV Sent.,* dist. 10, q. 8, concl. 2, n. 9.
[2] *Contra duas ep. Pelag.,* lib. 2, c. 6; ML **44,** 579.
[3] *In IV Sent.,* dist. 17, q. 1, a. 5, quaestiunc. 1 ad 1.
[4] *In IV Sent.,* dist. 49, q. 1, a. 2, quaestiunc. 1 ad 5.
[5] *III p.,* q. 2, a. 10 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

ctiusque est uniri Deo in persona, quam per gratiam et gloriam consummatam» [1].

3) Unio hypostatica perfectius Deo conjungit humanam naturam quam gratia sanctificans, quia illa substantialiter, haec conjungit accidentaliter. Ergo.

QUAESTIO XI

DE CAUSA GRATIAE

ARTICULUS I

UTRUM SOLUS DEUS SIT CAUSA EFFICIENS PRINCIPALIS GRATIAE SANCTIFICANTIS

202. Status quaestionis. 1) Haec difficultas movetur praesertim de causa efficiente gratiae sanctificantis, sed plura, quae hic dicuntur, poterunt applicari ad causam gratiae actualis.

2) Causa in genere est *ad quam sequitur esse alterius* [2], vel, ut aliis placet: *Id cujus vi aliquid producitur*. Est quadruplex: *materialis, formalis, efficiens* et *finalis* [3].

3) *Causa materialis* gratiae habitualis alia est *receptiva*, quam diximus esse substantiam animae, alia *dispositiva*, de qua uberius infra [4].

Causa formalis intrinseca gratiae sanctificantis non datur, quia gratia est omnino simplex. Causa formalis *extrinseca* seu *exemplaris* ejusdem est natura divina sub conceptu naturae, cujus dicitur participatio formalis.

Causa finalis *proxima* est nostra beatitudo; *remota* Christus Dominus; *ultima* Deus optimus maximus, ad quem omnes per gratiam ordinamur.

Causa efficiens gratiae sanctificantis alia est *moralis* seu *meritoria*, alia *physica;* et physica iterum *principalis* et *instrumentalis*. a) Causa moralis seu meritoria gratiae est Christus Dominus, et minus principaliter homo justus, qui augmentum gratiae meretur. b) Causa physica principalis certe est Deus, juxta illud Psalmistae: *Gratiam et gloriam dabit Dominus* [5]; causa physica instrumentalis sunt humanitas Christi et sacramenta Ecclesiae [6].

4) Quaerimus hic, an aliqua creatura possit aliquando esse causa efficiens physica principalis gratiae sanctificantis.

---

[1] *In III p.*, q. 4, a. 1 ad 2.
[2] Cfr. **Complutenses abbr.**, *Physic.*, lib. 2, disp. 8, n. 1.
[3] **Aristoteles,** *Physic.*, lib. 2, c. 7.
[4] Infra, n. 272 sqq.
[5] *Ps.* 83, 12.
[6] Ad causam instrumentalem possunt reduci causa *ministerialis* et *occasionalis*. Unde, qui sacramenta administrant et praedicationi incumbunt, sunt quodammodo causae instrumentales gratiae.

203. THESIS. **Solus Deus est causa efficiens physica principalis gratiae sanctificantis**. *(Est communissima)* [1].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Patriarcha Job quasi praesagiens hanc quaestionem interrogat Dominum: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* [2]. Hunc locum exponens *Joannes a Jesu Maria* ait: «Profecto tu solus potens hominem a conceptu sordidum detergere, auferreque id, quod in judicio tuo vituperandum et puniendum est» [3].

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Secundum Augustinum [4] majus est justificare impium quam creare caelum et terram. Sed per gratiam justificatur impius. Cum igitur creare caelum et terram nulla creatura possit, nec gratiam conferre poterit» [5]. «Causa agens... principalis operatur per virtutem suae formae, cui adsimilatur effectus, sicut ignis suo calore calefacit; et hoc modo nihil potest causare gratiam nisi Deus; quia gratia nihil est aliud quam quaedam participata similitudo divinae naturae» [6].

3) *Ex ratione.* Per gratiam sanctificantem reddimur consortes divinae naturae, atque efficimur filii Dei adoptivi, immunes a peccato, templumque Spiritus Sancti. Ille autem solus potest nos reddere consortes divinae naturae, qui naturam divinam habet in esse perfecto aliis per participationem communicabilem; ille solus potest nos efficere filios Dei adoptivos, qui totius familiae est pater et caelestis patriae Dominus; a peccatis nos liberare nemo potest, nisi qui habet dominium peccati; mittere in nos Spiritum Sanctum ad eum pertinet, a quo ipse Spiritus procedit. Ergo solus Deus est causa efficiens physica principalis gratiae sanctificantis [7].

204. Corollarium I. Hic per transennam statuere velim humanitatem Christi vi unionis ad personam Verbi non fuisse causam physicam principalem gratiae, sed tantummodo instrumentalem. Humanitas siquidem Christi non poterat, ut causa principalis efficiens, aliis conferre participationem divinae naturae, neque alios generare in filios Dei adoptivos per communicationem naturae divinae.

Coroll. II. Homo justus potest, ut causa moralis secundaria, mereri augmentum gratiae, sed non potest hoc augmentum gratiae principaliter physice producere, quia, cum augmentum sit ejusdem rationis ac essentia, ille solus potest principaliter physice efficere augmentum, qui valet ipsam gratiam producere.

Difficultatibus satisfit.

205. Obj. 1.° Qui participat divinam naturam in gradu intenso et perfecto, potest hanc similitudinem in gradu remisso aliis communicare.

---

[1] **Medina,** qui in contrarium adducitur, loquitur de Christo «secundum quod est homo». *In III p.*, q. 13, a. 2, concl. 8, et ad 1.
[2] *Job*, 14, 4.
[3] *Paraphrasis in librum Job*, 14, 4.
[4] *In Joannem*, tr. 72, n. 3; ML **35**, 1823.
[5] *De veritate*, q. 27, a. 3, arg. 4 sed contra.
[6] *III p.*, q. 62, a. 1.
[7] Cfr. **Goudin,** *De gratia Dei*, q. 6, a. 1, concl. 1.

http://www.obrascatolicas.com

Ergo homo justus potest gratiam sanctificantem principaliter physice producere.

Resp.—Neg. ant. Gratia sanctificans seu similitudo divinae naturae non est immediate operativa, sed potentiae naturales per eam operantur. Unde gratia, quae est participatio divinae naturae, ab eo tantum potest produci, qui habet naturam divinam in esse perfecto, non ab eo qui participat naturam divinam. Sic filius adoptivus non potest alios adoptare.

Obj. 2.° Homo per gratias actuales et contritionem potest ultimam dispositionem ad gratiam sanctificantem principaliter producere. Qui autem ultimam dispositionem ad aliquam formam producit, potest ipsam formam principaliter producere. Ergo homo potest esse causa principalis physica gratiae sanctificantis.

Resp.—Dist. min. Qui principaliter producit ultimam dispositionem ad aliquam formam, potest ipsam formam principaliter producere, si haec forma educenda sit e potentia naturali subjecti, **conc.;** si educenda sit de potentia obedientiali subjecti, **neg.** In rebus naturalibus forma educitur de potentia naturali subjecti, et agens transmutans et ultimo disponens materiam praesuppositam ad novam formam, dicitur causa principalis formae; sed gratia educitur de potentia obedientiali subjecti, et ad eam principaliter producendam non sufficit ultima dispositio per contritionem, sed requiritur actio illius, qui potest potentiam obedientialem reducere in actum.

ARTICULUS II

QUOMODO PRODUCATUR GRATIA SANCTIFICANS

206. Status quaestionis. Actio, qua res producitur ex nihilo sui et subjecti, dicitur *creatio;* actio, qua educitur forma de potentia naturali subjecti per agens naturale, vocatur *generatio;* actio, qua educitur forma de potentia obedientiali subjecti per interventum Dei, potest nomine generico nuncupari *productio.*

Discutiendum est, quo ex his modis producatur gratia sanctificans.

207. Placita theologorum. 1) Plures antiqui censuerunt gratiam sanctificantem a Deo creari et in animam infundi. Ita *Gandavensis, Scotus, Capreolus* et alii [1].

2) Alii docent gratiam sanctificantem non creari sed concreari a Deo. Ita *Sotus* [2] citans pro se Cajetanum.

3) Multo communius defendunt theologi gratiam sanctificantem educi a Deo de potentia obedientiali animae. Ita omnes fere thomistae [3], *Suarez, Valentia* et alii [4].

208. THESIS. **Gratia sanctificans non creatur, neque concreatur, sed educitur a Deo de potentia obedientiali animae.**

Nota. Hanc sententiam certe tenuisse videtur *S. Thomas;* Nam *I-II*, q. 113, a. 9, dicit caelum et terram quantum ad modum productionis esse majus opus justificatione, quia sunt ex nihilo; in quaestione autem *De virtutibus*, a. 10 ad 13, docet virtutes infusas contineri in potentia obedientiali animae, a qua educuntur per virtutem divinam; potiori autem ratione id dicendum est de gratia habituali. Item *I p.*, q. 45, a. 5, negat creaturam concurrere instrumentaliter ad creationem, dum *I-II*, q. 112, a. 1 ad 1 et 2, adserit humanitatem Christi esse causam instrumentalem gratiae sanctificantis.

[1] **Gandavensis,** *Quodlib.* 4, q. 37; **Scotus,** *In II Sent.*, dist. 37, q. 1, n. 5; **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3, «ad argumenta Scoti».

[2] *In IV Sent.*, dist. 1, a. 3 versus finem.

[3] Cfr. **Complutenses abbreviati,** *Physic.*, disp. 4, q. 4; **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei*, disp. 5, dub. 4; **Salmant.,** *De gratia*, disp. 8, n. 16; **Goudin,** *De gratia*, q. 6, concl. 1.

[4] **Suarez,** *De gratia*, lib. 8, c. 2; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 4, p. 2.

Pars 1.ª Gratia sanctificans non creatur.

Arg. 1) Creatio non terminatur nisi ad entia per se subsistentia. Sed gratia habitualis non est ens per se subsistens. Ergo.

2) Actus, quibus res incipiunt et desinunt esse, sibi invicem correspondent, ita ut, quod incipit per generationem, desinat per corruptionem, quod incipit per creationem, desinat per anihilationem. Sed gratia sanctificans non desinit esse per anihilationem. Ergo. **Major** est doctrina communis philosophorum. **Minor** probatur: Actus peccaminosus hominis destruit effective gratiam sanctificantem. Sed actus peccaminosus hominis nihil potest anihilare, quia creatura, sicut non potest concurrere ad creationem, ita pariter non potest esse causa efficiens anihilationis [1]. Ergo.

Pars 2.ª Gratia sanctificans non concreatur simul cum anima rationali.

Arg. Concreari est simul cum alio eadem actione creari, ut accidentia concreata sunt in prima rerum creatione [2]. Sed gratia sanctificans plerumque producitur, quando anima rationalis, cui infunditur, jam exsistit. Ergo gratia sanctificans non concreatur simul cum anima rationali.

Pars 3.ª Gratia sanctificans educitur a Deo de potentia obedientiali animae rationalis.

Arg. Educere aliquid de potentia subjecti est producere illud una actione indivisibili transmutante subjectum, adeo ut tam in fieri quam in esse dependeat a subjecto. Si effectus producendus contineatur in potentia naturali subjecti, agens naturale per virtutem propriam educit eam, ut contingit in generatione rerum naturali, in qua agens educit formam de potentia materiae; si vero contineatur in potentia obedientiali subjecti, Deus, cui obediunt omnia, per virtutem divinam transmutando subjectum educit de eo effectum. Porro eadem actione, qua Deus animam rationalem supernaturaliter et quoad potentiam obedientialem transmutat, gratia sanctificans producitur, et haec prosequitur dependere ab anima. Ergo gratia sanctificans educitur a Deo de potentia obedientiali animae.

Ex hoc sequitur gratiam sanctificantem fieri ex vi transmutationis animae in ordine supernaturali a Deo factae.

[1] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei*, disp. 5, dub. 4.

[2] Cfr. *De Deo Creatore*, n. 643.

http://www.obrascatolicas.com

209. Scholion. Nihil tamen obstat, quominus aliquando per accidens creatio animae et infusio gratiae simul fiant, ut contigit in primo homine. Ubi autem hoc fit, anima rationalis a Deo creatur, et simul per actionem transmutativam ipsius animae producitur gratia sanctificans.

Difficultatibus satisfit.

210. Obj. 1.° *S. Thomas* expresse docet gratiam sanctificantem «creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur» [1]. Et alibi adserit gratiam sanctificantem anihilari: «Cum (gratia) corrumpitur, simul etiam in nihilum redit» [2].

Resp. 1) Primum locum ipse *Angelicus* explicat ibidem dicens: «Gratia dicitur creari ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, id est, in novo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud *Ephes.*, 2, 10: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*» [3]. Hoc autem non significat creationem gratiae.

2) In secundo loco non vult *Angelicus* gratiam sanctificantem anihilari per actionem Dei oppositam ad creationem, sed satis clare innuit se loqui de destructione, cum ait «cum corrumpitur». Voluit tantummodo significare gratiam sanctificantem sicut alia accidentia, cum corrumpuntur, desinere esse et resolvi in subjectum, in quo erant.

Obj. 2.° Gratia sanctificans aliquando fit in ipsa creatione subjecti, ut patet in angelis et primo homine. Ergo non fit per transmutationem subjecti neque educitur de potentia animae vel subjecti.

Resp. Gratia sanctificans in angelis et in primo homine non fuit producta per transformationem exercitam, bene tamen per actionem ex se transformativam subjecti. Deus eodem instanti, quo creavit angelos et animam primi hominis, per actionem ex se transformativam eduxit de eisdem gratiam sanctificantem. De facto non transformavit eos, quia non exsistebant, sed contulit eis praestantissimam qualitatem, quam ratione creationis non exigebant.

Obj. 3.° Gratia sanctificans non potest praecontineri in potentia obedientiali animae. Ergo non potest de ea educi. **Ant. prob.:** Ens supernaturale non potest praecontineri in potentia naturali. Sed gratia sanctificans est ens supernaturale, potentia vero obedientialis est naturalis. Ergo gratia sanctificans non potest praecontineri in potentia obedientiali animae.

Resp.—Neg. ant. Ad probationem **neg. maj.** Non est omnino necessarium, ut potentia obedientialis sit ejusdem ordinis ac forma, quae per potentiam Dei ab ea educitur. Potentia siquidem obedientialis est passive receptiva formae, quae per actionem transformativam subjecti, in quo est talis potentia, a Deo educitur, et solum importat capacitatem, ut forma fiat per ejus transformationem [4]. Unde, licet facultas activa educens formam supernaturalem a potentia obedientiali debeat esse supernaturalis, non est necesse, ut ipsa potentia obedientialis sit entitative supernaturalis.

ARTICULUS III

UTRUM EX PARTE HOMINIS ADULTI SIBI CONSCII REQUIRATUR ALIQUA PRAEPARATIO VEL DISPOSITIO AD RECIPIENDAM GRATIAM SANCTIFICANTEM

211. Status quaestionis. 1) Loquimur de praeparatione ad gratiam sanctificantem, nam ad gratiam actualem nulla praeparatio est necessaria.

[1] *I-II*, q. 110, a. 2 ad 3.
[2] *In II Sent.*, dist. 26, q. un., a. 2 ad 5.
[3] *I-II*, q. 110, a. 2 ad 3.
[4] Cfr. **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 8, n. 21.

2) Titulus est de praeparatione *ex parte hominis adulti sibi conscii*. Supponimus enim parvulos et perpetuo amentes sine ulla praeparatione personali, dummodo sacramento baptismi initientur, recipere gratiam sanctificantem, Deo misericorditer ad actionem ministri in ipsis operante.

3) Quaestio itaque est, an homo adultus sibi conscius possit se ad gratiam sanctificantem praeparare.

4) Qualis sit ista praeparatio et quibus actibus fiat, uberius explicabitur infra, dum de praeparatione ad justificationem impii.

212. Error. Lutherus et ejus discipuli nullam requirebant ex parte hominis adulti praeparationem ad gratiam, sed dicebant Deum infundere gratiam sanctificantem in hominem, libero arbitrio passive se habente.

213. THESIS. **In homine adulto sibi conscio requiritur aliqua praeparatio seu dispositio ad gratiam habitualem recipiendam.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae crebro nos hortantur, ut praeparemur ad gratiam: *Praeparate corda vestra Domino* [1]. *Convertimini ad me.. et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum* [2].

2) *Ex conciliis.* Concilium Arausicanum II: «Praeparatur voluntas a Domino... qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate» [3]. Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit sola fide impium justificari... et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, a. s.» [4].

3) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Gratia, ait *Angelicus*, excedit omnem proportionem naturae; unde actus naturales non possunt merita respectu gratiae dici, sed dispositiones remotae tantum» [5]. «Solus Deus est per se causa gratiae et virtutum infusarum in nobis; sed nihil prohibet etiam actus nostros esse causas per accidens, sicut removens prohibens» [6].

4) *Ex ratione.* Gratia sanctificans est praestantissima ac permanens qualitas, quae recipitur in anima tanquam in subjecto. Sed qualitates perfectae ac permanentes non recipiuntur in subjecto capaci ac sibi conscio sine aliqua dispositione praevia ex parte subjecti. Ergo ex parte hominis adulti sibi conscii requiritur aliqua dispositio ad gratiam habitualem recipiendam. **Minor** hujus argumenti ex eo probatur quod qualitas, cum sit accidens modificativum seu dispositivum substantiae, exigit dispositionem praeviam in subjecto, ut ipsi inhaereat.

214. Corollarium. Ad praesens quod attinet, scito praeparationem hominis ad gratiam habitualem recipiendam consistere in actu liberi arbitrii a Deo moti in bonum. «Ipse bonus motus liberi arbitrii, ait *Angelicus*, quo quis praeparatur ad donum gratiae suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo. Et quantum ad hoc dicitur homo se praepa

[1] *I Reg.*, 7, 3.
[2] *Zach.*, 1, 3.
[3] *Can.* 4; **Denz-Bannw.,** 177.
[4] *Sess.* 6, can. 9; **Denz-Bannw.,** 819.
[5] *In II Sent.*, dist. 27; q. un., a. 4 ad 5.
[6] *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 2 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

rare, secundum illud Proverbiorum 16, 1: *Hominis est praeparare animum;* et est principaliter a Deo movente liberum arbitrium. Et secundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis praeparari, et a Domino gressus hominis dirigi» [1].

ARTICULUS IV

UTRUM GRATIA HABITUALIS SIT MAJOR IN UNO QUAM IN ALIO

215. Status quaestionis. 1) Magnitudo gratiae sanctificantis potest spectari a) *ex parte finis* seu *objecti*, quatenus una gratia ad altiorem finem et majus bonum ordinat subjectum quam alia; b) *ex parte subjecti*, in quantum una anima participat magis perfecte naturam Dei quam alia.

2) Potest fieri comparatio inter parvulos vel perpetuo amentes et adultos sui compotes, qui gratia sanctificante ornati sunt.

3) Quaeritur itaque a) an gratia sanctificans ex parte finis seu objecti a quo sumit speciem, sit eadem in omnibus justis; b) an eadem gratia ex parte subjecti sit aequalis in omnibus parvulis et perpetuo amentibus baptizatis; c) an item ex parte subjecti possit unus adultus sui compos perfectius participare naturam divinam quam alius.

216. Error. Jovinianus, saeculi IV haereticus, quem profligavit *S. Hieronymus*, docuit gratiam sanctificantem ex parte sujecti aequalem esse in omnibus justis nullumque sanctum esse alio sanctiorem.

217. THESIS I. **Gratia ex parte finis, seu magnitudo specifica gratiae sanctificantis, est aequalis in omnibus justis.**

Arg. Magnitudo specifica habituum attenditur ex nobilitate objecti, adeo ut unus habitus sit alio objective major, qui ordinatur ad majus bonum. Sed gratia sanctificans ordinatur in omnibus ad eumdem finem et bonum, scilicet ad Deum, cui homines conjungit. Ergo magnitudo gratiae ex parte finis est aequalis in omnibus justis.

218. THESIS II. **Magnitudo gratiae sanctificantis ex parte subjecti, seu quoad gradum participationis naturae divinae in subjecto, est aequalis in omnibus parvulis et perpetuo amentibus, qui eadem sacramenta susceperunt, inaequalis vero in iis parvulis, qui diversa sacramenta susceperunt.**

Arg. Singula sacramenta novae legis producunt gratiam sanctificantem ex opere operato in subjecto obicem non ponente, ita ut singula sacramenta juxta propriam dignitatem, independenter a dispositione subjecti, et supposita solum in adultis praedicta dispositione, producat eumdem gratiae gradum distinctum a gratia aliorum sacramentorum. Unde baptismus producit ex opere operato aequalem gratiam in omnibus, solummodo distinctam in magnitudine a gratia aliorum sacramentorum, et confirmatio item aequalem gratiam in omnibus. Parvuli autem usu rationis carentes et adulti perpetuo amentes non habent aliam gratiam nisi productam a sacramentis ex opere operato. Unde qui eadem sacramenta, exempli gratia, baptismum et confirmationem receperunt, habent eamdem gratiam; si unus utrumque sacramentum et alter baptismum tantum receperunt, inaequalem habent gratiam.

[1] *I-II*, q. 112, a. 2.

219. THESIS III. **In adultis justis sibi consciis aequaliter dispositis aequalis est gratia sanctificans ex parte subjecti, inaequalis vero in inaequaliter dispositis.**

Pars 1.ª In adultis justis aequaliter dispositis aequalis est gratia sanctificans.

Arg. Aequaliter dispositos vocamus eos adultos, qui iisdemet sacramentis muniti eosdem in intensitate et numero actus caritatis exercuerunt. Si qui sint hujusmodi homines, idem augmentum gratiae tum ex opere operato per receptionem sacramentorum, tum ex opere operantis per bona opera receperunt. Ergo justi aequaliter dispositi aequalem habent gratiam.

Pars 2.ª In justis inaequaliter dispositis inaequalis est gratia sanctificans.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* [1].

2) *Ex conciliis.* Juxta Concilium Tridentinum nos «vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem» [2]. Et canone 24 definit «justitiam acceptam... augeri coram Deo per bona opera» [3].

3) *Ex SS. Patribus. S. Hieronymus*, scriptis contra Jovinianum duobus integris libris, omni genere argumentorum probat gratiam sanctificantem non esse aequalem in omnibus sanctis [4].

4) *Ex ratione.* a) Sacramenta novae legis ex opere operato producunt gratiam. Justi autem non omnes recipiunt eadem sacramenta, neque omnes pari devotione.

b) Non omnes sancti habent parem in caelo gloriam juxta illud Domini effatum: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* [5]. Sed gradus gloriae in caelo correspondent magnitudini gratiae, quam sancti habuerunt in terris. Ergo.

[1] *Ephes.*, 4, 7.
[2] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799.
[3] *Sess.* 6, can. 24; **Denz-Bannw.**, 834.
[4] Vide S. Hieronymi libros apud ML **23**, 222 sqq.
[5] *Joann.*, 14, 2.

http://www.obrascatolicas.com

c) Gratia in sanctis augetur per bona opera juxta monitum S. Joannis: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* [1].

Dices. Paterfamilias apud *Matthaeum* uno denario diurno remuneravit operarios inaequaliter per diem laborantes. Quidni eamdem gratiam non contulerit Deus omnibus justis?

Resp. Denarium diurnum, quod paterfamilias reddidit operariis, non significat gratiam sanctificantem. Denarium siquidem fuit merces laboris, et gratia saltem prima omnino gratis a Deo datur. Potest significare beatitudinem objectivam, quae pro omnibus est aequalis, scilicet Deus.

220. THESIS IV. **Ratio primaria diversitatis gratiae sanctificantis in hominibus justis provenit ex parte divinae voluntatis, ratio vero secundaria ex hominis libero arbitrio.**

Pars 1.ª

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiae consurgat, sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum. Unde Apostolus ad *Ephes.*, 4, 12, postquam dixerat: *Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, enumeratis diversis gratiis, subjungit: *Ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi*» [2].

2) *Ex ratione.* a) Ratio primaria quantitatis uniuscujusque rei dependet a causa prima. Sed causa prima gratiae sanctificantis est Deus. Ergo.

b) Unusquisque recipit gratiam sanctificantem, majorem vel minorem, juxta propriam dispositionem et praeparationem. Sed dispositio ac praeparatio hominis ad gratiam provenit a Deo. Ergo diversitas gratiae sanctificantis in homine provenit a Deo.

Pars 2.ª

Arg. 1) Sacra tridentina synodus docet unumquemque suam justitiam recipere «secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem» [3].

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Cujus diversitatis ratio quidem, ait *Angelicus*, est aliqua ex parte praeparantis se ad gratiam, qui enim magis se ad gratiam praeparat, pleniorem gratiam accipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio hujus diversitatis, quia praeparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium ejus praeparatur a Deo» [4].

221. Scholion. *De augmento gratiae habitualis.* 1) Gratiam sanctificantem aliquando in hominibus augeri, est dogma catholicum in Sacris Litteris et in Conciliis Oecumenicis satis expressum. *Crescite vero in gratia*, ajebat S. Petrus, *et in cognitione domini nostri et Salvatoris Jesu Christi* [1]. Et Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non etiam ipsius augendae causam, a. s.» [2].

2) Moveri solet hic quaestio magis curiosa quam utilis, an scilicet gratia sanctificans possit augeri in viatoribus sine termino.

a) Aliqui docent gratiam sanctificantem neque de potentia Dei absoluta posse augeri ultra determinatum terminum. Ita *Scotus, Durandus* et alii [3].

b) Alii contendunt gratiam sanctificantem ex se non habere terminum, sed in aliquo subjecto, ut in Christo et ejus dulcissima matre, de potentia Dei absoluta augeri non potuisse. Sic *S. Bonaventura* [4].

c) Alii denique tenent gratiam habitualem in viatoribus semper et indefinite de potentia Dei absoluta augeri potuisse. Ita *S. Thomas, Suarez* et alii [5].

Haec ultima sententia est verior. Gratia siquidem habitualis viatorum non habet terminum *ex parte potentiae Dei*, quia virtus Dei, utpote infinita, non clauditur terminis; neque *ex parte sui*, quia indefinite potest adsimilari naturae divinae; neque *ex parte subjecti*, quia potentia obedientialis animae, de qua educitur gratia, respondet potentiae activae Dei, et, ut ait *Suarez*, «de se extenditur ad omne id, quod non implicat contradictionem» [6].

ARTICULUS V

UTRUM ALIQUIS POSSIT IN VIA CERTO SCIRE SE HABERE GRATIAM SANCTIFICANTEM

222. Status quaestionis. 1) Certitudo, uti jam diximus in prolegomenis [7], potest esse *objectiva* vel *subjectiva*.

Certitudo objectiva est *ipsa rei veritas, quae firmum adsensum intellectus postulat*, seu *invariabilis ac permanens rei determinatio*. Hoc sensu certum est aliquos homines esse in gratia sanctificante.

Certitudo subjectiva est *firma adhaesio intellectus ad suum cognoscibile ob rationes, quae firmum adsensum merentur*. De hac certitudine hic disserimus.

2) Certitudinem subjectivam possumus triplici via acquirere: a) *per revelationem* sive generalem sive particularem, et inde habetur certitudo

---

1 *Apoc.*, 22, 11.
2 *I-II*, q. 112, a. 4.
3 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799.
4 *I-II*, q. 112, a. 4.

1 *II Petr.*, 3, 18.
2 *Sess.* 6, can. 24; **Denz-Bannw.**, 834.
3 **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 1; **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 1.
4 *In I Sent.*, p. 2, q. 4.
5 **S. Thomas,** *III p.*, q. 7, aa. 11-12; q. 10, a. 4 ad 3; **Suarez,** *De gratia*, lib. 9, c. 5, n. 4 sqq.
6 *De gratia*, lib. 9, c. 5, n. 8.
7 *Prolegomena*, n. 36.

http://www.obrascatolicas.com

fidei, cui nequit subesse falsum; b) *per legitimam deductionem* ex principiis revelatis, et est certitudo theologica excludens omnem falsitatem; c) *per principia naturalia*, sive *metaphysica*, quibus res in essentia constituuntur; sive *physica*, quibus res physicae (non contingentes) semper uniformiter agunt; sive *moralia*, quibus causae liberae modo constanti reguntur. Ex principiis metaphysicis oritur omnimoda certitudo, quae ne miraculo quidem Dei falli potest; ex principiis physicis habetur certitudo maxima, quae, nisi leges physicae a Deo derogentur, non fallitur; ex principiis moralibus nascitur certitudo moralis, quae prudentem erroris formidinem excludit.

3) Certitudo moralis alia est *stricta*, contra quam sola erroris possibilitas non probabilitas exstat, ut cum admittimus Romam exsistere; alia *media*, quae relinquit potestatem dubitandi, ut Petrum esse baptizatum; et alia *lata* seu conjecturalis, contra quam non sola erroris possibilitas sed etiam aliquod leve motivum militat, ut cum adsentimus plurium auctoritati, quae prudentem tollit dubitandi rationem.

4) Hic quaeritur, an homo in via certo scire possit se esse in gratia: a) per revelationem Dei; b) per certam deductionem ex revelatis; c) per principia naturalia, metaphysica vel physica, vel saltem moralia, quae auferant prudentem erroris formidinem.

223. Error. Damnata est a Leone X Lutheri propositio 10 his verbis expressa: «Peccatum maneret, nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum» [1]. *Melanchthon* docet nos cum credimus, certos esse de accepta gratia [2]; imo de errore accusat monachos, qui «jubent semper dubitare, an simus in gratia» [3].

224. Opinio Catharini. Singularem opinionem hac in re tenuit *Ambrosius Catharinus* in suo opere *De certitudine gratiae* dicens hominem esse certum suae gratiae certitudine fidei, cui non possit subesse falsum [4]. Hanc fidem vocabat ipse particularem non catholicam et universalem, sed non facile intelligitur quid praecise dicere voluerit; fortasse probare voluit certitudinem gratiae discursu theologico ex principiis fidei. Utcumque sit, opinio *Catharini* rejicitur communiter a theologis ut falsa et temeraria.

225. THESIS I. **Potest homo per revelationem Dei particularem certo cognoscere et fide divina particulari credere se esse in gratia.**

Arg. 1) Beatissimae Virgini Mariae dictum est ab angelo: *Ave, gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus* [5].

2) Hujus doctrinae rationem dat *Angelicus* dicens: «Revelat enim Deus hoc aliquando aliquibus ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, et ut confidentius et fortius magnifica opera prosequantur, et mala praesentis vitae sustineant, sicut Paulo dictum est *II Cor.*, 12, 9: *Sufficit tibi gratia mea*» [1].

---

1 Bulla *Exurge Domine*, 15 Jun. 1520; **Denz-Bannw.**, 750. Has propositiones deinde commentariis firmavit Lutherus in libro *Assertio omnium articulorum* ad Fabianum Felicem, equitem germanum. *Opera latina Martini Lutheri*, Francofurti, 1868, v. 5, p. 156 sqq.

2 *Loci theologici*, «De vocabulo fidei».

3 *Loci theologici*, «De gratia et de justificatione».

4 Cfr. **Soto**, *Apologia contra Catharinum*, c. 2.

5 *Luc.*, 1, 28.

226. THESIS II. **Citra revelationem particularem nemo potest per principia revelata S. Scripturae et traditionis, neque per deductionem ex ipsis, certo cognoscere se esse in gratia.**

Nota. Particulis «citra revelationem particularem» excludimus casum de quo in thesi superiori.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Notissimus est locus Ecclesiastes, in quo dicitur: *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* [2]. Et Apostolus ajebat de se: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* [3].

2) *Ex Concilio Tridentino.* Patres Concilii Tridentini clarissime exposuerunt hanc doctrinam dicentes: «Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum *nullus scire valeat certitudine fidei*, cui non potest subesse falsum, *se gratiam Dei esse consecutum*» [4].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Quantalibet enim justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum» [5].

4) *Ex ratione.* Ratio est, quia in S. Scriptura et traditione nunquam adseritur neque ex principiis revelatis certo deduci potest hominem individuum egisse, prout decet, poenitentiam, vel fecisse opera bona, quibus meruerit accipere vel conservare gratiam.

227. THESIS III. **Per principia naturalia metaphysica et physica nemo potest certo scire se esse in gratia.**

Arg. Certitudo naturalis metaphysica vel physica de propria gratia non potest haberi per ipsam gratiam neque per ejus effectus. Ergo nullo modo.

Non per ipsam gratiam. «Certitudo enim, ut apposite ait *S. Thomas*, non potest haberi de aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium; sic enim certitudo habetur de conclusionibus demonstrativis per indemonstrabilia universalia principia. Nullus autem posset scire se habere scientiam alicujus conclusionis, si principium ignoraret. Principium autem gratiae et objectum ejus est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus secundum illud *Job*, 36, 26: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Et ideo ejus praesentia in nobis et absentia per certitudinem cognosci non potest secundum illud *Job*, 9, 2: *Si ve-*

---

1 *I-II*, q. 112, a. 5.

2 *Eccl.*, 9, 1-2.

3 *I Cor.*, 4, 4.

4 *Sess.* 6, c. 9; **Denz-Bannw.**, 802.

5 *De perf. just.*, c. 15; ML **44**, 309.

http://www.obrascatolicas.com

nerit ad me, non videbo eum; si autem abierit, non intelligam. Et ideo homo non potest per certitudinem dijudicare, utrum ipse habeat gratiam, secundum illud *I ad Cor.*, 4, 3: *Sed neque me ipsum judico... Qui autem judicat me, Dominus est*» [1].

Neque per ejus effectus. Effectus proprii gratiae sanctificantis sunt supernaturales, quibus certo cognoscendis impar est intellectus humanus. Effectus autem ignoti nequeunt nos conducere ad certam cognitionem de exsistentia gratiae sanctificantis in nobis.

228. THESIS IV. **Nemo potest, seclusa speciali Dei revelatione, esse moraliter certus suae gratiae ea morali certitudine, contra quam sola erroris possibilitas non probabilitas militat.**

Arg. 1) Certitudo moralis stricta, de qua agimus, pellit omnem formidinem et timorem de opposito. Sed nemo, seclusa Dei speciali revelatione, potest esse moraliter certus suae gratiae sine ulla formidine et timore de opposito. Ergo. Hinc Concilium Tridentinum merito ait: «Quilibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest» [2].

2) Si cuipiam concedatur certitudo moralis stricte de sua gratia et salute, ii maxime forent secundum communem Dei providentiam, qui in servitio Dei inter caeteros eminent. Sed non ita fuit. Nam S. Paulus in praedicatione evangelica defatigatus, S. Antonius in deserto poenitens, S. Hilarion eremita ferventissimus, S. Theresia altissimae contemplationi dedita, et alii sanctissimi viri experti sunt circa hanc rem timores et anxietates morte amariores. Ergo.

229. THESIS V. **Plures possunt, seclusa Dei revelatione, esse de sua gratia certi ea certitudine morali, quae, relicta in contrarium habituali formidine, aufert dubium actuale prudens.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Servis Dei certe non defuit in sacris litteris haec consolatio. Unde Christus: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere... Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos* [3]. Et Apostolus: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* [4]. Hoc spiritus testimonium, quod nobis adesse conjecturis constat, ut diserte adserit *Cornely* [5], certitudi nem moralem de nostra adoptione parit.

2) *Ex ratione.* Ex operibus et signis exterioribus cognoscitur morali quadam certitudine status interior animae. Pravi siquidem mores et actiones perversae indicant peccatum, dum satagens studium serviendi Deo accusat gratiae praesentiam. «Et hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam in quantum scilicet percipit se delectari in Deo et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis. Secundum quem modum potest intelligi, quod habetur *Apocal.*, 2, 17: *Vincenti dabo manna absconditum... quod nemo novit, nisi qui accipit;* quia scilicet ille, qui accipit, per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille, qui non accipit» [1].

[1] *I-II*, q. 112, a. 5.
[2] *Sess.* 6, c. 9; **Denz-Bannw.**, 802.
[3] *Matth.*, 7, 18-20.
[4] *Rom.*, 8, 16.
[5] *Comment. ad Rom.*, 8, 16, p. 419.

230. Corollarium I. Homines insigniter sancti et de sua salute multum solliciti firmiorem habent certitudinem quam segniores. Unde, qui gustaverint manna absconditum et fruuntur dulcedine praesentiae Dei, certiores sunt de sua gratia quam alii. Omnes tamen justi, qui mandata Dei et Ecclesiae adimplere conantur, possunt conjecturis aliquam praesentis gratiae notitiam concipere.

Coroll. II. Moralis certitudo de statu gratiae, quam sine revelatione concipit homo, est semper obscura et imperfecta, et quamvis aliquando expellat rationabile dubium actuale de contrario, nequit tamen radicitus expellere habitualem formidinem, ad quam justus redire potest, quoties suam infirmitatem experitur.

Coroll. III. Signa hujus certitudinis moralis sunt integritas vitae, testimonium bonae conscientiae, spiritus orationis, frequentia sacramentorum, praesertim eucharistiae receptio, odium peccati, devotio erga SS. Virginem, etc.

QUAESTIO XII

DE EFFECTIBUS FORMALIBUS GRATIAE SANCTIFICANTIS

ARTICULUS I

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS CONSTITUAT NOS FORMALITER FILIOS DEI ADOPTIVOS

231. Status quaestionis. 1) Primus effectus gratiae sanctificantis est *reddere homines consortes divinae naturae*, de quo actum est quaestione praecedenti. Deinde venit *filiatio Dei adoptiva*, quae generationem ac naturam imitatur; atque ultimo sequuntur alii effectus, de quibus per ordinem disseremus.

2) Adoptio in genere definitur: *Personae extraneae ad haereditatem propriam gratuita et libera adsumptio.* Adoptans seu adsumens personam extraneam ad propriam haereditatem dicitur *pater;* et adoptatus huic actui consentiens vocatur *filius.*

3) Minime dubitandum est Deum multos homines adoptare in filios, cum libere et gratuito ordinat eos ad gloriam; sed haec adoptio fit modo longe diverso ac praestantiori, quam adoptio extraneorum inter homines.

a) Homines adoptant personas extraneas in haereditatem propter indigentiam, cum filiis naturalibus carent, Deus vero propter abundantiam, ut divitias suae gloriae aliis communicans plures praeparet Filio suo naturali socios in gloria.

[1] *I-II*, q. 112, a. 5.

http://www.obrascatolicas.com

b) Inter homines adoptantur per naturam idonei ad haereditatem, sed «Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratiae munus ad haereditatem caelestem percipiendam» [1].

c) In adoptione humana non mutatur intrinsece adoptatus, dum in adoptione divina adoptatus fit *in Christo nova creatura* [2], et dicitur *ex Deo natus*.

Disputatur inter theologos, an et quomodo homines reddantur filii Dei adoptivi per gratiam sanctificantem.

232. Placita theologorum. 1) Aliqui negant hominem constitui formaliter filium Dei adoptivum per gratiam sanctificantem, vel «quia nullum est donum creatum habituale, cum quo, si per se praecise spectetur, non possit consistere peccatum, si Deus, homine justo peccante, pergeret illud donum conservare, ut plerique theologorum fatentur; at cum filiatione divina implicat consistere peccatum» [3]; vel quia jus ad caelestem beatitudinem, sine qua non datur filiatio Dei adoptiva, non nascitur ex gratia sanctificante.

Si ab eis quaeras, unde formaliter nascatur filiatio Dei adoptiva, respondent *Lessius* et *Petavius:* «Sumus igitur filii Dei proprie et formaliter... per inhabitationem et possessionem Spiritus divini vivificantis et regentis animas nostras» [4].

2) Plures docent filiationem Dei adoptivam nasci quidem in homine ex gratia sanctificante, sed gratiam hoc non ex natura sua habere sed ex ordinatione divina. Haec opinio deducitur ex *Scoto, Ockam* et *Biel* [5], atque expresse defenditur ab *Hiquaeo, Poncio* et aliis scotistis [6].

3) Multo communius tenent auctores gratiam sanctificantem ex natura sua nos reddere filios Dei adoptivos. Ita communiter thomistae et plures extranei.

233. THESIS I. **Omnes justi sunt filii Dei adoptivi.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus* [7]. Apostolus: *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba (Pater); ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* [8].

2) *Ex liturgia Ecclesiae.* In praefatione Pentecostes canit Ecclesia: «Qui ascendens super omnes caelos, sedensque ad dexteram tuam promissum Spiritum Sanctum *in filios adoptionis effudit*».

3) *Ex SS. Patribus. S. Cyrillus alex.:* «Qui per fidem Christi vocati sunt in adoptionem filiorum Dei, propriae quidem naturae vilitatem exuerunt, Deique honorantis gratia ceu splendida quadam veste conspicui ad supernaturalem dignitatem evehuntur. Non enim amplius carnis filii, sed Dei potius adoptiva soboles nuncupantur» [9].

---

1 **S. Thomas,** *III p.*, q. 23, a. 1.
2 *II Cor.*, 5, 17.
3 **Lessius,** *De perfect. div.*, lib. 12, n. 75.
4 **Lessius,** *De perfect. div.*, lib. 12, n. 75; **Petavius,** *De Trinit.*, lib. 8, c. 4 sq.
5 **Scotus,** *In II Sent.*, dist. 27, q. un.; et *In IV Sent.*, dist. 16, q. 2, n. 4, *Respondeo;* **Ockam,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1; et *In IV Sent.*, q. 3, a. 3; **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 2; et *In IV Sent.*, dist. 14.
6 **Hiqueus,** *In IV Sent. Scoti*, q. 2; **Poncius,** *Theol. cursus integer*, disp. 34, q. 3.
7 *I Joan.*, 3, 1.
8 *Rom.*, 8, 15 sqq.
9 *In Joannem*, 1, 13; MG **73,** 153.

4) *Ex ratione.* Cum homo per gratiam sanctificatur, adsumitur a Deo a) *persona extranea*, quia homo «non est unius ejusdemque substantiae» cum Deo [1]; b) *gratuito*, quia ex parte hominis nullum ad hoc praecedere potuit meritum; c) *libere*, quia actiones Dei ad extra sunt semper liberae; d) *ad haereditatem caelestem*, quia elargitur a Deo hominibus jus ad gloriam sempiternam, quae in possessione ipsius Dei consistit.

234. THESIS II. **Gratia sanctificans facit homines filios Dei adoptivos.**

Arg. 1) *Ex Concilio Tridentino.* Juxta Concilium Tridentinum justificatio impii est «translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei» [2]. Porro justificatio fit, ut idem concilium docet, «per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit *haeres secundum spem vitae aeternae*» [3]. Ergo homo per susceptionem gratiae fit haeres vitae aeternae seu filius Dei adoptivus.

2) *Ex SS. Patribus. S. Athanasius:* «Ipse igitur (Christus) secundum naturam est filius Dei, nos autem per gratiam» [4].

3) *Ex ratione.* Per gratiam sanctificantem regenerantur peccatores in ordine supernaturali. Sed regeneratio hominis in ordine supernaturali terminatur ad filiationem adoptivam. Ergo gratia sanctificans facit homines filios Dei adoptivos.

235. THESIS III. **Gratia sanctificans ex natura sua confert homini formaliter filiationem adoptivam.** *(Est communior.)*

Arg. 1) *Ex Concilio Tridentino.* a) Justificationis «unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit» [5]. Sed justitia, qua Deus nos justos facit, est gratia sanctificans. Ergo.

b) In sententia scotistica gratia sanctificans producit filiationem adoptivam, non ex natura sua neque ex virtute propria, sed ex lege et ordinatione Dei extrinseca. Unde non tam gratia quam ordinatio divina et favor Dei est causa filiationis adoptivae. Sed hoc videtur parum conforme Concilio Tridentino dicenti: «Si quis dixerit... gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, a. s.» [6].

2) *Ex ratione.* a) Gratia sanctificans ex natura sua nos facit consortes divinae naturae. Sed hoc consortium, utpote conferens jus ad beatitudinem, est filiatio Dei adoptiva. Ergo. Ad rem *Angelicus:* «Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in filium Dei, cui debetur hae-

---

1 **S. Augustinus,** *Contra Maximin.*, lib. 2, c. 15, n. 2; ML **42,** 778.
2 *Sess.* 6, c. 4; **Denz-Bannw.,** 796.
3 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 799.
4 *Orat.* 2, adv. arian., n. 59; MG **26,** 274.
5 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 799.
6 *Sess.* 6, can. 11; **Denz-Bannw.,** 821.

http://www.obrascatolicas.com

reditas ex ipso jure adoptionis, secundum illud *Rom.*, 8, 17: *Si filii et haeredes*» [1].

b) Posita gratia sanctificante, simul ponitur in homine filiatio Dei adoptiva, quin necesse sit filiationem aliunde compleri; imo gratia sanctificans et filiatio nequeunt separari, ut videbimus infra, dum de justificatione. Ergo gratia sanctificans ex sua natura causat in homine filiationem Dei adoptivam.

ARTICULUS II

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS EX NATURA SUA REDDAT HOMINEM DEO GRATUM

236. Status quaestionis. 1) Homo est Deo gratus, quando habet in se perfectionem talem, ut possit esse objectum complacentiae divinae specialis.

2) Porro «complacentia (Dei) specialis, ut ait *Biel*, est triplex. *Prima* est respectu omnium exsistentium et futurorum, quae nihil aliud est quam divinum velle, quo vult aliqua possibilia esse vel futura esse bona. Et sic posset in nullo alio a se complacere, quia posset nihil a se esse vel futurum esse. *Secunda complacentia specialior* est respectu nobilioris objecti, et est velle aliquid esse perfectius alio. Et sic major est complacentia substantiae quam accidentis (naturalis), et magis complacet in materia rationali quam irrationali. *Tertia complacentia specialissima* est respectu alicujus perficiendi secundum maximum seu perfectissimum genus perfectionum accidentalium. Et est divinum velle, quo vult creaturae rationali non ponenti obicem conferre maximam perfectionem accidentalem secundum genus, quae est beatitudo sive vita aeterna. Et hoc idem intelligitur per esse *acceptum*, esse *carum*, vel esse *dilectum* Deo, scilicet velle divinum, quo vult talem beatificare, si manserit in statu tali» [2].

3) Hic agimus de tertia perfectione maxima, qua homo constituitur objectum specialissimae divinae complacentiae, et quaerimus, an gratia sanctificans ex natura sua faciat hominem aptum, non quidem radicaliter, ut omnis natura intellectualis est apta ad beatitudinem, sed proxime dispositum et dignum, ut a Deo diligatur amore benevolentiae et acceptetur ad gloriam suo tempore ipsi conferendam.

237. Placita theologorum. 1) Nominales et scotistae docent gratiam sanctificantem ex natura sua non reddere hominem Deo gratum, sed «ab ordinatione divina talem legem statuente, sicut, si esset aliquis rex, qui ordinaret in regno suo, quicumque haberet denarium aureum, haberet haereditatem et nullus alius; iste, inquam, denarius acceptaretur pro haereditate ipsum incomparabiliter excedente, et hoc etiam esset propter ordinatam legem statuentis» [3]. Clarius: Gratia sanctificans est sicut metallum, quod ex intrinseca quidem ratione caret valore, sed, si a rege eligatur, ut sit materia monetae, acquirit valorem moralem; ita etiam gratia sanctificans ex intrinseca ratione non reddit hominem Deo gratum, sed, accedente Dei ordinatione, qua id statuitur, acquirit valorem, et facit hominem amore Dei et vita aeterna dignum. Ita *Scotus*, *Ariminensis*, *Ockam*, *Biel*, *Mayronus* et alii [1].

2) Alii multo communius et probabilius docent gratiam sanctificantem ex natura sua reddere hominem Deo acceptum et gratum. Ita communiter thomistae, et ex extraneis *Vazquez*, *Suarez*, *Beraza* et alii [2].

[1] *I-II*, q. 114, a. 3.
[2] *In I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 1, nota 2.
[3] **Mayronus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 2.

238. THESIS I. **Omnes homines per gratiam sanctificantem fiunt Deo grati.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Juxta Apostolum *habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo* [3]. Haec verba *Alapide* exponit dicens: «Ut Deus servitio nostro quasi re quapiam pulcherrima delectetur» [4].

2) *Ex ratione.* a) Traditio universalis hanc gratiam vocat in Ecclesia *gratiam gratum facientem* ex eo, quod nos facit Deo dilectos.

b) Homo per gratiam sanctificantem fit filius Dei adoptivus. Filius autem Dei adoptivus, utpote jus habens ad haereditatem vitae aeternae, est Deo gratus et acceptus. Ergo.

239. THESIS II. **Homo justus est Deo gratus et vitae aeternae dignus formaliter per gratiam sanctificantem.**

Nota. Sensus est: «Sicut pictor facit parietem album effective, albedine mediante» [5], ita Deus per gratiam sanctificantem facit effective hominem sibi gratum; sed sicut albedo «nulla forma mediante... facit album formaliter», ita gratia immediate ac formaliter, sine alia forma mediante, facit hominem Deo gratum et vitae aeternae dignum.

Arg. *Ex multiplici ratione.* 1) Homo constituitur formaliter filius Dei adoptivus per gratiam sanctificantem. Ergo redditur Deo gratus formaliter per gratiam sanctificantem.

2) Homo fit perfectus et dignus beatitudine naturali per naturam integram. Ergo pariter constituitur dignus vita aeterna per participationem naturae divinae.

3) Sicut homo dicitur justus per justitiam, ita etiam vocatur gratus per gratiam.

240. Corollarium I. Nolim ex hoc deducas gloriam illico conferri iis, qui per gratiam sanctificantem redduntur Deo grati et vitae aeternae digni; quia, licet gratia sanctificans immediate faciat hominem aptum ad gloriam, ad collationem hujus beatitudinis requiritur actio Dei distincta a productione gratiae.

241. Coroll. II. Esse Deo gratum idem est ac esse Deo dilectum. Unde, si gratia ex natura sua reddit hominem Deo gratum, necesse est ipsum esse a Deo dilectum. Quod necessitate suppositionis

[1] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 16, q. 2; **Ariminensis,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 2; **Ockam,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1; **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 1; et a. 3, dub. 4; **Mayronus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 2.
[2] **Vazquez,** *In I-II*, disp. 204; **Suarez,** *De gratia*, lib. 7, c. 1; **Beraza,** *De gratia Christi*, n. 838.
[3] *Hebr.*, 12, 28.
[4] *Comment. in ep. ad Hebr.*, 12, 28.
[5] **S. Thomas,** *De veritate*, q. 27, a. 1 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

verum esse non diffitebimur. Deus necessitate absoluta nihil nisi se ipsum diligit, alia vero a se necessitate suppositionis, supposito scilicet quod bonitatem in ipsis produxerit atque conservet. Amor quippe Dei infundit et creat bonitatem quandoque naturalem, quandoque supernaturalem in rebus. Ex necessitate igitur suppositionis Deus diligit creaturas, naturales quidem amore naturali, supernaturalizatas vero amore supernaturali.

242. Scholion. *De amicitia Dei.* I. Amicitia recte definiri potest: *Mutuus benevolentiae amor in communicatione alicujus boni fundatus.*

1) Dicitur *amor*, id est, actus voluntatis, quo diligitur amicus.

2) Non est amor concupiscentiae, quo aliquis sibi vult bonum, sed *amor benevolentiae*, quo amans vult bonum amato. Unde «amans, juxta *S. Thomam*, sic fit extra se in amatum translatus, in quantum vult amato bonum, et operatur per suam providentiam sicut et sibi» [1], et Deus «transfertur in amatum, quod est creatura, in quantum bonitatem suam ei communicat» [2].

3) Est *mutuus*, id est, amantes sibi invicem communicant aliquod bonum. Hinc amicitia facit, ut amantium omnia bona sint communia [3].

4) Inter amantes necessario datur aliqua aequalitas, quia, ut ait commune proloquium a *S. Hieronymo* mutuatum: «amicitia pares aut accipit aut facit» [4], et *Ovidius* ajebat: «amicitias et tibi junge pares» [5]. Attamen, «amicitia non requirit aequalitatem aequiparantiae, sed aequalitatem proportionis, ut scilicet unus amicorum operetur ad alterum secundum suam proportionem, ut dicitur in 8 Ethicorum. Tamen magna inaequalitas amicitiam solvit, quando scilicet non communicant in eadem vita» [6]. Anima autem gratia supernaturali ornata, et consors facta naturae divinae, communicat cum Deo in eadem vita supernaturali, et habet cum eo aequalitatem proportionis [7].

5) Ad veram amicitiam requiritur, ut amantes non multum distent, quia «inter multum distantia bene potest esse amor, sed non amicitia, quia non conversantur simul, quod est proprium amicitiae. Deus autem, quamvis in infinitum distet a creatura, tamen operatur in omnibus, et in omnibus est: et ideo potest salvari etiam ratio amicitiae» [8]. Deus igitur est nobis intime praesens, ut nobiscum conversando amicitiam statuat, sed cum peccatoribus non habet amicitiam, quia in ordine supernaturali longe est ab ipsis et non conversatur cum illis.

---

1 **S. Thomas,** *I p.*, q. 20, a. 2 ad 1.
2 *In III Sent.*, dist. 32, q. 1, a. 1 ad 3.
3 Amantium mutuam sibi invicem traditionem pulchre explicat **S. Joannes a Cruce** dicens: «No solamente según la voluntad sino también según la obra, queda ella de hecho sin dejar cosa, toda dada a Dios, así como Dios se ha dado todo libremente a ella; de manera que quedan pagadas aquellas dos voluntades, entregadas y satisfechas entre sí». *Cántico esp.*, canc. 27.
4 *Comment. in Michaeam*, lib. 2, c. 7; ML **25**, 1219.
5 *De tristibus*, lib. 3, egl. 4, v. 44.
6 *In III Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 3 ad 3.
7 Ad rem optime **S. Joannes a Cruce:** «En la cual (unión) se iguala el alma con Dios por amor». *Cántico esp.*, canc. 24, v. 2.
8 **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 32, q. 1, a. 1 ad 2.

243. II. Amicitia una est *naturalis*, quae fundatur in bonitate naturali, ut illa, quam habent personae sibi invicem bona naturalia mutuo communicantes; et altera *supernaturalis*, quae fundatur in bonitate supernaturali, qualis est amor mutuus inter Deum et justos. De amicitia supernaturali hic agimus.

244. III. Philosophus ajebat: «Aut virtus quaedam est amicitia aut cum virtute conjuncta» [1]. Sed *S. Thomas* clarius rem explicat dicens: «Amicitia non ponitur virtus, sed consequens virtutem; quia ex hoc ipso, quod aliquis habet virtutem et amat bonum rationis, consequitur ex ipsa inclinatione virtutis, quod diligat sibi similes, scilicet virtuosos, in quibus bonum rationis viget. Sed amicitia, quae est ad Deum, in quantum est beatus et beatitudinis auctor, oportet praestitui ad virtutes, quae ad illam beatitudinem ordinant; et ideo, cum non sit consequens ad alias virtutes, sed praeambulum, ut ostensum est, oportet, quod ipsa sit per se virtus» [2].

Ex hoc deducitur amicitiam supernaturalem, qua sumus amici Dei, quandoque sumi pro habitu, in quantum formaliter est caritas [3], quandoque pro actu, quatenus est amor.

245. IV. Amicitia ut habitus seu caritas est principium proximum amicitiae amoris, dum gratia sanctificans est principium remotum. Hinc amicitia proprie dicta, seu amor mutuus, est formaliter actus caritatis, fundamentaliter est actus gratiae sanctificantis [4].

V. Deus et homines justi conjunguntur vera amicitia.

1) Deus in sacris litteris justos crebro vocat *amicos: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus* [5]. *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis* [6]. *Dico autem vobis amicis meis* [7].

2) Juxta Concilium Tridentinum homo in justificatione «ex injusto fit justus, et ex inimico amicus» Dei [8].

ARTICULUS III

DE CAETERIS EFFECTIBUS GRATIAE SANCTIFICANTIS

246. Gratia sanctificans alios quoque eximios effectus producit formaliter in anima. De praecipuis hic breviter.

I. *Gratia sanctificans reddit hominem justum et sanctum* [9].

1) Sacra Scriptura comparat gratiam cum luce et peccatum cum tenebris [10]; et addit: *Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras?* [11].

---

1 *Ethicor.*, lib. 8, c. 1.
2 *Quaest. disp., De caritate*, q. un., a. 2 ad 8.
3 *II-II*, q. 23, a. 1.
4 Cfr. **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 4, n. 37; et **Joseph a Spiritu Sancto,** *Cursus Theologiae mystico scholasticae*, disp. 16, n. 180.
5 *Ps.* 138, 17.
6 *Joan.*, 15, 14.
7 *Luc.*, 12, 4.
8 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 799.
9 De justificatione impii agemus uberius in quaestione speciali.
10 *Ephes.*, 5, 8. 11 *II Cor.*, 6, 14.

http://www.obrascatolicas.com

2) Juxta Concilium Tridentinum justificatio «non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus» [1]. «Hujus justificationis... unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet... vere justi nominamur et sumus» [2].

3) Licet ratio naturalis id plene explicare nequeat, ex principiis tamen aliunde sumptis potest suadere. Si enim gratia, participatio divinae naturae, constituit hominem Deo gratum vitaeque aeternae dignum, pari ratione ipsum reddet justum atque sanctum, ab omni scilicet peccato immunem.

247. II. *Gratia sanctificans mira pulchritudine atque splendore animam humanam exornat.*

1) Animam justi describit S. Scriptura his verbis: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es* [3].

2) Catechismus Romanus *S. Pii V* lepide pulchritudinem animae justi exponit dicens: «Est autem gratia... divina qualitas in anima inhaerens ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendentes reddit» [4].

248. III. *Gratia sanctificans confert homini vitam supernaturalem perfectam.*

Nota. Vitam supernaturalem vocamus facultatem, quam habet homo justus se movendi ad Deum ut ultimum finem. Vita imperfecta dicitur principium actuum fidei, spei, etc., qui licet sint supernaturales per influxum gratiae actualis, tamen possunt conjungi cum peccato mortali et esse sine merito. Vita perfecta est principium amoris Dei, et est incompatibilis cum peccato mortali. Hanc vitam sancti vivunt in via per gratiam sanctificantem et in patria per gloriam. Unde Christus dicitur venisse ad homines, *ut vitam habeant, et abundantius habeant* [5].

1) Dominus Jesus vitem se dicit et nos palmites, et hortatur nos, ut in Christo et in dilectione maneamus, sicut palmes in vite [6]. Et deinde subjungit: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum* [7]. Palmes autem in vite vivit. Ergo et nos, cum sumus in Christo per gratiam et dilectionem, vivimus vitam supernaturalem perfectam atque fructibus vitae aeternae uberem.

2) Catechismus Romanus *S. Pii V* egregie hoc declarat dicens: «Quemadmodum igitur a capite vis manat, qua singulae corporis partes ad proprias functiones apte exsequendas moventur; ita ex Christi Domini plenitudine in omnes, qui justificantur, divina virtus et gratia diffunditur, quae nos ad omnia christianae pietatis officia habiles reddit» [8].

---

1 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799.
2 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799.
3 *Cant. Cantic.*, 1, 14.
4 *Parte* 2, c. 2, n. 50.
5 *Joan.*, 10, 10.
6 *Joan.*, 15, 4 sqq.
7 *Joan.*, 15, 5.
8 *Parte* 2, c. 2, n. 52.

QUAESTIO XIII

DE JUSTIFICATIONE IMPII

ARTICULUS I

QUAEDAM NOTIONES TRADUNTUR

249. 1) **Etymon.** Si justificationis nomen spectes, nihil aliud significat, quam justum facere vel justum fieri. Unde justificatio idem est ac *justi effectio* [1].

2) Justificatio *active* spectata est actio Dei sanctificantis homines, et *passive* significat motum vel quasi motum, quo homo injustus redditur justus. Quamvis hic agamus de sola justificatione passiva, saepe tamen commemoramus actionem Dei.

3) Cum justitiae nomen multiplicem habeat sensum, justificatio quoque passiva potest diversimode usurpari. Justitia aliquando significat a) *virtutem*, qua quis unicuique tribuit, quod suum est, et sic homo dicitur justus, qui unicuique reddit, quod suum est; b) quandoque importat *declarationem forensem*, et sic dicuntur justificati, qui a judice declarantur innocentes; c) saepissime innuit *internam hominis rectitudinem ad Deum*, finem supernaturalem, et hoc sensu vocantur justi, qui gratia sanctificante ornati Deum super omnia diligunt.

4) Haec passiva justificatio, si producatur in homine nullatenus corrupto, ut in Adamo, Christo, et SS. Virgine Maria, non est remissio peccatorum, sed simplex spiritualis generatio; at, si fiat in homine peccatis contaminato, importat semper remissionem peccatorum.

5) In justificatione impii seu peccatoris verificatur quidam processus, cujus terminus *a quo* est peccatum lethale, terminus *ad quem* gratia sanctificans, et actus intermedii sunt motus liberi arbitrii in Deum et in peccatum. Unde quatuor elementa sunt explicanda in processu justificationis, id est, infusio gratiae, motus liberi arbitrii in Deum, motus liberi arbitrii in peccatum et remissio peccatorum.

6) Hic processus considerari potest a) *in fieri*, quatenus significat motum animae ad justitiam seu ad statum internae rectitudinis ad Deum; et b) *in facto esse*, quatenus importat ipsum statum rectitudinis ad Deum. Loquimur de justificatione, prout est in motu. Porro «motus denominatur magis a termino *ad quem*, quam a termino *a quo;* ideo hujusmodi transmutatio, qua aliquis transmutatur a statu injustitiae ad statum justitiae per remissionem peccati, sortitur nomen a termino *ad quem*, et vocatur *justificatio impii*» [2].

250. Doctrina catholica. Doctrina igitur catholica est homini in justificatione infundi gratiam habitualem, atque praeviis actibus liberi

---

1 Cfr. **Katschthaler**, *De gratia*, n. 274.
2 *I-II*, q. 113, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

arbitrii a Deo motis deleri peccata, totumque hominem renovari ac sanari; quia justificatio, ut ait Glossa ad Romanos 8, 30, est «remissio peccatorum et consummatio bonorum operum».

Hunc justificationis processum fere ad litteram exponit Concilium Tridentinum dicens: «Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, et, dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata» [1].

251. Errores. Reformatores saeculi XVI, *Lutherus, Calvinus, Melanchthon, Bucerus,* et alii docebant justitiam originalem primo homini fuisse essentialem, et consequenter contendebant per peccatum Adae totam hominis naturam fuisse essentialiter corruptam, atque liberum arbitrium disparuisse vel esse titulum sine re.

Hisce erroribus applicatis ad praesentem quaestionem, gravissime erraverunt circa elementa justificationis.

Defenderunt homini in justificatione non infundi gratiam sanctificantem, quae sit qualitas supernaturalis recepta in anima, sed justitiam Christi a Patre imputari peccatori mediante fiducia promissae misericordiae in Christo, et ita peccata contegi.

Hinc processus justificationis juxta reformatores fit imputatione extrinseca justitiae Christi, fide in promissam a Christo misericordiam, et declaratione stylo forensi peccati non imputandi.

Imputatio justitiae Christi juxta aliquos fit per formalem et substantialem communicationem naturae divinae Christi ad animam hominis, sed juxta alios est tantum *extrinseca* in eo consistens, quod Pater virtute propitiationis sanguinis Filii sui misericordem se ostendit et reconciliatur peccatori.

Fides, ob quam imputatur homini justitia Christi, non est fides *historica* (ita eam vocant), qua credimus mysteria et dogmata contenta in S. Scriptura vel traditione, neque fides *miraculorum,* qua dicunt fieri miracula, sed fides *promissionum* specialis, «qua credit unusquisque sibi remitti peccata propter Christum, et Deum placatum et propitium esse propter Christum» [2]. «Quoties igitur, ait iterum *Melanchthon,* de fide justificante loquimur, sciendum est haec tria objecta concurrere, promissionem et quidem gratuitam (misericordiae), et merita Christi tanquam pretium, et propitiationem» [3]. Nullam requirunt ex parte hominis contritionem, nullum motum liberi arbitrii in Deum vel in peccatum, nullam internam dispositionem, nisi fiduciam in promissam a Christo misericordiam. Haec protestantium fides vel fiducia nullatenus dicenda est causa justificationis, sed quaedam tantum conditio. Celebre dictum: *Pecca fortiter et crede fortius,* quod Luthero tribuitur, est consequentia hujus doctrinae.

Peccata non delentur per veram remissionem nec per internam hominis

---

1 *Sess.* 6, c. 6; **Denz-Bannw.,** 798.
2 **Melanchthon,** *Apologia Confessionis august.,* «De justificatione» versus finem.
3 *Apologia Confessionis august.,* «Quid est fides justificans».

renovationem, sed stylo curiae declaratur homo justus, tegendo illi peccata, et declarando ea amplius nunquam peccatori ad culpam poenamve imputatum iri.

Ex his principiis deducebant: 1) hominem certo certitudine fidei cognoscere se esse justificatum; 2) justitiam non esse majorem in uno quam in alio; 3) solo infidelitatis peccato fieri hominem reum servumque peccati. Unde *Lutherus:* «Sola impietate et incredulitate cordis reus fit et servus peccati damnandus» [1]. «Nullum malum opus facit eum (infidelem) malum aut damnatum, sed incredulitas» [2].

ARTICULUS II

UTRUM IN JUSTIFICATIONE IMPII PECCATA MORTALIA VERE REMITTANTUR AC DELEANTUR

252. Status quaestionis. 1) Ordo naturalis elementorum, quae requiruntur ad justificationem impii, est certe diversus juxta diversa genera causarum, sed simpliciter potest sic ordinari: a) infusio gratiae; b) motus liberi arbitrii in Deum; c) motus liberi arbitrii in peccatum; d) remissio culpae [3]. Attamen ob connexionem, quam infusio gratiae et remissio peccati inter se habent, disseremus de eisdem ordine sequenti: a) de remissione peccati; b) de infusione gratiae; c) de actibus liberi arbitrii in Deum; d) de actibus liberi arbitrii in peccatum.

2) Ad solutionem difficultatis propositae non parum confert germanam notitiam habere de essentia peccati habitualis. Omnes norunt post patratum peccatum actuale plura habitualiter manere in anima, cujusmodi sunt: privatio gratiae sanctificantis; offensa Dei, quae, transacto actu, virtualiter perseverat; aversio a Deo et conversio ad creaturas; ac tandem reatus ad poenam aeternam.

3) Praestantissimi theologi *Vazquez* et *Lugo* [4] dixerunt essentiam peccati mortalis habitualis consistere in actu praeterito, quandiu non retractetur, moraliter permanente; *Scotus* et *Biel* [5] defenderunt eam reponendam esse in reatu poenae aeternae. Sed multo probabilius puto essentiam peccati mortalis habitualis in praesenti providentia consistere in privatione voluntaria gratiae sanctificantis, relicta ex peccato actuali in ordine ad ipsum peccatum. Ita *S. Thomas, Cajetanus, Medina, Salmanticenses,* et omnes fere thomistae [6]. Unde *S. Thomas* ait ad rem: «Macula, quantum in se est, non ponit de essentia sua, nisi privationem gratiae; sed ponit ut causam obstaculum peccati, quod obstat ad gratiae receptionem» [7].

---

1 *De libertate christiana,* § «Cum ergo».
2 *De libertate christiana,* § «Sic et infideli».
3 Cfr. **Prado,** *De gratia et lib. arb.,* p. 1, q. 5, a. 8, concl. 5.
4 **Vazquez,** *In I-II,* disp. 139, c. 5; **Lugo,** *De poenitentia,* disp. 7, sect. 5.
5 **Scotus,** *In IV Sent.,* dist. 14, q. 1, n. 6, § «Dico ergo»; Vide commentaria Hiquaei in Scotum ibidem; **Biel,** *In IV Sent.,* dist. 14, q. 1, a. 1, nota 2.
6 **S. Thomas,** *I-II,* q. 86, a. 1 ad 3; et *In IV Sent.,* dist. 18, q. 1, a. 2, quaestiunc. 1; **Cajetanus,** *In I-II,* q. 86, a. 1; **Medina,** *In I-II,* q. 86, a. 1; **Salmanticenses,** *De justificatione impii,* disp. 1, n. 3.
7 *In IV Sent.,* dist. 18, q. 1, a. 2, quaestiunc. 1.

http://www.obrascatolicas.com

4) Ex hac essentia peccati habitualis fluunt plurima damna, ut sunt: aversio a Deo; conversio ad creaturas; reatus ad poenam aeternam, etc., adeo ut homo in peccato mortali habituali exsistens sit Deo ingratus, invisus, et abominabilis.

5) Fieri non potest, ut peccata, quibus Deum offendimus, non fuerint commissa, sed quaeritur, an in justificatione remittantur ac deleantur omnia peccata, tum originale, si adhuc permaneat, tum personalia mortalia.

6) Remitti seu deleri peccatum nihil aliud est nisi auferri maculam et damna ex peccatis orta, adeo ut de peccato nihil imputetur amplius peccatori ad culpam et poenam aeternam.

253. Error. Reformatores saeculi XVI dixerunt, ut supra retulimus, peccata in justificatione non vere deleri ac remitti, sed potius per justitiam Christi homini peccatori formaliter imputatam obvelari ac contegi [1].

254. THESIS. **In justificatione impii omnia peccata mortalia remittuntur ac extinguuntur.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* [2]. S. Joannes: *Ecce, qui tollit peccatum mundi* [3]. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato* [4].

2) *Ex Concilio Tridentino.* Patres concilii hunc canonem ediderunt: «Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam adserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, a. s. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui... innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi» [5].

3) *Ex SS. Patribus.* *S. Augustinus* diserte tenet hanc doctrinam dicens: «Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum et *auferre* crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescunt iterum revocanda peccata» [6].

4) *Ex ratione.* Essentia peccati habitualis est privatio gratiae, ex qua in praesenti providentia oriuntur alia damna peccatori illata, ut aversio a Deo, reatus ad poenam, etc. Sed haec omnia in justificatione vere remittuntur et exstinguuntur. Ergo. **Prob. ant.** Privatio gratiae aufertur, ut patet, per gratiam sanctificantem, quae in justificatione omnibus confertur, aversio a Deo deletur per caritatem seu per conversionem ad ipsum Deum; offensa exstinguitur per satisfactionem Christi peccatori in justificatione collatam, et ita de caeteris.

---

[1] Cfr. **Calvinus,** *Institut.*, lib. 4, c. 15, n. 10, ubi, sicut etiam alibi passim, non imputationem culpae vocat remissionem peccati. Et lib. 3, c. 11, n. 15, objurgat Magistrum Sententiarum, quod dixerit per mortem Christi *exstinctum esse peccatum.*

[2] *Hebr.*, 9, 28.

[3] *Joann.*, 1, 29.

[4] *I Joan.*, 1, 7.

[5] *Sess.* 5, can. 5; **Denz-Bannw.,** 792.

[6] *Contra duas ep. Pelag.*, lib. 1, c. 13, n. 26; ML **44,** 562.

Difficultatibus satisfit.

255. Obj. 1.° Regius Psaltes ait: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata* [1]. Ergo in justificatione impii teguntur peccata.

Resp. Psalmista in loco citato loquitur cum Deo. Respectu autem Dei, qui videt omnia etiam occultissima, idem est tegere ac delere peccata, quia quod Deo tegitur, deletum est. Hanc interpretationem adhibet *S. Thomas* dicens: «Caritas dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt. Unde oportet, quod ea destruat» [2].

Obj. 2.° Homines justi in praesenti ordine providentiae generant filios peccato originali infectos. Ergo in justis non est peccatum omnino exstinctum.

Resp. In justificatione hominis deletur omnino peccatum originale, sed natura peccato originali corrupta non reducitur ad statum primaevae integritatis. Justitia originalis collata fuit a Deo primo homini per modum accidentis naturae speciei, et per peccatum non solum amissa fuit gratia sanctificans sed etiam corrupta fuit natura. In justificatione autem destruitur quidem peccatum, sed non redintegratur natura, et quotquot nascuntur per generationem a genitoribus justis, habentibus naturam corruptam, contrahunt peccatum originale [3]. Hinc optime docet *S. Thomas* hominem per baptismum liberari a peccato originali quantum ad mentem, remanente infectione peccati quantum ad carnem .«Manifestum est autem, quod homo baptizatus non generat secundum superiorem partem animae, sed secundum inferiores et secundum corpus; et ideo homo baptizatus non transfundit in prolem novitatem Christi sed vetustatem Adae» [4].

Obj. 3.° Peccata mortalia, quae dicuntur remissa, possunt esse objectum sacramenti poenitentiae. Ergo peccata mortalia non delentur in justificatione.

Resp.—Neg. conseq. Peccata sunt materia remota sacramenti poenitentiae, actus vero poenitentis materia proxima ejusdem. Cum autem verum fuerit hominem commisisse peccata, potest poenitens accipere motivum de peccatis exstinctis, ut concipiat dolorem et faciat confessionem.

ARTICULUS III

DE GRATIA INFUSA IN JUSTIFICATIONE

§ 1

Utrum in justificatione impii infundatur gratia sanctificans in animam.

256. Status quaestionis. Justificatio impii certe importat remissionem omnium peccatorum lethalium, sed adaequate non consistit in sola remissione peccatorum.

Hic discutiendum venit, an ad justificationem impii omnino requiratur gratiae sanctificantis infusio.

---

[1] *Ps.* 31, 1.

[2] *In IV Sent.*, dist. 22, q. 1, a. 1 ad 2.

[3] Cfr. *De Deo Creatore*, n. 803 sq.

[4] *De malo*, q. 4, a. 6 ad 4.

http://www.obrascatolicas.com

257. Error. Reformatores, putantes hominem per imputationem extrinsecam justitiae Christi et per externam Dei benevolentiam sine intrinseca animae justitia sanctificari, negant in justificatione infundi a Deo animae gratiam sanctificantem, quae sit qualitas inhaerens in anima. Ita *Lutherus, Calvinus, Melanchthon* et alii [1]. Id ut probent, contendunt verbum δικαιουν non significare facere justum, sed considerare justum, habere ut justum [2].

258. THESIS. **In justificatione impii infunditur a Deo et recipitur in anima gratia sanctificans.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Apostolus diserte adserit se emundatum fuisse a peccato. *Eramus enim,* inquit, *aliquando et nos insipientes, increduli, errantes... sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae* [3]. Hic certe agit Apostolus, non de externa imputatione justitiae Christi, sed de interna hominis immutatione *per lavacrum regenerationis et renovationis,* in qua infunditur gratia sanctificans.

b) Idem Apostolus, enumeratis flagitiis, quae a regno Dei arcent, ait ad corinthios: *Et haec quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri* [4]. Nec valet dicere adjectivum εδικαιωθητε non significare *facti justi* sed *declarati justi,* ut contendit *Banks* [5]. Nam *S. Augustinus* ait apposite ad rem: «Quid est enim aliud *justificati* quam *justi facti,* ab illo scilicet, qui justificat impium *(Rom.,* 4, 5), ut ex impio fiat justus?... Unde aliter dicimus, *Deus sanctificat sanctos suos;* aliter autem, *sanctificetur nomen tuum.* Nam illud ideo, quia ipse illos facit sanctos, qui non erant sancti» [6].

2) *Ex Concilio Tridentino.* «Si quis dixerit hominem justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, a. s.» [7].

3) *Ex traditione.* Traditio christiana a primis inde saeculis semper intellexit in justificatione gratiam hominibus infundi. «Ubi igitur, ait auctor epistolae Barnabae, nos renovavit per remissionem peccatorum,

[1] **Lutherus,** *Comment. in ep. ad Galatas,* c. 2; § «Theologia scholastica» et «Vera Christianismi ratio»; **Calvinus,** *Inst.,* lib. 3, c. 11, n. 2; **Melanchthon,** *Loci theologici,* «De gratia et justificatione».

[2] Cfr. **Liddell-Scott,** *Speaker's Commentary, I Cor.,* 6, 11; **Lufhardt,** *Compendium der Dogmatik,* p. 257.

[3] *Tit.,* 3, 3 sqq.

[4] *I Cor.,* 6, 11.

[5] *Manual de Doctrina cristiana,* hisp. vers., § 214.

[6] *De spiritu et litt.,* c. 26, n. 45; ML **44,** 228.

[7] *Sess.* 6, can. 11; **Denz-Bannw.,** 821. Recte animadvertunt theologi ex verbis «sola imputatione», quae apparent in canone, aliquam imputationem justitiae Christi admittendam esse. Porro duplex est imputatio, una *formalis,* quam defendunt reformatores, altera *efficiens,* quam ponunt catholici, et ita dicimus merita Christi nobis applicari, quatenus meruerunt nobis gratiam. Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei,* disp. 16, dub. 1 ad 3.

effecit, ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui nos reformavit; nam de nobis Scriptura dicit, loquente Patre ad Filium: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram»* [1]. «Facti sumus novi, iterum ab integro creati. Ideo in nobis, in domicilio nostro, vere Deus habitat» [2].

4) *Ex auctoritate S. Thomae. Angelicus Doctor* hanc doctrinam confirmat dicens: «Hoc autem plus habet adoptatio divina, quam humana, quia Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratiae munus ad haereditatem caelestem percipiendam; homo autem non facit idoneum eum, quem adoptat, sed potius eum jam idoneum eligit adoptando» [3].

«Ex hoc ipso, quod Deus sua voluntate aliquem ordinat ad vitam aeternam, praestat ei aliquod, per quod sit dignus vita aeterna... Sic ergo homo dicitur Dei gratiam habere, non solum ex hoc quod a Deo diligitur in vitam aeternam, sed ex hoc quod datur ei aliquod donum, per quod est dignus vita aeterna, et hoc donum dicitur gratia gratum faciens» [4].

5) *Ex ratione.* Ratio naturalis demonstrare non valet in justificatione infundi animae gratiam sanctificantem, sed innixa veritatibus revelatis potest id satis efficaciter suadere. Scimus namque hominem in justificatione fieri Deo gratum et amicum. Amor autem Dei non supponit in objecto bonitatem, quam diligat, sed eam diligendo efficit. Ergo, cum hominem peccato abominabilem diligere incipit, efficit in eo aliquam formam, qua sit bonus ac justus [5].

Difficultates enodantur.

259. Obj. 1.° Apostolus docet nos fieri justos justitia Dei. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* [6]. Ergo.

Resp. Apostolus usus est termino abstracto pro concreto, ut frequenter fit in Scriptura. Unde sensus est, ut nos efficeremur justi justitia Dei, «non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit» [7].

Obj. 2.° Homines satisfaciunt Deo valore operum Christi ipsis applicato. Quidni etiam justificantur justitia Christi?

Resp. Inter satisfactionem et justificationem adest non parva differentia. Satisfactio siquidem pertinet ad ordinem moralem, et, cum efficimur membra Christi, accipimus fructus satisfactionum nostri capitis. Sed justificatio est regeneratio et renovatio physica, quae non potest fieri nisi forma physica inhaerente animae. Justitia autem Dei infinita nequit inhaerere animae, nec proinde hominem per modum informationis justum efficere.

[1] *Ep. cath. Barnabae,* 6; MG **2,** 741.

[2] *Ep. cath.,* 16; MG **2,** 773.

[3] *III p.,* q. 23, a. 1.

[4] *De veritate,* q. 27, a. 1.

[5] Cfr. **S. Thomas,** *De veritate,* q. 27, a. 1.

[6] *II Cor.,* 5, 21.

[7] *Concil. Trid.,* sess. 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 799.

http://www.obrascatolicas.com

§ 2

Utrum sanctificatio et remissio peccatorum in justificatione impii sint effectus formales gratiae sanctificantis.

260. Status quaestionis. Omnibus notum est sanctificationem animae et remissionem peccatorum simul homini conferri in justificatione, sed oportet investigari, an sint effectus formales gratiae sanctificantis, adeo ut, ubi infunditur gratia sanctificans, immediate et formaliter producantur sanctificatio hominis et remissio peccatorum.

261. Errores. 1) *Lutherus* irridet scholasticos, quod docuerint sanctificationem animae et remissionem peccatorum esse effectus formales gratiae sanctificantis. Deinde adserit: «Eaque (fides) est formalis justitia, propter quam homo justificatur, non propter caritatem» [1].

2) Juxta recentiores protestantes, praesertim methodistas, in hoc negotio tria sunt sedulo distinguenda: a) *justificatio*, quae consistit in imputatione justitiae Christi, quaque peccata conteguntur, et acceptatur homo ut justus coram Deo; b) *regeneratio*, quae est nova nativitas ad vitam spiritualem simul cum justificatione in instanti effecta; c) *sanctificatio*, quae significat progressum vitae spiritualis pedetentim obtentum. Justificatio et regeneratio sunt effectus fidei in promissiones Christi, sanctificatio vero est fructus progressivus justificationis.

262. THESIS. **Gratia sanctificans a Deo infusa immediate et formaliter producit sanctificationem animae et remissionem peccatorum.**

Arg. 1) *Ex Concilio Tridentino.* a) Sacra tridentina synodus ait: «Quae (justificatio) non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex injusto fit justus et ex inimico amicus» [2]. Haec verba certe innuunt gratiam sanctificantem per se ipsam immediate et formaliter producere justificationem, quae complectitur sanctificationem animae et remissionem peccatorum.

b) Deinde prosequitur: «Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus» [3].

2) Juxta Catechismum Romanum *S. Pii V* gratia est «non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit» [4]. En remissio peccatorum et sanctificatio animae facta per gratiam.

[1] *Comm. in ep. ad Galatas*, c. 2; § «Theologia scholastica».
[2] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799.
[3] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799. Nolunt concedere protestantes sanctificationem animae, quam dicunt esse progressum in vita spirituali, fieri in primo instanti conversionis. Cfr. **Banks,** *Manual de Doctrina cristiana*, § 233; sed fides catholica docet sanctificationem substantialiter produci in anima, ubi primo gratia sanctificans infunditur, et deinde progredi in perfectione, ubi gratia augetur.
[4] *Parte* 2, c. 2, n. 50.

3) *Ex ratione.* Sanctificatio animae et remissio peccatorum sunt quidem duo effectus objective diversi, sed ab una causa necessario producti. Cum enim peccatum sit privatio sanctificationis, peccatum et sanctificatio se habent ut positivum et negativum, et posita sanctificatione necessario sequitur remissio peccati, ut adventu lucis necessario expelluntur tenebrae. Unde si gratia causet formaliter sanctificationem, producet pariter remissionem peccatorum. Porro gratia habitualis formaliter sanctificat hominem, quia est participatio divinae naturae, quae regenerat et reddit hominem sanctum. Sicut ergo illuminatio aeris et expulsio tenebrarum sunt effectus formales lucis, ita etiam sanctificatio animae et remissio peccatorum sunt effectus formales gratiae habitualis, sanctificatio quidem effectus primarius et positivus, remissio vero peccatorum effectus secundarius et privativus [1].

§ 3

Utrum sola gratia habitualis independenter ab omni alio elemento sit causa formalis sanctificationis animae et remissionis peccatorum.

263. Status quaestionis. Posset in hac quaestione dubitari: 1) An gratia habitualis ex natura sua, vel e contra ex libera Dei voluntate, producat formaliter hos effectus. 2) An saltem in ratione causae formalis compleatur favore Dei extrinseco; et 3) An actus caritatis et contritionis sint simul cum gratia causae formales justificationis.

264. Error. *Bucerus* docuisse dicitur justificationem causari imperfecte a gratia nobis inhaerente, et perfecte a justitia Christi nobis imputata.

265. Opiniones quorumdam theologorum. 1) Nonnulli catholici, praesertim ante Concilium Tridentinum, censuerunt gratiam habitualem esse quidem causam formalem justificationis, non ex natura sua, sed libera Dei ordinatione seu favore Dei extrinseco. Ita *Scotus, Ockam, Hiquaeus, Suarez* et alii [2].

2) Probabilis sententia visa est *Vazquez* «tam solo actu contritionis et dilectionis Dei super omnia, qui ex auxilio supernaturali procedat, quam habitu sine nova alia gratia et condonatione hominem justificari posse» [3].

266. THESIS I. **Sola gratia habitualis est unica causa formalis tum sanctificationis animae tum remissionis peccatorum, independenter ab alio favore Dei extrinseco.** *(Est communissima.)*

Arg. 1) *Ex Concilio Tridentino.* Patres tridentini declaraverunt: «Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit» [4]. Porro justitia, qua Deus nos justos

[1] Cfr. **Salmanticenses,** *De justificatione impii*, disp. 2, n. 34.
[2] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 16, q. 2, n. 4, § «Respondeo»; **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 3; **Hiquaeus,** *In IV Sent. Scoti*, dist. 16, q. 2; **Suarez,** *In III p.*, disp. 4, sect. 8, n. 40.
[3] *In I-II*, disp. 203, c. 3.
[4] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799.

http://www.obrascatolicas.com

facit, est gratia habitualis, et justificatio complectitur sanctificationem animae et remissionem peccatorum. Ergo sola gratia habitualis est unica causa formalis horum effectuum.

2) *Ex ratione.* a) Sicut natura divina est in se sanctitas per essentiam, ita gratia habitualis, utpote participatio naturae divinae, est ex sua natura sanctitas per participationem. Sed sanctitas ex sua natura renovat hominem et excludit omne peccatum, quin favore Dei extrinseco ad id indigeat. Ergo.

b) Posita sola gratia habituali in homine sine ullo Dei favore extrinseco, fugit peccatum et fit homo sanctus. Ergo sola gratia habitualis est causa formalis sanctificationis animae et remissionis peccatorum.

267. THESIS II. **Amor Dei et actus contritionis non sunt nec possunt esse causae formales justificationis.** *(Est communis.)*

Arg. 1) *Ex Concilio Tridentino.* Sancta synodus decrevit: «Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare et diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, a. s.» [1]. Concilium his verbis probe distinguit actus amoris et doloris a causa formali justificationis, quae est gratia sanctificans.

2) *Ex ratione.* a) Amor Dei et actus contritionis, in diverso ordine considerati, sunt dispositiones ad justificationem, ut infra probabimus, et patet ex Concilio Tridentino. Sed dispositio ad aliquem effectum, licet in genere causae materialis influat in effectum, in genere tamen causae formalis dependet a forma et nullatenus influit in effectum. Ergo.

b) Causa formalis se ipsa sine alio medio necessario et permanenter producit effectum. Sed amor Dei et actus contritionis se ipsis sine gratia Dei non producunt justificationem, nec sunt habitus permanentes.

c) Causa formalis justificationis est eadem in parvulis et adultis, quia omnes, tam parvuli quam adulti, vi justificationis constituuntur divinae consortes naturae. Sed parvuli non justificantur formaliter actibus amoris et contritionis. Ergo.

d) Causa formalis nostrae justificationis debet esse formalis participatio divinae naturae. Sed actus amoris et contritionis, cum sint operationes creatae viatorum et non pertineant ad lineam naturae, non sunt nec possunt esse participatio divinae naturae. Ergo.

Dices. Si peccator extra sacramenta eliciat actum contritionis et amoris, omnino justificatur. Ergo actus contritionis et amoris sunt causa formalis justificationis.

Resp.—Neg. conseq. Si peccator extra receptionem sacramentorum eliciat actum contritionis et amoris, vel intra sacramentum ex attrito fiat contritus, justificatur quidem, quia hujusmodi actus sunt dispositiones, ut Deus gratiam habitualem infundat animae, et homo justificetur. Imo ipsi actus contritionis et amoris procedunt a gratia sanctificante ut a principio effectivo.

---

[1] *Sess.* 6, can. 3; **Denz-Bannw.,** 813.

268. Scholion. His, quae hactenus dicta sunt, bene perpensis, arbitramur nullatenus posse peccata mortalia perfecte remitti per solum favorem Dei extrinsecum vel per solos actus amoris et contritionis sine intrinseca peccatoris mutatione.

Diximus *perfecte*, quia ultro fatemur Deum favore suo extrinseco posse delere aliqua mala, quae comitantur peccatum, condonando reatum poenae, etc.

Hanc doctrinam tenet *S. Thomas*, cui subscribunt *Capreolus, Ferrariensis, Sotus, Medina, S. Bellarminus, Valentia, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses* et alii [1].

Contrariam sententiam defenderunt *Scotus, Ariminensis, Ockam, Biel, Suarez; Lugo, Ripalda* et alii [2].

Ratio fundamentalis nostrae sententiae est, quia homo per peccatum mortale constituitur habitualiter maculatus, aversus a Deo eique abominabilis, atque poena aeterna dignus. Sed impossibile est hujusmodi hominem sine intrinseca mutatione seu generatione et renovatione fieri non maculatum, conversum ad Deum, amore dignum, et a poena aeterna liberum, quia ad hoc requiritur transitus de uno statu ad alium. Ergo peccata mortalia nequeunt perfecte remitti sine intrinseca mutatione peccatoris.

Sicut ergo nihil potest esse album sine albedine, ita nemo potest liberari a peccato sine gratia sanctificante.

Hanc intrinsecam peccatoris mutationem in remissione peccati mortalis necessario fieri debere per gratiae sanctificantis infusionem, probabilius defendunt plerique thomistae contra *Zumel, Joannem a S. Thoma* et alios; quodque *S. Thomas* confirmare videtur his verbis: «Sine gratia remissio peccatorum fieri non potest, scilicet aversio, offensa et reatus... Non ergo potest praedicta aversio removeri, nisi fiat conjunctio ad bonum incommutabile, a quo homo per peccatum discessit. Haec autem conjunctio non est nisi per gratiam, per quam Deus mentes inhabitat, et mens ipsi Deo per amorem caritatis inhaeret. Unde ad sanandam praedictam aversionem requiritur gratiae et caritatis infusio; sicut ad sanationem caecitatis requiritur restitutio potentiae visivae» [3].

Praeterea, Deus dicitur remittere peccatum, quando incipit diligere peccatorem. Prius prioritate naturae quam peccatorem diligat, producit in eo gratiam, eumque facit amore dignum, quia amor Dei est effectivus.

§ 4

Utrum de potentia Dei absoluta peccatum mortale et gratia sanctificans in eodem subjecto simul coexsistere possint.

269. Status quaestionis. 1) Communiter docent theologi catholici, excepto uno *Lorca* [4], peccatum mortale et gratiam sanctificantem nunquam de facto in eodem subjecto coexsistere, et contrariam senten-

---

[1] **S. Thomas,** *I-II*, q. 113, a. 2; **Capreolus,** *In IV Sent.*, q. 2, a. 3, ad argumenta contra 2 concl.; **Ferrariensis,** *Contra Gentiles*, lib. 3, c. 157; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 15, q. 1, a. 2; **Medina,** *In I-II*, q. 113, a. 2; **S. Bellarminus,** *De justificatione*, lib. 2, c. 16; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 5, p. 5; **Joannes a S. Thoma,** disp. 27, a. 2, § «Dico ergo»; **Salmant.,** *De justificatione impii*, disp. 2, n. 141 sqq.

[2] **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 1, q. 6, n. 4, § «Contra istam conclusionem»; **Ariminensis,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 2; **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 9, ad 4 dubium; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 2, concl. 5; **Suarez,** *De gratia*, lib. 7, c. 23; **Lugo,** *De poenitentia*, disp. 7, sect. 8 sqq.; **Ripalda,** *De ente supernaturali*, t. 2, lib. 6, disp. ult., sect. 22 sqq.

[3] *De veritate*, q. 28, a. 2.

[4] *De gratia*, p. 2, disp. 40.

http://www.obrascatolicas.com

tiam vocant absurdam atque temerariam. Huc veniunt illa Apostoli verba: *Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras?* [1]. Unde *S. Pius V* damnavit doctrinam *Baji* dicentis posse hominem, qui est in peccato mortali, simul habere caritatem perfectam [2].

Effata Patrum, quae innuunt prius ab homine Deum deseri, quam homo a Deo deseratur, intelligenda sunt de prioritate naturae et causalitatis non temporis.

2) Disputatur, an de potentia Dei absoluta peccatum mortale et gratia simul coexsistere possint in eodem subjecto.

270. Placita theologorum. 1) Aliqui putantes gratiam sanctificantem moraliter tantum expellere peccatum mortale et moralem dicere oppositionem ad illud, dixerunt de potentia Dei absoluta fieri posse, ut peccatum mortale simul coexsistat cum gratia in eodem subjecto. Ita *Ariminensis, Scotus, Ockam, Biel,* et omnes generatim scotistae [3].

2) Alii volunt peccatum mortale et gratiam sanctificantem sese opponere physice, et non posse in eodem subjecto coexsistere secundum leges physicas, bene tamen de potentia Dei absoluta, quae leges physicas solvere potest. Ita *Suarez, Casajoana, Mendive, Villada, Beraza, Sola* et alii [4].

3) Plures denique contendunt gratiam sanctificantem et peccatum mortale metaphysice sese opponere, et de potentia Dei absoluta non posse simul coexsistere in eodem subjecto. Sic *S. Thomas, Argentina, Cajetanus, Sotus, Philippus a SS. Trinitate, Gabriel a S. Vincentio, Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Billuart, Mazzella, Pesch,* et alii [5].

271. THESIS. **Peccatum mortale et gratia sanctificans nequeunt de potentia Dei absoluta esse in eodem subjecto.**

Arg. 1) Peccatum ex sua natura facit hominem peccatorem et aversum a Deo, dum gratia sanctificans reddit hominem sanctum et conversum ad Deum. Sed de potentia Dei absoluta non potest fieri, ut homo sit simul peccator et sanctus, aversus a Deo et conversus ad Deum. Ergo.

2) Gratia sanctificans formaliter facit hominem consortem divinae naturae ac filium Dei adoptivum, peccatum vero formaliter spoliat eum a participatione divinae naturae et a filiatione Dei adoptiva. Sed de

[1] *II Cor.*, 6, 14.

[2] Bulla *Ex omnibus afflictionibus*, 1 Oct. 1567, prop. 31, et 70; **Denz-Bannw.**, 1031, et 1070.

[3] **Ariminensis,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 2; **Scotus,** *In II Sent.*, dist. 37, q. 1, n. 10, «Ad secundum dico»; et *In IV Sent.*, dist. 16, q. 2, n. 4 sq.; **Ockam,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1; **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1. Ex scotistis cfr. **Frassen,** disp. 3, a. 2, q. 3; **Poncius,** *Theologiae cursus int.*, disp. 34, q. 3, concl. 3.

[4] **Suarez,** *De gratia*, lib. 7, c. 20, n. 7; **Casajoana,** *Theol. Schol.*, t. 4, disp. 4, c. 3, a. 2, n. 143 sqq.; **Mendive,** *De gratia*, t. 4, nn. 307-313 sqq.; **Villada,** *De effectibus formalibus gratiae habitualis*, n. 29 sqq.; **Beraza,** *De gratia*, n. 862 sqq.; **Sola,** *De gratia Christi*, n. 415 sqq.

[5] **S. Thomas,** *De veritate*, q. 28, a. 2; **Argentina,** *In III Sent.*, dist. 19, q. 1, a. 1, concl. 1; **Cajetanus,** *In I-II*, q. 113, a. 2; **Sotus,** *De natura et gratia*, lib. 2, c. 18; **Philippus a SS. Trinit.,** *De gratia*, disp. 6, dub. 5; **Gabriel a S. Vincentio,** *De justificat.*, disp. 14, q. 4; **Salmant.,** *De justif.*, disp. 2, n. 97 sq.; **Joannes a S. Thoma,** *In II-II*, disp. 16, a. 1; **Billuart,** *De gratia*, diss. 7, a. 3; **Mazzella,** *De gratia*, n. 991; **Pesch,** *De gratia*, n. 335.

potentia Dei absoluta haec contradictoria simul stare nequeunt. Ergo.

3) Etiamsi admitteretur peccatum mortale et gratiam sanctificantem sese opponere secundum leges physicas, dicendum foret ea de potentia Dei absoluta coexsistere non posse in eodem subjecto, quia leges physicas solvere esset miraculum; impossibile autem est, etiam de potentia Dei absoluta, Deum operari miraculum ad conservationem peccati mortalis in anima [1].

4) Impossibile est hominem se convertere simul ad duos ultimos fines. Per gratiam autem convertitur ad Deum, et per peccatum ad creaturas ut ad ultimum finem. Ergo. Ad rem *Angelicus:* «converti enim ad bonum creatum sicut ad finem, facit aversionem ab incommutabili bono, quod debet esse ultimus finis, eo quod non possunt esse plures ultimi fines» [2].

ARTICULUS IV

DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM

272. Hactenus explicata sunt duo elementa justificationis impii, infusio scilicet gratiae sanctificantis et remissio peccatorum, quas essentialiter importat justificatio. Nunc restant exponenda duo alia elementa, motus scilicet liberi arbitrii ad Deum per accessum et ad peccatum per detestationem, qui per modum dispositionis requiruntur ad justificationem.

§ 1

Utrum ad justificationem impii necessario requiratur aliqua dispositio ex parte peccatoris per proprios actus.

273. Status quaestionis. 1) Certum est parvulos, qui aqua baptismatis regenerantur, non se disponere per proprios actus ad justificationem, quia non sunt sui juris sed alieni, et sufficit, ut a ministro baptizentur. «Pueri, ait *S. Thomas*, non sunt capaces motus liberi arbitrii; et ideo moventur a Deo ad justitiam per solam informationem animae ipsorum» [3].

2) Supponimus contra paucos posse Deum de potentia sua absoluta justificare impium adultum sine ulla dispositione praevia, quia non repugnat Deum infundere gratiam sanctificantem, qua deleatur peccatum et sanctificetur anima peccatoris, antequam hic se moveat ad Deum vel ad peccatum.

3) Loquimur ergo de dispositione praevia requisita ad justificationem impii in praesenti providentia, et quaerimus, num ad justificationem requiratur ex parte hominis aliqua dispositio, quae non tantum sit conditio, sed quodammodo moveat Deum ad gratiam elargiendam.

[1] **Salmanticenses,** *De justificatione impii*, disp. 2, n. 107 hanc rationem egregie expendunt.

[2] *De malo*, q. 13, a. 2.

[3] *I-II*, q. 113, a. 3 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

274. Error. *Lutherus*, putans per peccatum originale exstinctum fuisse liberum arbitrium, nullum admittebat in justificatione peccatoris motum liberi arbitrii in Deum vel in peccatum, sed, voluntate passive se habente, ad summum ponebat actus pedum et aurium, quibus liceret homini «ad coetus publicos ecclesiasticos accedere, verbum Dei audire» [1].

275. THESIS. **In praesenti Dei providentia justificatio impii non fit, nisi praevia peccatoris dispositione per aliquos actus.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Isaias: *Convertimini ad me et salvi eritis* [2]. Zacharias: *Convertimini ad me..., et convertar ad vos* [3]. In his et aliis testimoniis, in quibus Deus offert homini gratias sufficientes, exigit ab eo ad salutem, ut obtemperet divinae vocationi.

2) *Ex Concilio Tridentino.* Hanc doctrinam diserte declaravit Concilium Tridentinum dicens: «Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari adsentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, a. s.» [4].

3) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* «Justificatio impii fit, Deo movente hominem ad justitiam. Ipse enim est, qui justificat impium, ut dicitur (*Rom.*, 4, 5). Deus autem movet omnia secundum modum uniuscujusque, sicut in naturalibus videmus, quod aliter moventur ab ipso gravia, et aliter levia, propter diversam naturam utriusque. Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturae humanae. Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo, qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiae sanctificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiae acceptandum in his, qui sunt hujus motionis capaces» [5].

§ 2

An et qualis fides requiratur ad justificationem.

276. Status quaestionis. 1) Tum catholici tum protestantes defendunt aliquam fidem esse necessariam in peccatore adulto ad justificationem, sed maxime differunt in explicandis natura et influxu fidei in justificationem.

2) Protestantes distinguunt tres species fidei: Unam *historicam*, qua dicunt nos credere quae continentur in S. Scriptura; alteram *miraculorum*, qua patrantur miracula; et tertiam fidem *promissionum*, qua ipsi credunt divinas promissiones circa remissionem peccatorum et justificationem propter Christum.

1 *Sol. Decl. II de libero arb.*, § 19.
2 *Is.*, 45, 22.
3 *Zach.*, 1, 3.
4 *Sess.* 6, can. 4; **Denz-Bannw.**, 814.
5 *I-II*, q. 113, a. 3.

Fides promissionum, quae *fiducia* dicitur, juxta novatores una est *generalis*, qua creditur oppressis peccato promissam esse reconciliationem propter Christum; alia *specialis*, «qua credit unusquisque sibi remitti peccata propter Christum» [1].

Novatores acerrime defendunt hanc fidem specialem promissionis esse, non praeparationem aut dispositionem, sed causam formalem justificationis, ut vult *Lutherus* [2], vel, ut ipsemet ait, «fides apprehendit Christum, et habet eum praesentem inclusumque tenet ut annulus gemmam, et qui fuerit inventus hac fiducia, illum reputat Deus justum» [3].

3) Catholici jure defendunt fidem esse virtutem supernaturalem, «qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus... propter auctoritatem ipsius Dei revelantis» [4]. Actum quoque hujus habitus, qui est adsensus intellectus veritati revelatae, saepe vocamus fidem.

Haec vera fides, quam Ecclesia catholica profitetur, potest esse *explicita*, qua veritates revelatas nobis notas in se ipsis credimus, vel *implicita*, qua in assensu expresso alicujus veritatis revelatae implicite credimus alias veritates.

Quaedam credenda sunt explicite *necessitate medii* ad salutem, quaedam vero necessitate praecepti [5].

277. THESIS I. **Fides specialis promissionum seu fiducia misericordiae de remittendis peccatis et de acquirenda justificatione propter Christum, quam ponunt protestantes, non est vera fides, neque justificat impium in sensu novatorum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Sacrae litterae, cum exigunt fidem ad justificationem, loquuntur de fide theologica seu dogmatica, qua credimus veritates revelatas. Unde Apostolus post illa verba: *Justus autem meus ex fide vivit* [6], statim subjungit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* [7]. Verba graeca ελπιζομενων υποστασις sive active sumantur pro substantia rerum sperantium, sive passive vertantur pro substantia rerum sperandarum seu speratarum, semper significant fidem esse fundamentum eorum, quae revera speramus in altera vita, quaeque, licet realiter non appareant, Deo attestante, recipiuntur in mente.

b) Dominus noster Jesus Christus ait apostolis: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* [8]. Fides

1 **Melanchthon,** *Apolog. confess.*, c. 4, § «De justificatione». Cfr. *Loci theologici*, «De vocabulo fidei».
2 *Comment. in c. 2 ad Galatas*, § «Justificat ergo».
3 *Comment. in c. 2 ad Galatas*, § «Hic observandum est».
4 *Concil. Vat.*, sess. 3, c. 3; **Denz-Bannw.**, 1789.
5 Illa dicuntur esse necessaria necessitate *medii* ad salutem, sine quibus, licet involuntarie relinquantur, non potest obtineri salus; necessitate *praecepti*, quae ita sunt praecepta, ut eorum omissio involuntaria non obstet ad salutem.
6 *Hebr.*, 10, 38.
7 *Hebr.*, 11, 1.
8 *Marc.*, 16, 15 sq.

http://www.obrascatolicas.com

necessaria ad salutem non versatur hic circa promissiones divinas, sed circa totum Evangelium.

c) Apostolus diserte negat solam fidem justificare, cum ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum* [1].

d) Quoties S. Scriptura adscribit fidei justificationem, loquitur de fide dogmatica perfecta per caritatem, non de fiducia in divinas promissiones. Unde S. Petrus ajebat: *Verba vitae aeternae habes... et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* [2]. Et S. Joannes: *Haec autem* (signa) *scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus* [3]. En fides dogmatica ad salutem necessaria.

e) Apostolus probe distinguit fidem a fiducia dicens: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus* [4]. Si habemus fiduciam per fidem Christi, fides distinguitur a fiducia.

2) *Ex Concilio Tridentino.* Sacra tridentina synodus expresse declaravit hanc veritatem dicens: «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt» [5]. «Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, a. s.» [6]. «Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum nisi qui credit se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici, a. s.» [7].

3) *Ex SS. Patribus. S. Basilius* expresse docet fidem justificantem esse, qua credimus revelata [8]. Et *S. Leo* addit: «Hoc est, quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit sanctos, si in uno eodemque Domino nostro Jesu Christo et vera deitas et vera credatur humanitas» [9].

4) *Ex traditione.* Ex remotissimo jam tempore exigit Ecclesia a catechumenis, ut professionem fidei, prout in symbolo continetur, ante baptismum emittant [10].

1 *I Cor.*, 13,2.
2 *Joan.*, 6, 69-70.
3 *Joan.*, 20, 31.
4 *Ephes.*, 3, 12.
5 *Sess.* 6, c. 6; **Denz-Bannw.**, 798.
6 *Sess.* 6, can. 12; **Denz-Bannw.**, 822.
7 *Sess.* 6, can. 14; **Denz-Bannw.**, 824.
8 *Homil. de fide*, n. 1 sqq.; MG **31**, 464 sqq.
9 *Serm. 4 de Epiphania*, c. 1; ML **54**, 245.
10 Respondet **Lutherus** in professione fidei, prout continetur in symbolo, enuntiari fiduciam divinae misericordiae per illa verba: *Credo... sanctam Ecclesiam*, «quod non est aliud quam credo nullum amplius esse peccatum». *Comment. in ep. ad Galatas*, c. 3. **Melanchthon** vero contendit probare in symbolo contineri articulum de remissione peccatorum. *Apologia Confessionis aug.*, art. «De fide». Sed uterque fallitur. Nam 1) Ecclesia non dicitur sancta ex eo quod nullum amplius in ea sit peccatum, sed ex eo quod habeat caput sanctum, leges sanctas, media sancta, et quamplurima membra sancta. 2) Cum dicimus: *Credo... remissionem peccatorum*, non credimus nobis remissa esse peccata, sed in Ecclesia esse remissionem peccatorum.

5) *Ex ratione.* a) Si nobis certo credendum est remissa esse peccata, remissio peccatorum praecedit fidem, et sic fiducia non est causa justificationis.

b) Christus nos docuit orare Deum, ut dimittat nobis peccata: *Dimitte nobis debita nostra* [1]. Si fides remittit nobis peccata, ad quid haec oratio?

278. THESIS II. **Fides theologica, quae est vera fides, est necessaria ad justificationem.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae crebro nos docent fidem esse necessariam ad salutem. Nam apud S. Marcum dicitur: *Qui vero non crediderit, condemnabitur* [2]. Apostolus: *Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [3].

2) In symbolo S. Athanasii post expositionem dogmatum ac mysteriorum fidei dicitur: *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit* [4].

3) *Ex ratione.* Rationem fundamentalem hujus doctrinae paucis exponit *Angelicus* dicens: «Deus autem movet animam hominis, convertendo eam ad se ipsum, ut dicitur in psalmo 84, 7, «secundum aliam litteram» (70 interp.): *Deus tu convertens vivificabis nos.* Et ideo ad justificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur ad Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud ad *Hebr.*, 11, 6: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii» [5].

Nec valet dicere cognitionem naturalem aliquando praecedere fidem, quia, ut *Angelicus* animadvertit, «per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum est objectum beatitudinis et justificationis causa. Unde talis cognitio non sufficit ad justificationem» [6].

279. Scholion I. Non requiritur ad justificationem, ut quis uno et eodem momento actu cogitet et formaliter credat omnes et singulos articulos fidei, hoc enim est impossibile, nec est necessarium, ut omnes veritates revelatas explicite crediderit, sed sufficit, ut explicite, ob auctoritatem Dei revelantis, crediderit et virtualiter credere pergat praecipua mysteria, quae magis influunt in justificationem, et caetera revelationis dogmata implicite et in praeparatione animi credat.

Scholion II. Ad justificationem explicite credendum est Deum exsistere et bonorum operum remuneratorem esse [7]. An in aliquo casu extraordinario justificatio fieri possit sine fide explicita in SS. Trinitatem et Incarnationem Christi, disputatur a theologis. Vide in tractatu *De Fide*, q. 25, a. 2, th. 3.

1 *Matth.*, 6, 12.
2 *Marc.*, 16, 16.
3 *Hebr.*, 11, 6.
4 **Denz-Bannw.**, 40.
5 *I-II*, q. 113, a. 4.
6 *I-II*, q. 113, a. 4 ad 2
7 *Hebr.*, 11, 6.

http://www.obrascatolicas.com

280. THESIS III. **Sola fides, quantumvis vera, non justificat impium, sed necessario requiruntur aliae dispositiones.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Haec doctrina in sacris litteris certe continetur, quidquid in contrarium dicant lutherani et calvinistae. Unde Apostolus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum* [1]. Et S. Jacobus ita diserte de hoc loquitur, ut non videatur nisi rem ex professo tractare. *Quid prodest,* ait, *fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?... Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa... Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* [2].

Lutherus facile se expedit ab hac difficultate dicens epistolam hanc tumidam, aridam ac stramineam esse, non a S. Jacobo apostolo sed ab alio simplici viro conscriptam et nunquam inter sacros libros referendam. Sed omnes catholici et plerique protestantes merito retundunt Lutheri impudentiam, cum authenticis documentis ostendunt epistolam S. Jacobi esse authenticam et divinam praeseferre auctoritatem.

Lutherus audacter adserit: «Sola fides ante et sine caritate justificat», quia «sola fides apprehendit (Christum) non caritas, quae quidem fidem sequi debet, sed ut gratitudo quaedam» [3].

Melanchthon, Calvinus et novatores nimis duram invenerunt Lutheri sententiam, eamque mitigare conati sunt dicentes solam fidem efficaciter justificare, sed alios actus voluntatis illam comitari, adeo ut Scripturae loca conciliari possint hac formula: «Fides sola est, quae justificat, fides autem, quae justificat, non est sola» [4]. Sed falluntur: actus enim voluntatis positive conferre ad justificationem diserte affirmat Scriptura dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* [5].

2) *Ex conciliis.* Concilium Moguntinum a. 813, can. 1 ait: «Initium enim actionis nostrae de fide esse decrevimus, quae bonorum omnium est fundamentum, quia *sine fide*, ut dicit Apostolus, *impossibile est placere Deo.* Fides tamen indiget opere, quia fides sine operibus mortua est» [6].

Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quo ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi, a. s.» [7].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Excutiendum est a cordibus religiosis (motum fidei ad salutem sufficere), ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere fidem putaverint; bene autem vivere et bonis operibus viam Dei tenere neglexerint» [1].

4) *Ex ratione.* Sicut in peccato mortali datur recessus a Deo et conversio ad creaturas per voluntatem, ita in justificatione requiritur recessus a creaturis et accessus ad Deum per actus voluntatis. Ergo sola fides, quae perficit intellectum, non sufficit ad justificationem.

281. Scholion. Dominus Jesus ait in Evangelio: *Fides tua te salvam fecit* [2]; et SS. Patres crebro docuerunt sola fide justificari hominem [3].

Haec et alia effata, de quibus non parum abutuntur novatores, vera sunt, si recte intelligantur.

1) Fides *objective* aliquando significat Novum Testamentum seu *legem fidei*, in oppositione ad legem mosaicam. Unde effatum *fides sanctificat*, idem est ac nova oeconomia, quae complectitur media sanctificationis, sanctificat.

2) Fides *subjectiva* justificat dispositive, quia cum aliis dispositionibus, quas diximus requiri, aufert impedimenta et influit positive in justificationem, quasi principalis dispositio ad gratiam. Unde Concilium Tridentinum recte ait: «Fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis» [4]. Quodsi fides consideretur viva per caritatem, intimius adhuc conjungitur cum gratia. Hinc Apostolus justificationem tribuit fidei, *quae per caritatem operatur* [5].

§ 3

Quibus actibus disponatur impius ad justificationem.

282. Status quaestionis. 1) Veteres theologi cum *S. Thoma* dicebant ad justificationem impii requiri geminum motum liberi arbitrii, unum in Deum, alterum in peccatum. *Motus in Deum*, teste *Angelico*, praecipue fit per fidem, sed, quia «motus fidei non est perfectus, nisi sit caritate informatus», requiritur etiam caritas. Cum autem per hunc motum homo subjicitur ad Deum «etiam concurrit actus timoris filialis et actus humilitatis» [6]; ac inde actus misericordiae, qui spem infundit ac movet. *Motus in peccatum* perficitur per detestationem peccati.

2) Haec quasi ad litteram transcripsit Concilium Tridentinum dicens: «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu *(Rom.*, 10, 17) concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, *per redemptionem, quae est in Christo Jesu (Rom.*, 3, 24); et, dum peccatores

---

1 *I Cor.*, 13, 2.
2 *Jac.*, 2, 14 sqq.
3 *Comment. in c. 2 ep. ad Galatas*, § «Et pro hac»; et «Ut igitur».
4 **Melanchthon** ajebat: «Fides specialis... consequitur remissionem peccatorum, et justificat nos... et quia in poenitentia, hoc est, in terroribus consolatur et erigit corda, et regenerat nos, et affert Spiritum Sanctum, ut deinde legem Dei facere possimus». *Apol. Confess. Aug.* § «De justificatione» in fine.
5 *Luc.*, 7, 47.
6 *Can.* 1; **Mansi,** vol. 14, col. 65.
7 *Sess.* 6, can. 9; **Denz-Bannw.,** 819. Schismatici conveniunt in hac parte cum catholicis.

1 *De fide et operibus*, c. 14, n. 21; ML **40,** 211.
2 *Luc.*, 7, 50.
3 **Origenes,** *Ep. ad Romanos*, c. 3, n. 9; MG **14,** 952; **S. Basilius,** *Hom. de humilitate*, n. 3; MG **31,** 529; **S. Ambrosius,** *In ep. ad Rom.*, 9, 28; ML **17,** 146.
4 *Sess.* 6, c. 8; **Denz-Bannw.,** 801.
5 *Gal.*, 5, 6.
6 **S. Thomas,** *I-II*, q. 113, a. 4 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet (*Act.*, 2, 38); denique, dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata»[1].

3) Perfecta igitur dispositio ad justificationem fit uno actu intellectus, scilicet fide, et quinque actibus voluntatis, nempe timore divinae justitiae, spe de divina misericordia, dilectione Dei, detestatione peccati et proposito inchoandi novam vitam.

4) Haec omnia maxime utilia esse peccatori, ut justificetur, nemo negaverit, si attente perpendat verba *Angelici Doctoris* et Concilii Tridentini. Disputatur tamen a theologis, et hic oportet discutere, an hi omnes actus ita necessario concurrant ad justificationem, ut in praesenti providentia nunquam sine ipsis fiat impii justificatio.

Doctrinam communem paucis absolvemus.

283. THESIS. **Quamvis ordinarie in justificatione omnes praedicti actus formaliter adesse soleant, non est tamen omnino necessarium, ut omnes semper concurrant, sed potest peccator etiam in praesenti providentia a Deo justificari cum sola praeparatione actuum fidei et dilectionis, in quibus caeteri virtualiter continentur.**

1) Absolute non requiritur timor formalis poenarum, quia per fidem potest homo Deum cognoscere seque ei subjicere, antequam recordetur poenarum.

2) *Nec spes formalis est necessaria*, quia potest aliquando peccator subito moveri a Deo ad justitiam ex sola consideratione Dei et peccati, quin attendat ad objectum spei, et sic justificari.

3) *Nec poenitentia formalis* est absolute indispensabilis ad salutem, quia aliquando contingere potest, ut homo invincibiliter ignoret se esse in peccato mortali. Quo in casu, si eliciat actum perfectae caritatis, in quo includitur virtualis poenitentia, certe justificabitur[2].

4) *Nec denique propositum formale inchoandi novam vitam* absolute requiritur, quia hoc propositum satis includitur in dilectione Dei.

§ 4

An contritio et actus caritatis, quibus peccator disponitur proxime ad justificationem, procedant effective a gratia sanctificante.

284. Status quaestionis. 1) Contritio et actus caritatis, sicut etiam omnes dispositiones, quae justificationem praecedunt, sunt proculdubio supernaturales, et procedunt a principio supernaturali.

[1] *Sess.* 6, c. 6; **Denz-Bannw.**, 798.
[2] Cfr. **Billuart**, *De gratia*, diss. 7, a. 4, § 3.

2) Porro principium effectivum oportet praecedere, si non tempore saltem natura, suum effectum. Elementa autem justificationis *S. Thomas* enumerat hoc ordine: «Quatuor enumerantur, quae requiruntur ad justificationem impii, scilicet gratiae infusio, motus liberi arbitrii in Deum per fidem, et motus liberi arbitrii in peccatum, et remissio culpae»[1]. Similiter *S. Bonaventura* ait: «Necesse est in ipsa gratiae infusione ista quatuor esse, scilicet gratiae infusionem, et liberi arbitrii motum, et contritionem et peccati expulsionem»[2]. Ordo inter secundum, tertium et quartum elementum facile admittitur, quia cum peccatum destruatur per retractationem hominis, et homo se retractet per motum liberi arbitrii in Deum, remissionem culpae convenienter praecedit motus voluntatis in peccatum, qui est contritio, et utrumque motus voluntatis in Deum, qui est actus caritatis. Sed quaestio est, quomodo gratia sanctificans praecedat contritionem et actum caritatis atque influat in eos effective in negotio justificationis.

3) Cum hic agatur de influxu gratiae sanctificantis in actus praeparatorios ad justificationem, pronum est sermonem hic esse de justificatione ex parte agentis, non ex parte passi, in quo diversimode elementa recipiuntur.

4) Justificatio, ut dicemus inferius, operatur in instanti, et consequenter inter elementa, quae eam constituunt, non datur prioritas temporis, sed ordo naturae.

5) Gratia sanctificans non est immediate operativa, ac proinde non est principium immediatum effectivum dilectionis et contritionis, sed quaeritur, an ipsa mediantibus caritate et poenitentia sit principium remotum horum actuum.

6) Unde punctum difficultatis est, an gratia sanctificans ordine praecedat alia elementa justificationis, et efficienter influat in actum contritionis et dilectionis.

285. Placita theologorum. 1) Plures theologi docent actus contritionis et caritatis praecedere gratiam sanctificantem; atque ideo hos actus non procedere effective a gratia sanctificante, sed a gratia actuali transeunter homini communicata. Ita *Scotus, Richardus, Gandavensis, Molina, Suarez, Lugo, Joannes a S. Thoma, Pesch, Beraza* et alii[3].

2) Alii bene multi defendunt actus caritatis et contritionis procedere efficienter a gratia sanctificante. Ita *S. Thomas, S. Albertus Magnus, Cajetanus, Banez, Medina, Alvarez, Valentia, Vazquez, Salmanticenses, Gabriel a S. Vincentio, Prado* et alii[4].

[1] *I-II*, q. 113, a. 6.
[2] *In IV Sent.*, dist. 17, part. 1, a. 1, q. 3.
[3] **Scotus**, *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2; **Richardus**, *In IV Sent.*, dist. 17, a. 4, q. 4; **Gandavensis**, *Quodlib.* 5, q. 23; **Molina**, *Concordia*, a. 13, disp. 46, § «Haec eadem»; **Suarez**, *De gratia*, lib. 8, c. 12; **Lugo**, *De poenitentia*, disp. 8, sect. 7; **Joannes a S. Thoma**, *De gratia*, disp. 28, a. 2; **Pesch**, *De gratia*, n. 360; **Beraza**, *De gratia*, n. 673.
[4] **S. Thomas**, *I-II*, q. 113, aa. 6 et 8; **S. Albertus Magnus**, *In IV Sent.*, dist. 17, a. 11; **Cajetanus**, *In I-II*, q. 113, a. 8; **Banez**, *In II-II*, q. 23, a. 2, dub. 2; **Medina**, *In I-II*, q. 113, a. 8; **Alvarez**, *De auxiliis div. grat.*, lib. 7, disp. 66; **Valentia**, *In I-II*, disp. 8, q. 5, p. 6; **Vazquez**, *In I-II*, disp. 211; **Salmanticenses**, *De justificatione*, disp. 3, n. 69 sqq.; **Gabriel a S. Vincentio**, *De justificatione*, disp. 16, q. 2, n. 12 sqq.; **Prado**, *De gratia et lib. arb.*, part. 1, q. 5, a. 8.

http://www.obrascatolicas.com

286. THESIS I. **Actus supernaturales, quibus imperfecte et remote disponitur peccator ad justificationem, possunt praecedere tempore justificationem, et procedunt effective a gratia actuali praeveniente et excitante.**

Arg. 1) *Ex Concilio Tridentino:* «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt» [1].

«Declarat praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum *praeveniente gratia* sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur...» [2].

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Praeparatio hominis ad gratiam habendam, quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae, et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiae, *quae jam habetur*, sed gloriae, quae nondum habetur. Est autem alia praeparatio gratiae imperfecta, quae aliquando praecedit donum gratiae gratum facientis, quae tamen est a Deo movente» [3].

3) *Ex ratione.* Omnis dispositio ac praeparatio ad justificationem est ordinis supernaturalis. Actus autem supernaturales, sicut alibi dictum est, nequeunt ab homine exerceri nisi virtute et auxilio gratiae excitantis ac praevenientis.

287. Corollarium. Imo vero certum esse existimo gratiam excitantem, praevenientem atque applicantem semper concurrere in omni dispositione tam remota quam proxima ad justificationem.

An autem praeter auxilia gratiae actualis, quae intervenit in omni dispositione supernaturali, requiratur influxus gratiae sanctificantis in ultima et immediata dispositione ad justificationem impii, quaestio est dilucidanda in thesi tertia.

288. THESIS II. **Elementa, quae pertinent ad substantiam justificationis, absolute loquendo, hoc ordine recte numerantur: «Infusio gratiae sanctificantis, motus liberi arbitrii in Deum per fidem formatam, motus liberi arbitrii in peccatum per contritionem, et remissio culpae».**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Inter ea (quae requiruntur ad justificationem impii) naturali ordine *primum* est gratiae infusio; *secundum* motus liberi arbitrii in Deum; *tertium* est motus liberi arbitrii in peccatum; *quartum* vero est remissio culpae».

«Cujus ratio est, quia in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis; secundum autem est dispositio materiae, sive motus ipsius mobilis; ultimum vero est finis vel terminus motus, ad quem terminatur motio moventis. Ipsa igitur Dei moventis motio est gratiae infusio, ut dictum est supra..., motus autem vel dispositio mobilis est duplex motus liberi arbitrii; terminus autem vel finis motus est remissio

[1] *Sess.* 6, c. 6; **Denz-Bannw.**, 798.
[2] *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.**, 797.
[3] *I-II*, q. 112, a. 2 ad 1.

culpae... Et ideo naturali ordine primum in justificatione impii est gratiae infusio, secundum est motus liberi arbitrii in Deum, tertium vero est motus liberi arbitrii in peccatum, propter hoc enim ille, qui justificatur, detestatur peccatum, quia est contra Deum; unde motus liberi arbitrii in Deum praecedit naturaliter motum liberi arbitrii in peccatum, cum sit causa et ratio ejus; quartum vero et ultimum est remissio culpae, ad quam ista transmutatio ordinatur sicut ad finem» [1].

2) *Ex ratione.* Elementa, quae concurrunt ad justificationem, sunt simul tempore, et sibi invicem quodammodo influunt. Porro causae simul concurrentes et sibi invicem dependentes possunt diversimode praecedere vel sequi ordine naturae in diverso genere causarum. Unde docent philosophi causas in diverso ordine esse sibi invicem causas. In genere causae materialis, materia importata in recto praecedit formam importatam in obliquo, et viceversa in genere causae formalis. In genere causae finalis, finis influit in causam efficientem, ut sanitas intenta influit in deambulationem, dum e contra in genere causae efficientis causa efficiens influit in finem, ut deambulatio praecedit atque producit sanitatem.

Id ipsum occurrit inter elementa justificationis. In genere causae efficientis, de quo est sermo in praesenti, infusio gratiae sanctificantis est primum elementum; deinde venit motus liberi arbitrii in Deum; tertio motus in peccatum per aversionem; et ultimo sequitur remissio peccati [2].

289. Scholion. Haec dicta sunt, attento elementorum ordine ex parte agentis, ut consulto animadvertimus in praeliminaribus. Si autem consideretur ordo naturae ex parte subjecti, receptio gratiae sanctificantis reponenda est ultimo loco in justificatione, ut diserte docet *S. Thomas* [3].

290. THESIS III. **Actus caritatis et contritionis, qui concurrunt in justificatione impii, procedunt effective a gratia sanctificante.**

Arg. 1) *Ex auctoritate operis ad Annibaldum:* «Prioritas et posterioritas, ait auctor, secundum ordinem naturae ad ordinem causae et causati aliquo modo reducuntur» [4]. «Ideo, addit *S. Thomas*, motus liberi arbitrii, naturae ordine, praecedit consecutionem gratiae, sequitur autem gratiae infusionem» [5]. Cum autem gratiae sanctificantis infusio ordine naturae praecedat actus caritatis et contritionis, necesse est, ut in eos effective influat.

2) *Ex ratione.* a) Principium radicale vitae influit semper effective mediante principio proximo in omnes actiones vitales agentis, eisque confert rationem specialem vitae, sicut anima influit mediantibus

[1] *I-II*, q. 113, a. 8. Id ipsum expresse docet ac probat **S. Albertus Magnus**, *In IV Sent.*, dist. 17, a. 11.
[2] Cfr. Opus *Ad Annibaldum*, lib. 4, dist. 17, q. 1, a. 2.
[3] *I-II*, q. 113, a. 8 ad 2.
[4] *Ad Annibaldum*, lib. 4, dist. 17, q. 1, a. 2.
[5] *I-II*, q. 113, a. 8 ad 2.

http://www.obrascatolicas.com

potentiis in actus naturales hominis. Sed gratia sanctificans est principium radicale actuum vitalium caritatis et contritionis, mediantibus eorum habitibus. Ergo gratia sanctificans influit effective in actus caritatis et contritionis.

b) Actus caritatis et contritionis, quibus peccator immediate disponitur ad justificationem, sunt meritorii gloriae de condigno, ut expresse docet *S. Thomas* [1]. Sed actus meritorii gloriae de condigno procedunt necessario a gratia sanctificante. Ergo. «Licet gratia, ajunt *Salmanticenses*, in illo priori seu genere, in quo dependet a contritione tanquam a dispositione, non influat effective (quippe cum illud prius non pertineat ad genus causae efficientis, sed causae materialis dispositivae), nihilominus in alio genere, nempe causae efficientis, quod est simpliciter prius, praesupponitur exsistens, et active influens in contritionem» [2].

Itaque in hoc negotio, praemissa dispositione remota per actus liberi arbitrii auxilio gratiae actualis elicitos, justificatio impii fit in instanti, ita tamen ut ordine naturae et ex parte agentis prior sit gratiae sanctificantis infusio, et deinde ab ea tanquam a principio effectivo radicali procedant actus caritatis et contritionis, ac tandem sequatur remissio culpae.

Caeterum animadverte cum cl. *Dominico Soto*, «quod actus eliciatur ab habitu et disponat ad eumdem habitum suscipiendum» [3], intelligendum esse in diverso genere causarum; et, si haec obscura tibi videantur, memento, ut insinuat *Billuart* [4], rem esse magis subtilem quam utilem.

§ 5

Utrum actus praeparantes impium ad justificationem sint dispositiones morales vel physicae.

291. Status quaestionis. 1) Actus, qui praecedunt justificationem impii, a Concilio Tridentino vocantur dispositiones ad gratiam. Dispositiones autem ad gratiam non sunt merae conditiones neque causae principales nec meritoriae de condigno gratiae sanctificantis, sed sunt quaedam praeparatio subjecti ad justificationem.

2) Dispositio una est *moralis*, quae plerumque non immediate, sed mediante aliqua causa, quam suadendo et alliciendo movet, producit effectum, ut consilium movet Petrum, ut opus salutare efficiat; alia est *physica*, quae immediate, suppositis supponendis acceptoque concursu necessario, ubi opus fuerit, causat effectum, ut ignis producit physice calorem.

3) Disputatur inter theologos, quomodo actus hominis justificandi disponant ipsum hominem ad gratiam sanctificantem, an scilicet moraliter et mediate, vel physice et immediate.

---

[1] *I-II*, q. 112, a. 2 ad 1.
[2] *De justificatione*, disp. 3, n. 97.
[3] **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 6.
[4] *De gratia*, diss. 7, a. 4, § 4.

292. Placita theologorum. 1) Plures eximii theologi voluerunt et docuerunt impium per propios actus moraliter tantum, non physice, ad gratiam sanctificantem se praeparare. Ita *Suarez, Pesch, Beraza*, et novissime ex thomistis *Van Noort* [1].

2) Alii e contra tenent actus, quibus peccator movetur ad justificationem, esse dispositionem physicam ad gratiam sanctificantem. Sic *S. Thomas, Medina, Alvarez, Salmanticenses* et alii [2].

293. THESIS. **Actus supernaturales, quibus homo se praeparat ad justificationem, sunt dispositiones physicae ad gratiam sanctificantem.**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Dispositio subjecti praecedit susceptionem formae ordine naturae, sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur. Et ideo motus liberi arbitrii, naturae ordine, praecedit consecutionem gratiae, sequitur autem gratiae infusionem» [3]. Praeparatio autem, qua subjectum disponitur ad gratiam sanctificantem est physica, non moralis. Ergo.

2) *Ex ratione.* De ratione dispositionis proprie dictae est afficere, modificare, et quodammodo determinare subjectum ad formam recipiendam. Sed dispositio moralis, quam aliqui in casu admittunt, non afficit, nec modificat, nec determinat peccatorem ad gratiam. Ergo. Dispositio moralis in peccatore ad gratiam sanctificantem reducitur ad quoddam meritum de congruo improprie dictum [4] seu ad impetrationem. Meritum autem improprie dictum seu impetratio non modificat subjectum, nec habet rationem causae materialis, ut habet dispositio, sed respicit et movet praemiantem per modum causae efficientis moralis.

Actibus igitur supernaturalibus peccator physice disponitur ac modificatur in genere causae materialis ad gratiam sanctificantem, et, quando est ita dispositus, movet Deum ad gratiam conferendam in genere causae efficientis moralis.

294. Corollarium I. Concilium Tridentinum recte ait: «Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius». Ex his concilii verbis concludere voluerunt aliqui contritionem esse impetrationem, atque ideo habere rationem dispositionis moralis ad gratiam sanctificantem. Sed immerito. Sensus verborum concilii non est contritionem habere rationem impetrationis, sed esse necessariam ad impetrationem, adeo ut oratio, qua peccator impetrat remissionem peccatorum, supponat in subjecto contritionem tanquam dispositionem physicam.

295. Coroll. II. Cl. *Pesch* arguit in contrarium dicens: «Si gratia supponit dispositionem physicam supernaturalem, supponit aliam gratiam, et haec rursus aliam, et sic in infinitum, quod repugnat» [5]. Sed

---

[1] **Suarez,** *De gratia*, lib. 8, c. 5, n. 7; **Pesch,** *De gratia*, n. 357; **Beraza,** *De gratia*, n. 670; **Van Noort,** *De gratia*, n. 130.
[2] **S. Thomas,** *I-II*, q. 112, a. 2; et q. 113, a. 3; **Medina,** *In I-II*, q. 113, a. 8; **Alvarez,** *De auxiliis*, disp. 59; **Salmant.,** *De justificat.*, disp. 3, n. 106 sqq.
[3] *I-II*, q. 113, a. 8 ad 2.
[4] Inferius dicetur neminem posse mereri primam gratiam merito de congruo proprie dicto. Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 114, a. 5; et **Alvarez,** *De auxiliis div. gratiae*, disp. 59, concl. 4.
[5] *De gratia*, n. 357. Cfr. **Scotus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 3, n. 18. **Lutherus,** *In*

http://www.obrascatolicas.com

facile solvitur hoc inconveniens. Gratia in genere causae materialis supponit dispositionem physicam supernaturalem, sed in genere causae efficientis praecedit et causat praefatam dispositionem physicam, et sic non datur processus in infinitum.

Parergon.

296. Quae ad majorem explicationem hujus materiae expendit *Angelicus, I-II*, q. 113, facile expediuntur.

I. Justificatio impii seu peccatoris est valde diversa a simplici sanctificatione angelorum et primi hominis. Prima enim est transitus a statu positivo peccati ad statum positivum gratiae, seu motus de contrario in contrarium; secunda vero transitus a simplici negatione ad statum positivum. Quare justificatio impii importat destructionem peccati et productionem gratiae, dum justificatio angelorum et primi hominis importabat solam sanctificationem.

297. II. Justificatio impii praeparatur quidem remote actibus supernaturalibus peccatoris, sed quoad substantiam, quatenus importat infusionem gratiae, motum liberi arbitrii in Deum et in peccatum, ac destructionem peccati, fit in instanti. Ad rem *Angelicus:* «Sicut in instanti est introductio formae substantialis in materiam, et in eodem instanti expulsio alterius formae, et in eodem instanti completa dispositio, quae est necessitas ad formam, et per se terminus alterationis, ita infusio gratiae est in instanti, et in eodem instanti est remissio culpae, et motus liberi arbitrii, qui est quasi dispositio completa ad suscipiendam gratiam» [1].

298. III. Justificatio impii:

1) Non est opus praestantius incarnatione Verbi, quia gratia sanctificans, ad quam terminatur justificatio peccatoris, non est tam excellens quam persona divina subsistens in natura humana, ad quam terminatur incarnatio Verbi.

2) Non videtur esse dignior maternitate divina B. M. Virginis, si haec consideretur complexive secundum omnia, quae comitata sunt B. Virginem, ut esset digna mater Dei, non exceptis gratia sanctificante ac donis caelestibus. Hoc sensu intelligenda sunt sequentia verba *Angelici Doctoris:* «Beata Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: et ex hac parte non potest aliquid fieri melius» [2]. Si vero maternitas Dei consideretur formaliter, in quantum importat generationem Christi, abstrahendo a gratia sanctificante, non videtur attingere dignitatem operis justificationis [3].

3) Non est nobilior conversione panis et vini in corpus et sanguinem Jesu Christi in Eucharistia, quia haec conversio terminatur in corpus Christi unitum substantialiter personae divinae, excellentius ac perfectius in se quam anima sanctificata.

4) Non excedit glorificationem animae humanae adaequate et absolute sumptam. Glorificatio siquidem, cum sit gratia consummata, ultra gratiam sanctificantem addit consummationem per lumen gloriae et visionem Dei.

5) Ex parte operis est majus opus quam rerum creatio, non tamen ex parte modi operandi. *Ratio primae partis* est, quia terminus justificationis, qui est gratia sanctificans, est nobilior ac simpliciter perfectior, quam terminus creationis, qui est substantia creata naturalis. *Ratio secundae partis* est, quia creatio, cum sit productio ex nihilo, petit majorem virtutem in agente, quam justificatio impii, quae fit in subjecto praesupposito

6) Est majus opus, quam miracula, quae justificationem non includunt, ut sunt resurrectio mortuorum, restitutio visus, etc., quia gratia sanctificans, quae producitur in justificatione impii, est res nobilior quam objecta naturalia, ad quae terminantur miracula.

Commentario ad c. 2 ad Galatas irridet scholasticos, quod longe disputaverint, an justificatio impii sit simplex vel duplex mutatio.

[1] *In IV Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 5, sol. 3.

[2] *I p.*, q. 25, a. 6 ad 4.

[3] Cfr. *De Verbo incarnato*, q. 74, a. 3.

QUAESTIO XIV

DE MERITO

ARTICULUS I

QUID SIT MERITUM

299. Status quaestionis. 1) Vox *meritum*, ut recte animadvertit cl. *Lezana* [1], tum in bonam tum in malam partem usurpatur. Ita dicimus patriae defensores praemium, proditores supplicium mereri. Meritum tamen malum a theologis vocatur demeritum. Hinc venit actuum humanorum in *meritorios* ac *demeritorios* divisio.

2) Meritum in rigore est id, cui merces debetur.

Ad majorem claritatem considerari potest in abstracto et in concreto. Meritum in abstracto est qualitas vel proprietas, qua actus humanus fit retributione dignus, vel, ut *Cajetanus* apposite definit *jus ad praemium*. Meritum in concreto est opus retributione dignum.

a) Dicitur *opus*, id est, actus humanus, liber, bonus, elicitus a viatore, cui tantummodo debetur merces.

b) Additur *retributione dignum*, seu cui ex pacto explicito vel implicito debetur praemium. Retributio non est utcumque favor aut beneficium, sed est merces, quae ex justitia et quadam promissione confertur alicui pro laboribus. Unde *opus retributione dignum* idem est ac opus, cui debetur praemium.

3) Operi bono naturali debetur praemium naturale, ut laboribus honestis, quibus famulus ex condicto deservit domino, debetur pecunia. Operi supernaturali elicito ex gratia Dei debetur praemium supernaturale, ut augmentum gratiae et gloria aeterna.

4) Cum theologi de merito simpliciter absque addito loquuntur, intelligunt meritum supernaturale, quod est fructus gratiae, et de hoc disserimus in praesenti.

5) Licet unum idemque sit plerumque opus meritorium, impetratorium et satisfactorium, conceptus tamen meriti longe differt ab impetratione et satisfactione. Meritum innititur gratiae sanctificanti et importat jus ad mercedem; impetratio innititur misericordiae divinae, et petit favorem; satisfactio innititur justitiae, et respicit placationem.

---

[1] *In I-II*, tr. 7, disp. 8, q. 1.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS II

UTRUM JUSTI ALIQUID MEREANTUR APUD DEUM

300. Status quaestionis. Antequam ad ulteriora procedamus, operae pretium est exsistentiam meriti contra novatores aliosque haereticos hic statuere.

301. Errores. 1) Novatores saeculi XVI, sicut negaverunt hominem peccatorem per bona opera justificari, ita renuunt admittere hominem justum vel aliquid boni efficere, vel operibus bonis aliquid mereri apud Deum [1].

Lutherus ait: «Opus bonum optime factum est veniale peccatum... Hoc veniale peccatum non natura sua sed misericordia Dei tale esse (dixi)... Omne opus justi damnabile est et peccatum mortale, si judicio Dei judicetur» [2]. *Melanchthon:* «Hae sententiae et similes in Scripturis testantur opera nostra immunda esse et indigere misericordia» [3]. *Calvinus:* «Qui autem serio tanquam Dei conspectu, de vera justitiae regula quaerent, illi certo comperirent. Omnia hominum opera, si sua dignitate conseantur, nihil nisi inquinamenta esse et sordes; et, quae justitia vulgo habetur, eam apud Deum meram esse iniquitatem; quae integritas censetur, pollutionem; quae gloria dicitur, ignominiam» [4].

2) *Beguardi* et *beguinae* dixerunt hominem posse in hac vita talem perfectionem acquirere, ut amplius in gratia proficere vel aliquid mereri non valeat [5].

302. THESIS. **Justi bonis operibus gratia Dei factis plura merentur apud Deum, scilicet, augmentum gratiae, vitam aeternam, augmentum gloriae, etc.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Justis in sacra Scriptura promittitur vita aeterna ut merces, corona et retributio bonorum operum. **Ut merces:** *Gaudete, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis* [6]. **Ut corona:** *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae* [7]. **Ut retributio:** *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis* [8].

b) Fidelitas in operando dicitur esse ratio vitae aeternae nobis a Deo conferendae. *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* [9].

c) Promittitur nobis praemium ad mensuram valoris operum. *Fi-*

[1] Recentiores protestantes dicta veterum aliquantulum temperantes, dicunt hominem justum exercere quidem bona opera, sed ea nihil influere aut efficere ad salutem, sed praesentialiter se habere.
[2] *Assert. omn. art.*, a. 32 (ed. Francofurti, 1868; *Opera lat.*, t. 3, p. 220).
[3] *Loci theologici*, De dilectione et impletione legis; § «Sola igitur fides».
[4] *Institut.*, lib. 3, c. 12, n. 4.
[5] **Denz-Bannw.**, 471.
[6] *Matth.*, 5, 12.
[7] *Jac.*, 1, 12.
[8] *Col.*, 3, 23-24.
[9] *Matth.*, 25, 21.

lius hominis... reddet unicuique secundum opera ejus [1]. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* [2].

2) *Ex conciliis.* Concilium Arausicanum II ait: «Nullis meritis gratiam praevenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant» [3].

Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, a. s.» [4].

3) *Ex SS. Patribus. S. Ignatius:* «Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet» [5]. *S. Justinus:* «Edocti a prophetis poenas et supplicia et bonas remunerationes pro meritis actionum cujusque irrogari, verum id esse confirmamus» [6]. *S. Augustinus:* «Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum, a quibus in hac vita ejusdem mercedis meritum comparatur» [7].

4) *Ex ratione.* a) «Sicut se habet culpa ad poenam, ita et opus virtutis ad gloriam. Sed culpa ex condigno poenam aeternam meretur. Ergo et actus virtutis ex condigno vitam aeternam meretur» [8].

b) Opera hominis bona per gratiam Dei facta sunt digna praemio ejusdem ordinis et conditionis ac ipsa gratia. Sed gratia sanctificans est virtute in eodem ordine ac vita aeterna seu visio beatifica. Ergo opera hominis bona merentur praemium ordinis vitae aeternae. Quare gratia sanctificans dicitur *semen Dei* [9], et *fons aquae salientis in vitam aeternam* [10]. Ad rem *Angelicus:* «Gratia Spiritus Sancti, quam in praesenti habemus, etsi non sit aequalis gloriae in actu, est tamen aequalis in virtute, sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem. Et similiter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui est sufficiens causa vitae aeternae; unde et dicitur esse pignus haereditatis nostrae» [11].

Solvuntur difficultates.

303. Obj. 1.° Vita aeterna nobis confertur gratuito juxta illud Apostoli: *Gratia autem Dei vita aeterna* [12]. Ergo homo non meretur vitam aeternam.

Resp. Vita aeterna potest esse simul gratuita et praemium vitae aeternae: 1) Est omnino gratuita pro pueris, qui suscepto baptismo et gratia

[1] *Matth.*, 16, 27.
[2] *I Cor.*, 3, 8.
[3] *Can.* 18; **Denz-Bannw.**, 191.
[4] *Sess.* 6, can. 32; **Denz-Bannw.**, 842.
[5] *Ad Rom.*, 4, 1; MG **5**, 690.
[6] *Apolog.*, 1, 43; MG **6**, 391.
[7] *De perfect. just.*, c. 8, n. 17; ML **44**, 299.
[8] **S. Thomas**, *In II Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 3, arg. *Sed contra 2.*
[9] *Joan.*, 3, 9.
[10] *Joan.*, 4, 14.
[11] *I-II*, q. 114, a. 3 ad 3.
[12] *Rom.*, 6, 23.

http://www.obrascatolicas.com

sanctificante aucti decedunt. Est quoque gratuita pro omnibus adultis, qui per gratiam sanctificantem accipiunt gratuito jus ad gloriam. 2) Adulti sanctificati per gratiam exercent bona opera supernaturalia, quibus debetur praemium, et sic vita aeterna est eis gratuita in radice, et merces retributioque operum proxime. Unde *S. Augustinus:* «Cum Deus coronat merita nostra, nihil coronat quam munera sua» [1].

Obj. 2.° Vita aeterna est haereditas filiorum Dei, juxta illud Apostoli: *Si autem filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* [2]. Ergo vita aeterna non est merces ac praemium bonorum operum.

Resp. Vita aeterna est haereditas filiorum Dei simul et merces sanctorum. Omnes, qui gratia sanctificante augentur, sunt haeredes vitae aeternae, quia per gratiam sanctificantem ex Deo nati, quasi secunda natura induuntur atque merito filii Dei vocantur. Si sunt parvuli baptizati, solo titulo haereditatis vocantur ad patriam; si sunt adulti et bene operantur, conservant titulum haereditatis, et addunt novum titulum mercedis ac praemii.

Obj. 3.° Opera non sunt meritoria, nisi fiant in utilitatem retribuentis. Sed homo nihil efficit, quod cedat in utilitatem Dei. Ergo opera hominis nihil merentur apud Deum.

Resp.—Neg. maj. Ad meritum proprie dictum non requiritur, ut opera bona exerceantur praecise in utilitatem retribuentis, sed sufficit, ut cedant in obsequium ejusdem. «Deus, ait ad rem *S. Thomas*, ex bonis nostris non quaerit utilitatem, sed gloriam, id est, manifestationem suae bonitatis, quod etiam ex suis operibus quaerit. Ex hoc autem, quod eum colimus, nihil ei accrescit, sed nobis; et ideo meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed in quantum propter ejus gloriam operamur» [3].

Obj. 4.° Meritum hominum, si daretur, declararet insufficientia esse merita Christi. Sed merita Christi non fuerunt insufficientia sed superabundantia. Ergo.

Resp.—Neg. maj. Merita justorum nihil derogant de gloria Christi, nec ejus merita diminuunt, sed, cum meritis Christi nitantur, eorum valorem potius commendant ac laudant. Optime ad rem *S. Bellarminus:* «Ipse enim (Christus) vitis, nos palmites; et sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic et nos nihil possumus sine Christo facere. Et sicut nemo unquam ita desipuit, ut diceret detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant; ita nemo nisi plane stultus dicere potest detrahi de gloria Christi, si servi ejus, per gratiam ejus, per spiritum ejus, per fidem et caritatem ab ipso inspiratam, bona opera faciant, quae ita vere sint justa, ut eis debeatur a justo judice corona justitiae... Merita hominum non requiruntur propter insufficientiam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam» [4].

ARTICULUS III

QUID SIT MERITUM DE CONDIGNO ET MERITUM DE CONGRUO

304. I. **Divisio.** Meritum aliquando est *de condigno*, interdum *de congruo*. Quamvis *Lutherus* hanc distinctionem vocaverit *inane figmentum* [5], et *Melanchthon* rem confictam ab otiosis hominibus [6], magni tamen

1 *Ep.* 194, n. 19; ML **33**, 880.
2 *Rom.*, 8, 17.
3 *I-II*, q. 114, a. 1 ad 2.
4 *De justificatione*, lib. 5, c. 5 ad 8.
5 *Commentaria in c. 2 ad Galatas*, § «Quare cum Paulo».
6 *Loci theologici*. De justificatione, § «Et quod fingunt».

esse faciendam puto, et accurate exponendam, ut doctrina de merito justorum recte intelligatur.

1) Meritum de condigno est *opus, cui ex justitia debetur praemium*, non ex toto rigore justitiae, sed ex illa justitia, quae fundatur in valore actus meritorii et simul in promissione remunerantis. Habet aequalitatem, non quidem quantitatis et in esse entis, sed aequalitatem proportionis cum praemio. Actus siquidem caritatis, quibus vitam aeternam meremur, arithmetice quidem sunt minores visione beatifica, sed, cum ex gratia sanctificante eliciantur, habent aequalitatem geometricam seu proportionis cum ea, et, accedente promissione Dei remunerantis, induunt rationem pretii vitae aeternae ac postulant visionem beatificam ut praemium ex justitia.

Meritum de congruo est opus, cui praemium non debetur ex justitia, neque datur omnino gratis, sed ex quadam decentia et ex liberalitate remunerantis. Si peccator poenitentiam agat et delictorum veniam sincere postulet, vitam aeternam non meretur ex justitia, sed congruit ex quadam decentia et Dei liberalitate, ut Deus peccata ei remittat, et vitam aeternam elargiatur.

Si opus meritorium de congruo postulet praemium ex solo titulo decentiae, est meritum *fallibile*, si titulo decentiae adjungatur promissio Dei elargiendi praemium, est meritum de congruo *infallibile*.

2) Aequalitas vel inaequalitas proportionis inter valorem operum et praemium non est attendenda materialiter et in esse entis, sed formaliter et in esse praemii, ut scite animadvertunt *Salmanticenses* [1]. Nam actus caritatis momentaneus, meritorius de condigno vitae aeternae, non adaequat praemium visionis beatificae in esse entis, sed tantum formaliter in esse valoris et praemii. E contra actus supernaturales, quibus justus meretur sibi vel alteri bona temporalia, excedunt praemium etiam in ratione entis. Unde solum attendenda est aequalitas formaliter et in esse praemii.

3) Haec divisio meriti in condignum et congruum est certe adaequata, adeo ut nullum sit meritum hominum erga Deum, quod ad unum vel alterum hujus divisionis membrum non pertineat. Si opus bonum habeat aequalem valorem cum praemio idque exigat ex justitia, erit meritum de condigno, sin autem, erit meritum de congruo.

4) Velim tamen animadvertas hanc meriti divisionem non esse univocam seu generis in species, sed analogam, solumque meritum de condigno, quod importat jus strictum ad praemium, esse meritum simpliciter et proprie dictum; meritum vero de congruo, quod fundat jus in quadam decentia et liberalitate remunerantis, vocari meritum secundum quid et improprie.

5) Consulto diximus meritum de congruo fundari in quadam decentia operis et in liberalitate remunerantis, quia, si fundetur in pura Dei misericordia et liberalitate, ut cum peccatores, veniam a Deo postulando, primam gratiam dicuntur mereri, non habet veram rationem meriti, nec est membrum divisionis meriti nisi metaphorice et ad summum ana-

1 *De merito*, disp. 2, n. 2.

http://www.obrascatolicas.com

logia quadam attributionis, quia nullam importat rationem juris ex parte merentis, quae remunerantem moveat, sed tota ejus decentia attenditur ex parte Dei miserentis. Si decentia seu congruitas fundetur in amicitia merentis erga remuneratorem, ut cum justus bonis operibus meretur alteri primam gratiam, habet rationem meriti de congruo, quia in ipso opere invenitur jus quoddam imperfectum. Meritum igitur de congruo hoc sensu acceptum contradistinguitur a merito de condigno divisione analoga analogia proportionalitatis propriae, quatenus ratio meriti primario invenitur in merito de condigno, quod est principale analogatum, et secundario in merito de congruo, quatenus opus ex amicitia Dei elicitum intrinsece ordinatur ad praemium.

305. II. *Justitia qua merito debetur praemium.* Diximus meritum de condigno esse opus, cui ex justitia debetur praemium, sed, cum debitor ex justitia dependeat a creditore, et Deus nullatenus dependere possit ab hominibus, non facile intelligitur, quomodo Deus teneatur ex justitia hominibus conferre praemium.

1) Ad hoc respondet *Vazquez* [1] Deum non teneri ex justitia formali dare hominibus pro meritis praemium, sed solum ex grati animi officio, et, si id ipse promiserit, ex gratitudine simul et fidelitate [2].

Sed hoc stare nequit, quia, ut recte respondet *Suarez* [3], gratitudo, cujus est beneficium acceptum recompensare, denotat imperfectionem in subjecto, et formaliter in Deo reperiri non potest.

2) Melius ergo ac probabilius dico operibus hominum meritoriis deberi a Deo praemium ex justitia proprie dicta, quia homo in gratia constitutus elicit actus supernaturales in obsequium Dei, et stricte justum est hujusmodi operibus praemium reddere.

306. III. Sed iterum pulsat animum dubitatio, *unde proveniat operibus hominum condignitas ad praemium, et qualis sit ista justitia.*

1) *Scotus, Ockam, Biel* [4] et alii theologi totam rationem condignitatis ad praemium, imo et totam rationem meriti fundant formaliter in sola Dei promissione et gratuita acceptatione, adeo ut actus honesti hominum sint conditio, et gratuita Dei acceptatio dicatur ratio formalis condignitatis ad praemium.

Verum id ex eo saltem rejiciendum puto, quod acceptatio Dei et promissio mercedis sunt operi humano aliquid extrinsecum, et in operibus meritoriis admittenda est aliqua condignitas intrinseca ad praemium.

2) Melius alii dicunt intrinsecam condignitatem bonorum operum ad mercedem repetendam esse ex dignitate gratiae sanctificantis, qua nominamur et sumus filii Dei, et quae vere influit in actus nostros supernaturales, constituens eos meritorios in actu primo. Unde *Angelicus:* «Gratia Spiritus Sancti, quam in praesenti habemus, etsi non sit

[1] *In I-II*, disp. 213, c. 5, nn. 24-29.
[2] *In I-II*, disp. 214, c. 8, n. 53.
[3] *De gratia*, lib. 12, c. 30, n. 12.
[4] **Scotus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 3, n. 22 sqq.; **Ockam,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 2; **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 3, a. 2, dub. 1.

aequalis gloriae in actu, est tamen aequalis in virtute, sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem» [1].

Ut tamen hujusmodi operum condignitas constituat meritum in actu secundo, certe necessaria est aliqua Dei acceptatio, sive *implicita*, ut aliqui volunt, contenta in oeconomia gratiae, in qua bona opera justorum ordinantur a Deo in vitam aeternam ut ad coronam, sive *explicita*, ut aliis placet, manifestata per formalem promissionem dandi bonis operibus praemium.

De hoc iterum sermo redibit.

3) Quoad speciem justitiae, qua operibus bonis debetur praemium, haec statui possunt:

a) Opera bona, quae fiunt ab homine sine praevia eorum acceptatione ad coronam ex parte Dei, ut sunt aliqua opera meritoria de congruo, Deus remunerat secundum justitiam legalem, quia operatur ut supremus gubernator et providens munificus, ad quem spectat peccatorum poenas punire et bonorum conatus remunerare.

b) Actibus meritoriis de condigno debetur praemium ex justitia saltem distributiva, quia unusquisque Deo deserviens jus habet, ut accipiat mercedem juxta opera sua. Deo autem maxime competit elargire praemium ex justitia distributiva, quia «in justitia distributiva non requiritur ratio debiti ex parte ejus, qui distribuit; potest enim ex liberalitate aliqua distribuere, in quorum tamen distributione justitia exigitur, secundum quod diversis, prout eorum gradus exigit, proportionabiliter tribuit» [2]. «Ratio distributivae justitiae Deo proprie convenire potest, in quantum scilicet aequalitatem proportionis servat in communicatione bonorum suorum, dans unicuique proportionaliter secundum suum modum. Unde *Dionysius* dicit in 8 capite *De divinis Nominibus*, quod justitia laudatur in Deo, in quantum omnibus secundum dignitatem distribuit» [3]. «In redditione autem praemii ad merita magis servatur forma distributionis, cum ipse unicuique secundum opera sua reddat, quam commutationis, cum Deus a nobis nihil accipiat» [4].

c) Merito de condigno convenit etiam praemium *ex aliqua justitia commutativa.* Justitia commutativa est aequalitas quaedam, et cum aequalitas inter Deum et homines non sit absoluta sed proportionis, justitia quoque fundata in hac aequalitate, est proportionis, quatenus bona opera per gratiam facta a Deo accepta sunt et ordinata in praemium. Ad justitiam quippe commutativam pertinet elargire mercedem pro labore promissam. Ad rem *Angelicus:* «Meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis; ita scilicet, ut id homo consequatur a Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit» [5]. Haec cum ita sint, «non sequitur, quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur» [6].

[1] *I-II*, q. 114, a. 3 ad 3.
[2] **S. Thomas,** *In II Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 3 ad 4.
[3] **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 46, q. 1, a. 1, quaest. 1.
[4] **S. Thomas,** *In II Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 3.
[5] *I-II*, q. 114, a. 1.
[6] *I-II*, q. 114, a. 1 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS IV

QUAE CONDITIONES REQUIRANTUR AD MERITUM DE CONDIGNO

307. Novatores saeculi XVI, ut omne justorum meritum e medio tollerent, dixerunt meritum vitae aeternae concipi non posse, nisi fuerit opus undequaque perfectum, nullo titulo debitum, sine auxilio Dei a nobis effectum, et mercedi aequale. Sed haec gratis omnino dicta sunt.

In theologia catholica triplici ex capite petuntur conditiones ad meritum de condigno; ex capite scilicet *operis*, *merentis* et *remunerantis*.

308. I. *Ex capite operis* ad meritum de condigno requiritur, ut sit:

1) *Actus positivus*, adeo ut omissio actus mali per se nequeat esse meritoria, quidquid dicat in contrarium *Ripalda* [1]. Unde *S. Thomas:* «Meritum non potest esse sine actu, sed peccatum potest esse sine actu» [2]. Ratio est, quia omissio ut talis non est actus nec exercitium voluntatis, sine quo non datur meritum.

Principium autem morale: *diverte a malo et fac bonum* [3], quod in contrarium adducitur, non significat meram negationem, sed «importat... motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declinationis ostendit; et hoc est meritorium» [4].

Item censetur homo mercede dignus, quia *potuit transgredi et non est transgressus* [5], non quidem propter meram negationem actus, sed propter actum positivum fugae, quo vitavit legis transgressionem [6].

2) *Actus honestus seu moraliter bonus*, id est, *opus subjectum regulis morum, prout in theologia morali explicatur*. Ratio enim postulat, ut nonnisi actibus bonis mercedem princeps rependat.

3) *Actus liber libertate saltem, quam vocant exercitii vel contradictionis:*

a) Haec conditio constat

Ex damnatione celebris propositionis *Jansenii:* «Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione» [7].

Ex SS. Patribus qui ad meritum diserte requirunt libertatem. *S. Augustinus:* «Ipsa divina praecepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret» [8]. *S. Bernardus:* «Ubi autem non est libertas, nec meritum» [9].

Ex ratione, quia ad meritum requiritur actus moraliter bonus. Actus autem non est moraliter bonus, nisi sit liber. Praeterea: «Cum autem mereri respectu mercedis dicatur, proprie mereri est aliquid sibi magis

1 *De ente supernaturali*, lib. 3, disp. 70, sect. 2.
2 *I-II*, q. 71, a. 5 ad 1.
3 *Ps.* 33, 15.
4 **S. Thomas,** *II-II*, q. 79, a. 1 ad 2.
5 *Eccl.*, 31, 10.
6 Cfr. **Pesch,** *De gratia*, 400.
7 *Prop.* 3 Jansenii damnata ab Innocentio X, 31 Maji, 1653; **Denz-Bannw.,** 1094.
8 *De gratia et lib. arb.*, c. 2, n. 2; ML **44,** 882.
9 *Serm.* 81 *in cant.*, n. 6; ML **183,** 1174.

acquirere pro mercede; quod quidem non fit, nisi cum aliquid damus, quod est condignum ei, quod mereri dicimur; dare autem non possumus, nisi id quod nostrum est, cujus domini sumus. Sumus autem domini nostrorum actuum per voluntatem... Unde, ad hoc quod aliquis actus sit per se meritorius, oportet, quod sit actus voluntatis vel imperantis vel elicientis» [1].

b) Contra doctrinam expositam magno apparatu movent aliqui argumentum dicentes Christum Dominum necessario necessitate exercitii dilexisse Deum, et nihilominus per illam Dei dilectionem sibi et nobis meruisse.

Verum hoc argumentum facile solvitur cum doctrina *Banez, Alvarez* et aliorum [2]. Actus amoris Christi ferebatur in Deum duplici modo: *primo*, in quantum Deus est bonus secundum se, et hoc sensu Christus necessario etiam quoad exercitium diligebat Deum, et non merebatur: *secundo*, quatenus est in actu exercito ratio diligendi creaturas, et hoc sensu formali amor Dei in Christo erat liber quoad exercitium et meritorius.

c) Ad meritum de condigno nihil obstat, quominus opus sit praeceptum vel etiam ex metu patratum. Ratio est, quia opus cadens sub praecepto et etiam ex metu patratum, est simpliciter liberum, ac proinde, si aliis conditionibus vestiatur, meritorium.

d) Libertas tamen imperfecta, quae habetur in semiplena deliberatione, sicut non sufficit in actibus malis ad peccatum mortale, ita in actibus bonis non sufficit ad meritum simpliciter in ordine ad vitam aeternam. Actus siquidem semiplene deliberatus non est simpliciter liber neque continetur sub pleno dominio voluntatis [3].

4) *Actus supernaturalis, id est, gratia sanctificante et caritate informatus et ad Deum finem supernaturalem quodammodo relatus.*

«Cum enim, ait Concilium Tridentinum, ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et *sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent;* nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur» [4].

Ratio fundamentalis hujus conditionis perspicua est. Nam meritum et praemium oportet esse ejusdem ordinis. Cum autem praemium meriti de condigno sit vita aeterna seu fruitio Dei, bonum supernaturale, necesse est, ut actus meritorii sint etiam supernaturales. «Vita autem aeterna, ait ad rem *S. Thomas*, est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus, secundum illud *I Cor.*, 2, 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor*

1 **S. Thomas,** *De veritate*, q. 26, a. 6.
2 **Banez,** *In II-II*, q. 24, a. 3; **Alvarez,** *In III p.*, disp. 45.
3 Cfr. **Salmanticenses,** *De merito*, disp. 1, n. 23 sqq.
4 *Sess.* 6, c. 16; **Denz-Bannw.,** 809.

http://www.obrascatolicas.com

hominis ascendit. Et inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitae aeternae, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur» [1]. Et alibi: «Sicut peccatum consistit in hoc, quod homo, contempto Deo, commutabilibus bonis inhaeret; ita meritum virtuosi actus consistit in hoc, quod homo, contemptis bonis creatis, Deo inhaeret sicut fini... Unde etiam quaecumque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quod fiunt, ut obediatur voluntati divinae» [2].

Haec facile admittunt omnes theologi, sed, ubi incipiunt explicare influxum gratiae et caritatis in actus meritorios et relationem actuum in Deum ut in finem supernaturalem, in diversas abeunt sententias, quae partim re, partim nomine differunt.

Ex operibus bonis, quae homo justus facit, aliqua sunt actus formales caritatis, alia actus virtutum infusarum, alia actus virtutis acquisitae. Quilibet horum actuum, sive sit caritatis, sive aliarum virtutum etiam acquisitarum, potest esse meritorius vitae aeternae, dummodo informetur gratia et exerceatur sub imperio caritatis. «Meritum vitae aeternae, ait *S. Thomas*, primo pertinet ad caritatem, ad alias virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur» [3]. «Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galatas 5. Similiter etiam actus patientiae et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex caritate haec operetur» [4].

Non est ergo audiendus *Altisiodorensis* [5], cum adserit meritum de condigno magis a fide quam a caritate dependere.

Actus ergo meritorius est supernaturalis, quia procedit ex gratia et caritate.

Amplior explicatio. Haec tamen doctrina, ut recte intelligatur, indiget ulteriori explicatione.

Gratia sanctificans et caritas dicuntur et sunt formae virtutum, quatenus omnes virtutes, sive infusae sint sive acquisitae, perficiuntur et in ultimum finem ordinantur in justis a gratia et caritate, adeo ut non solum actus sed etiam habitus virtutum perficiantur, moveantur et applicentur in justis per gratiam et caritatem. Unde diserte ait *Angelicus:* «Omnes habitus, qui sunt in viribus motis a voluntate perfecta, participant formam caritatis» [6]. Et alibi: «Cum caritas est in voluntate, ejus perfectio aliquo modo redundat in intellectum, et sic caritas non solum actum fidei, sed ipsam fidem informat» [7].

Haec informatio fit, quando gratia sanctificans animae infunditur, et ex ea caritas dimanat. «Tunc enim, ajunt *Salmanticenses*, totus homo interius renovatur, sanctificatur, et perficitur, omnesque ejus rationales vires (id est, quae participant libertatem) specialiter Deo consecrantur, eique tanquam fini supernaturali totaliter subduntur» [8]. Sic gratiae et caritatis influentia non solum in animam et voluntatem, sed etiam in virtutes, quae

[1] *I-II*, q. 114, a. 2.
[2] *II-II*, q. 104, a. 3.
[3] *I-II*, q. 114, a. 4.
[4] *I-II*, q. 114, a. 4 ad 3.
[5] *Summa*, lib. 3, tr. 16, c. un., q. 1.
[6] *In III Sent.*, dist. 23, q. 3, a. 1, quaestiunc. 1.
[7] *De veritate*, q. 14, a. 5 ad 9.
[8] *De merito*, disp. 4, n. 87.

in ipsis resident, et in actus, qui ab ipsis exercentur, derivatur. Quo fit, ut voluntas hominis justi ac virtutes in ea residentes ita per caritatem modificentur, ut, quoties voluntas caritate perfecta secundum virtutes, sive infusas sive acquisitas, operatur, agat sub influxu et imperio caritatis.

Hujusmodi actus voluntatis evadunt supernaturales, tum quia exercentur sub influxu caritatis, tum quia virtute ejusdem caritatis referuntur ab homine justo in Deum finem supernaturalem.

Sine hac actuum humanorum in Deum finem supernaturalem relatione, non videtur dari meritum de condigno, sed qualis debeat esse talis relatio data opera dicetur articulo sequenti.

309. II. *Ex parte merentis* oportet.

1) *Ut merens sit viator.* Quamvis in re nulla exstet expressa Ecclesiae definitio, theologi tamen omnium scholarum defendunt [1] ad meritum de lege Dei ordinaria omnino requiri statum viae, adeo ut tempus merendi tamdiu duret, quamdiu anima rationalis informat corpus mortale [2].

Hoc sacrae litterae diserte testantur. *Mortui vero*, ait Ecclesiastes, *nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem* [3]. Et S. Joannes: *Venit nox, quando nemo potest operari* [4].

SS. Patres constanter id ipsum docuerunt. Unde *S. Hieronymus* docet «donec vivunt homines, posse eos justos fieri; post mortem vero nullam boni operis dari occasionem... Mortui vero nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulere de vita» [5]. *S. Augustinus:* «Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari; nemo se autem speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri» [6].

Ratio est manifesta. Meritum siquidem habet rationem motus ad praemium sicut ad finem. Unde, sicut motus, adsecuto fine, quiescit, et via in termino finitur, ita etiam meritum, obtento praemio, cessat. «Ei autem, ait *S. Thomas*, quod est in ultimo termino, non convenit moveri, sed mutatum esse. Unde caritatis imperfectae, quae est viae, est mereri; caritatis autem perfectae non est mereri, sed potius praemio frui» [7].

Diximus *de lege Dei ordinaria*, quia absolute non repugnat, ut Deus animabus purgatorii et beatis, quae sunt extra viam simpliciter, alium finem secundarium novumque praemium accidentale vel etiam novum gradum praemii essentialis adsignet [8].

[1] **Vazquez,** *In I-II*, disp. 216, c. 4, n. 31, docet beatos «per eam actionem, quae versatur erga fratres», posse mereri multa bona aliis et gloriam accidentariam sibi.
[2] Cfr. **S. Thomas,** *I p.*, q. 62, a. 9; et *De malo*, q. 7, a. 11; et omnes thomistae; **Suarez,** *De gratia*, lib. 12, c. 15, et alii communiter.
[3] *Eccl.*, 9, 5.
[4] *Joan.*, 9, 4.
[5] *Comment. in Eccl.*, 9, 4-5; ML **23,** 1136.
[6] *Enchiridion*, c. 110; ML **40,** 283.
[7] *I p.*, q. 62, a. 9 ad 1.
[8] Angelicus Doctor, loquendo de gaudio accidentali, quod angeli et sancti experiuntur in caelo pro operibus caritatis erga nos factis, ait: «Quidam dicunt, quod quantum ad praemium accidentale etiam mereri possunt. Sed melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul viator et comprehensor, ut Christus, qui solus fuit viator et comprehensor. Praedictum enim gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quam illud mereantur». *I p.*, q. 62, a. 9 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ut merens sit justus et amicus Dei.*

Est contra *Bajum*, qui dicebat opera bona non accipere rationem meriti ex gratia sanctificante, sed ex conformitate ad legem [1].

Constat:

a) *Ex S. Scriptura.* Nam: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum* [2]. *Si... caritatem non habuero, nihil sum... nihil mihi prodest* [3].

b) *Ex Concilio Tridentino:* «Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, a. s.» [4]. In Concilio Vaticano paratum erat schema, quo id ipsum definiebatur [5].

c) *Ex S. Augustino:* «Haec est margarita pretiosa, caritas, sine qua nihil tibi prodest, quodcumque habueris; quam si solam habeas, sufficit tibi» [6].

d) *Ex ratione.* Qui mortuus est, nequit elicere opera vitae aeternae, sicut pariter, qui dignus est poena aeterna per peccatum, nequit mereri simul praemium vitae aeternae.

Hinc merito docent *Capreolus, Ferrariensis, Salmanticenses* et alii [7] contra *Scotum, Ariminensem, Biel* et *Medinam* [8], hominem sine gratia vel alia forma vice ejus gerente, non posse de potentia Dei absoluta mereri de condigno vitam aeternam. Ratio est clara, quia nemo sine gratia vel sine aliqua forma vices ejus gerente potest esse Deo gratus, vel elicere actus, qui adaequent valorem vitae aeternae.

Ut corollarium hujus doctrinae potest dici rationem formalem, ex qua oritur in nobis augmentum meriti, esse caritatem in anima, adeo ut, quidquid dicant in contrarium *Vazquez* et *Herrmann* [9], majus meritum in genere causae formalis respondeat majori caritati, quamvis in genere causae materialis gradus meriti respondeant probabilius contra *Banez* [10] gradibus bonitatis moralis petitae ab objecto vel circumstantiis.

Utramque partem certe docuit *S. Thomas* dicens: «Quantitas meriti ex duobus potest pensari: uno modo ex radice caritatis et gratiae, et talis quantitas meriti respondet praemio essentiali» [11]. Virtus accepta «pro naturali capacitate simul cum conatu ad habendam gratiam... erit quasi materialis dispositio ad mensuram gratiae et gloriae percipiendae; sed caritas est formaliter complens meritum ad gloriam. Et ideo distinctio gradus in gloria accipitur penes gradus caritatis potius quam penes gradus virtutis praedictae» [12].

1 *Prop.* 13; **Denz-Bannw.,** 1013.
2 *Joan.*, 15, 4-5.
3 *I Cor.*, 13, 2-3.
4 *Sess.* 6, can. 2; **Denz-Bannw.,** 812.
5 *Schema constit. dogm. de doctrina catholica*, c. 5. *Coll. Lac.*, 7, 562-566.
6 *In ep. Joan.*, tr. 5, n. 7; ML **35,** 2016.
7 **Capreolus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1; **Ferrariensis,** *Contra Gent.*, lib. 3, c. 147; **Salmanticenses,** *De merito*, disp. 3, n. 2.
8 **Scotus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 2; **Ariminensis,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 2; **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 2; **Medina,** *In I-II*, q. 114, a. 2.
9 **Vazquez,** *In III p.*, disp. 6, c. 4, n. 24; **Herrmann,** *De gratia*, n. 989.
10 *In II-II*, q. 24, a. 6, dub. 5, concl. 6.
11 *I p.*, q. 95, a. 4.
12 *In IV Sent.*, dist. 49, q. 1, a. 4, quaestiunc. 4 ad 1.

Ratio est manifesta, quia, cum caritas, in quantum informat voluntatem et refert actus humanos ad Deum, sit ratio formalis meriti de condigno vitae aeternae, oportet eam pariter esse rationem formalem graduum meriti.

In genere tamen causae materialis, bonitas moralis actuum petita ex objecto vel ex circumstantiis, et informata gratia habituali ac caritate, auget meritum eorumdem. Unde actus humilitatis, mortificationis et obedientiae sunt meritorii vitae aeternae formaliter per caritatem, et in genere causae materialis per virtutem respectivam.

310. III. *Ex parte Dei remunerantis requiritur acceptatio operis ad praemium per divinam ordinationem et promissionem.* Est communis contra *Vazquez* [1].

Beatus vir, ait sacra littera, *qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se* [2].

Juxta Concilium Tridentinum «bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda» [3].

Apposite ad rem *S. Augustinus:* «Debitor enim factus est (Deus), non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo» [4]. Et *S. Thomas:* «Actio nostra non habet rationem meriti nisi ex praesuppositione divinae ordinationis» [5].

ARTICULUS V

QUOMODO REFERENDI SINT ACTUS HUMANI IN DEUM, UT POSSINT ESSE MERITORII DE CONDIGNO

311. Status quaestionis. Relatio actuum humanorum in Deum finem supernaturalem sub influxu caritatis potest esse: 1) *Actualis*, quae non est nisi explicita hic et nunc actuum humanorum directio ad Deum per caritatem, ut, cum expressa intentione honorandi Deum elargior eleemosynam. 2) *Virtualis*, quae est ipsa relatio formaliter quidem habita sed transacta, et virtualiter mediis conducentibus permanens atque influens in actus humanos. 3) *Habitualis* est permanentia in caritate, nihil agendo. «Habitualiter enim refert in Deum et qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens» [6].

Non parum disputatur, quomodo referenda sint opera in Deum, ut sint meritoria.

312. Theologorum placita. 1) Nemo est, quod sciam, nisi forte *Ricardus de Mediavilla* [7], qui postulet relationem actualem operum in Deum

1 *In I-II*, disp. 214.
2 *Jacob.*, 1, 12.
3 *Sess.* 6, c. 16; **Denz-Bannw.,** 809.
4 *Serm.* 158, c. 2; ML **38,** 863.
5 *I-II*, q. 114, a. 1 ad 3.
6 **S. Thomas,** Opusculo *De caritate*, q. un., a. 11 ad 3.
7 *In II Sent.*, dist. 14, q. 2.

http://www.obrascatolicas.com

ultimum finem, ut sint meritoria de condigno. *Quae enim Scotus, Durandus, Biel* et alii dicunt [1], intelligi oportet de relatione virtuali.

2) *Cl. Mendive* ad meritum condignum requirit et satis esse vult, «ut opus ex aliqua actuali gratia procedat; non autem, ut a caritate sive efficiatur, sive imperetur, etiamsi de praemio gloriae substantialis sermo fiat» [2].

3) Fere communiter defendunt theologi ad meritum de condigno esse necessarium, ut actus humani referantur in Deum ultimum finem per caritatis influxum, saltem virtualem [3]. Sed controvertitur inter doctores, in quo consistat influxus virtualis caritatis in actus humanos.

a) Plures volunt influxum virtualem caritatis in actus humanos non salvari, nisi cum actus virtutum eliciuntur vi et influxu caritatis semel exercitae et saepius in vita repetitae juxta regulas repetitionis actuum caritatis. Ita *S. Bonaventura, S. Albertus Magnus, S. Bellarminus, S. Alphonsus M. de Ligorio, Herrmann* et alii [4].

b) Alii distinguunt inter opera virtutum infusarum et opera virtutum acquisitarum, et dicunt actus virtutum infusarum in homine justo esse meritorios de condigno vitae aeternae «ex vi, ut ait *Suarez*, suae bonitatis et connaturalis ponderis seu relationis in illum finem, absque alia relatione quasi extrinseca, quae per actum caritatis praeteritum vel praesentem illis adveniat» [5]; et appellant relationem *objectivam* vel *connaturalem;* et addunt actus virtutum acquisitarum, ut sint meritorii, debere aliquo modo supernaturalizari fierique ex motivo supernaturali, ad quod «satis est ut operans sit in gratia» [6]. Ita *Suarez, S. Franciscus Salesius, Aguirre, Gabriel a S. Vincentio, Mazzella, Beraza* et alii non pauci [7].

c) Alii denique censent gratiam et caritatem, quae in anima et voluntate justi perseverant, semper influere virtualiter in omnes actus virtutum sive infusarum sive acquisitarum, adeo ut imperium caritatis, quo homo, cum conversus est, se et omnia retulit in Deum, virtualiter remaneat per totam vitam, si peccato mortali non destruatur. Unde sola praesentia gratiae in anima et caritatis in voluntate sufficit, ut actus virtutis tum infusae tum acquisitae sint supernaturales, et dicantur per caritatem virtualiter relati in Deum ultimum finem. Ad rem cl. *Valentia:* «Notandum est non oportere, ut actu explicito sive praesenti sive paulo ante elicito, opera justorum ad hoc, ut sint meritoria ex condigno, referantur in Deum, sed satis esse ad id virtualem relationem, consistentem in hoc quod justus aliquando se et sua omnia per caritatis actum in Deum retulerit. Nam hoc ipso, cum justus postea exercet aliquod bonum opus, censetur implicite et virtualiter ipsum velle facere propter Deum» [8]. Caritas certe informat voluntatem et virtutes tum infusas tum acquisitas hominis justi, easque supernaturalizat, et quamvis nunquam renovetur, imperat virtualiter actus omnium virtutum. «Si opus sit bonum, ait ad rem *Soto*, et fit ab illo, qui est in gratia, virtualiter (quod ajunt) proficiscitur ex gratia» [9]. Ita *S. Thomas, Cajetanus,*

---

[1] **Scotus,** *In II Sent.*, dist. 41, q. un.; **Durandus,** *In II Sent.*, dist. 41, q. 1, n. 7; **Biel,** *In II Sent.*, dist. 41, a. 3, dub. 2.

[2] *De gratia*, n. 399.

[3] Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 114, a. 4.

[4] **S. Bonaventura,** *In II Sent.*, dist. 41, a. 1, q. 3; **S. Albertus M.,** *In II Sent.*, dist. 40, a. 4 (ed. Vives, vol. 27, p. 632 sqq.); **S. Bellarminus,** *De justificatione*, lib. 5, c. 15; **S. Alphonsus Maria,** *Contra haeres.*, sess. 6, n. 88; **Herrmann,** *De gratia*, n. 1003.

[5] **Suarez,** *De gratia*, lib. 12, c. 9, n. 4.

[6] **Suarez,** *De gratia*, lib. 12, c. 10, nn. 14-19.

[7] **Suarez,** *De gratia*, lib. 12, cc. 9-10; **S. Franciscus Salesius,** *Traité de l'Amour de Dieu*, liv. 12, ch. 8; **Aguirre,** *Theol. S. Anselmi*, disp. 131, sect. 3; **Gabriel a S. Vincentio,** *De merito*, disp. 21, q. 3, n. 37; **Mazzella,** *De virtutibus infusis*, n. 1343; **Beraza,** *De gratia*, n. 992. In hac sententia actus virtutum infusarum videntur esse meritorii sine ullo influxu caritatis.

[8] *In I-II*, disp. 8, q. 6, p. 3.

[9] *De natura et gratia*, lib. 3, c. 4, § «Sed emergit».

Soto, Medina, Valentia, Salmanticenses, Honoratus del Val, aliique bene multi [1].

Hi modi dicendi certe probabilitate non carent, sed ultima explicatio mihi magis probatur. Quare *S. Thomas* ait: «Non sufficit omnino habitualis ordinatio actus in Deum, quia ex hoc, quod est in habitu, nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur. Nec tamen oportet, quod intentio actualis ordinans in finem ultimum sit semper conjuncta cuilibet actioni, quae dirigitur in aliquem finem proximum, sed sufficit, quod aliquando actualiter in finem ultimum referantur; sicut fit, quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim, quidquid ad se ipsum ordinat, in Deum ordinatum erit» [2]. «Vita aeterna in Dei fruitione consistit. Motus autem humanae mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus caritatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliae virtutes imperantur a caritate. Et ideo meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur» [3].

Hoc imperium caritatis in actus aliarum virtutum explicat *Angelicus* per solam informationem ipsius caritatis dicens: «In habente caritatem non potest esse aliquis actus virtutis, nisi a caritate formatus. Aut enim actus ille erit in debitum finem ordinatus, et hoc non potest esse nisi per caritatem in habente caritatem; aut non est ordinatus in debitum finem; et sic non erit actus virtutis» [4]. «Non solum actus caritatis est meritorius, sed etiam actus aliarum virtutum, *secundum quod gratia informantur*, licet meritorii esse non possint, nisi secundum quod reducuntur in finem caritatis. Non autem oportet, quod semper actus in finem illum reducantur, sed sufficit ad efficaciam merendi, quod in fines aliarum virtutum actu reducantur» [5].

313. Corollarium. Ex hoc facile deducitur omnes actus honestos hominis justi esse meritorios de condigno vitae aeternae, ut diserte adserunt *S. Thomas, Soto, Valentia* et alii [6], probantque *Salmanticenses* [7] contra *Scotum, Biel* et alios [8].

Ratio est, quia homo, qui in sua justificatione emisit actum caritatis, se et omnia sua in Deum finem supernaturalem retulit, et dum in gratia habituali perseverat, atque voluntatem habet caritate informatam, operatur imperio caritatis, ac conservat virtualem relationem operum in Deum, in cujus virtute agit. Unde *S. Thomas* diserte ait: «Non potest esse aliquis actus a deliberata voluntate procedens in habente gratiam, qui non sit meritorius» [9].

---

[1] **S. Thomas,** *In II Sent.*, dist. 40, q. 1, a. 5; **Cajetanus,** *In I-II*, q. 8, a. 3; **Soto,** *De natura et gratia*, lib. 3, c. 4; **Medina,** *In I-II*, q. 18, a. 9, § «Tertia opinio»; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 6, p. 3; **Salmanticenses,** *De merito*, disp. 4, n. 73; **Honoratus del Val,** *De gratia Christi*, n. 133.

[2] *In II Sent.*, dist. 40, q. 1, a. 5 ad 6.

[3] *I-II*, q. 114, a. 4.

[4] *De veritate*, q. 14, a. 5 ad 13.

[5] *In II Sent.*, dist. 40, q. 1, a. 5 ad 3.

[6] **S. Thomas,** *In II Sent.*, dist. 40, q. 1, a. 5; **Soto,** *De natura et gratia*, lib. 3, c. 4; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 6, p. 3.

[7] *De merito*, disp. 4, n. 66 sqq.

[8] **Scotus,** *In II Sent.*, dist. 41, q. un.; **Biel,** *In II Sent.*, dist. 41, q. un., a. 3, dub. 2.

[9] *In II Sent.*, dist. 40, q. 1, a. 5. Clarissimus Magister **Ludovicus Granatensis,** loquendo de effectibus gratiae, ait ad rem: «Otro efecto suyo es hacer al hombre tan grato y de tanta dignidad en los ojos de Dios, que todas cuantas obras deliberadas hace, que no sean pecados, le son gratas y merecedoras de vida eterna. De

http://www.obrascatolicas.com

Huic sententiae opponit cl. *Beraza* [1] verba Pii VI, quibus damnatus est articulus 24 synodi pistoriensis: «Doctrina synodi de duplici amore, ait Pontifex... qua... inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles... perinde ac si inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur, non daretur dilectio humana licita, quae non reprehenditur; falsa, alias damnata» [2].

Sed haec gratis omnino nobis opponuntur. Pistorienses duplicem solummodo in homine posuerunt amorem, amorem scilicet actum formalem caritatis dominantis, et amorem illicitae cupiditatis dominantis, nullumque dixerunt dari affectum intermedium. Nos autem inter amorem formalem caritatis et amorem illicitum cupiditatis ponimus affectus intermedios, qui, cum sint in justis a caritate virtualiter imperati et virtualiter in Deum relati, jure dicuntur meritorii vitae aeternae.

ARTICULUS VI

QUAE CONDITIONES REQUIRANTUR AD MERITUM DE CONGRUO

314. Omnes conditiones, ad meritum de condigno requisitae, exiguntur etiam ad meritum de congruo, exceptis statu gratiae ex parte merentis, quando aliquis sibimet dicitur aliquid mereri [3], et promissione ex parte Dei remunerantis in merito de congruo fallibili.

Hinc 1) opera meritoria de congruo esse oportet *positiva, honesta, libera* et *supernaturalia.*

2) Merens non solum debet esse viator, sed etiam justus, quoties meretur aliquid pro aliis.

3) Meritum de congruo nunquam est infallibile nisi per acceptationem Dei ad praemium.

QUAESTIO XV

DE OBJECTO MERITI DE CONDIGNO

315. Sub hoc titulo disputatur, an homo mereri possit de condigno 1) primam gratiam sanctificantem ejusque augmentum; 2) primam gloriam ejusque augmentum, necnon gloriam accidentalem; 3) gratias actuales efficaces, reparationem post lapsum atque perseverantiam finalem; 4) bona temporalia. Haec omnia totidem articulis discutientur.

---

suerte que no sólo los actos de las virtudes, mas las obras naturales, como son el comer, el beber, el dormir, etc., son gratas a Dios, y merecedoras de tan gran bien». *Guía de pecadores*, lib. 1, c. 14.

[1] *De gratia*, n. 998.

[2] **Denz-Bannw.**, 1524.

[3] «Quia divinam bonitatem decet, ut ubicumque dispositionem invenit, perfectionem adjiciat, ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera bona extra caritatem facta.» **S. Thomas**, *Supplem.*, q. 14, a. 4.

ARTICULUS I

AN HOMO MERERI POSSIT PRIMAM GRATIAM SANCTIFICANTEM EJUSQUE AUGMENTUM

316. Status quaestionis. Prima gratia sanctificans dicitur, quae primo confertur homini post peccatum, id est, tum illa, quae infunditur homini in remissione peccati originalis, tum etiam illa, quae conceditur eidem in remissione cujuslibet peccati mortalis. Unde est prima in sua serie, et non supponit aliam gratiam sanctificantem in anima, quamvis aliquando alia praecesserit et amissa fuerit.

Augmentum gratiae, quod secunda gratia appellatur, supponit in anima gratiam habitualem influentem in actus supernaturales voluntatis.

317. THESIS I. **Nemo potest sibi mereri primam gratiam sanctificantem.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) In Sacra Scriptura dicimur *justificati gratis per gratiam ipsius* [1].

2) Concilium Tridentinum ait: «Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem et gratis *(Rom.*, 3, 22-24), ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit... Gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur» [2]. Perpetuus autem Ecclesiae catholicae consensus semper tenuit primam gratiam sanctificantem gratis omnino peccatori infundi.

3) *S. Augustinus* ad rem ita arguit: «Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt. Sed, ut justi fierent, merita non fuerunt; justi enim facti sunt, cum justificati sunt; sed, sicut dicit Apostolus: *Justificati gratis per gratiam ipsius*» *(Rom.*, 3, 24) [3].

4) Ratio theologica luculenter hoc ostendit. Opera siquidem meritoria, cum sint quodammodo causa praemii, oportet saltem natura praecedere praemium. Opera autem hominis, quae natura praecedunt primam gratiam, non adaequant valorem gratiae sanctificantis, nec procedunt ex voluntate informata caritate. Unde sequitur neminem posse sibi mereri primam gratiam sanctificantem. Hinc notissima sunt in theologia axiomata: *Gratia sanctificans est principium essentiale meriti;* et: *Principium meriti non cadit sub merito.*

318. Corollarium. Hac ratione moti docent *S. Thomas, S. Bonaventura, Ricardus de Mediavilla, Biel, Capreolus, Medina, Nazarius, Valentia, Vazquez, Gabriel a S. Vincentio* et alii communiter [4], absolute

---

[1] *Rom.*, 3, 24.

[2] *Sess.* 6, c. 8; **Denz-Bannw.**, 801.

[3] *Ep.* 194, c. 3, n. 6; ML **33**, 876.

[4] **S. Thomas**, *I-II*, q. 114, a. 5; **S. Bonaventura**, *In II Sent.*, dist. 27, a. 2, q. 1; **Richardus de Mediavilla**, *In II Sent.*, dist. 27, a. 2, q. 1; **Biel**, *In II Sent.*, dist. 27, q. un., a. 2, concl. 2; **Capreolus**, *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 3, ad arg. Henrici

http://www.obrascatolicas.com

repugnare, ut homo primam gratiam sanctificantem mereatur de condigno.

319. THESIS II. **Homo purus, quantumvis justus, non potest alteri mereri de condigno primam gratiam sanctificantem.** *(Est communis)* [1].

Arg. *Ex ratione.* Ad meritum de condigno, quod importat jus ad praemium, requiritur, ut opus adaequet valorem praemii et a Deo acceptetur ad praemium. Opera autem bona hominis justi, quamvis adaequent valorem cujuslibet primae gratiae sanctificantis, non tamen acceptantur a Deo ut valor gratiae alteri dandae, nec ordinantur ad praemium alterius. Gratiam sanctificantem nos recipimus, ut filii Dei nominemur et simus, necnon ut opera supernaturalia exercentes ipsi ad vitam aeternam moveamur; non vero ut alios ad beatitudinem perducamus. «Merito condigni, ait *S. Thomas*, nullus potest mereri alteri primam gratiam, nisi solus Christus, quia unusquisque nostrum movetur a Deo per donum gratiae, ut ipse ad vitam aeternam perveniat; et ideo meritum condigni ultra hanc motionem non se extendit» [2].

Dixi *homo purus*, ut innuerem Christum Dominum, qui simul fuit Deus et homo, de facto meruisse cunctis hominibus primam gratiam sanctificantem.

Cum Jesus Christus fuerit *verus Deus et verus homo, atque constitutus caput Ecclesiae*, opera ejus habuerunt valorem infinitum superexcedentem omnes gratias creatas, et sunt a Deo accepta ac ordinata ad salutem omnium membrorum. Ad rem *Angelicus:* «Anima Christi mota est a Deo per gratiam, non solum, ut ipse perveniret ad gloriam vitae aeternae, sed etiam, ut alios in eam adduceret, in quantum est caput Ecclesiae, et auctor salutis humanae» [3].

320. THESIS III. **Homo justus potest sibi mereri de condigno augmentum gratiae sanctificantis.** *(Est de fide.)*

Nota. Lutherani adserebant bona opera esse signum et effectum justitiae, non vero causam meritoriam gratiae augendae.

Communiter tenent doctores contra *Waldensem* [4] hoc verum meritum recte appellari *de condigno* [5].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ad romanos ajebat: *Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam* [6].

2) *Ex Concilio Tridentino. Si quis dixerit hominis justificati bona*

---

contra 2 concl.; **Medina,** *In III p.*, q. 1, a. 2; **Nazarius,** *In III p.*, q. 2, a. 11, controv. 1, q. 3; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 6, p. 4; **Vazquez,** *In I p.*, disp. 229, c. 3; **Gabriel a S. Vincentio,** *De merito*, disp. 20, q. 1.

1 Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 114, a. 6.
2 *I-II*, q. 114, a. 6.
3 *I-II*, q. 114, a. 6.
4 *Sacramentale*, t. 3, c. 7.
5 Cfr. **S. Bellarminus,** *De justif.*, lib. 5, c. 21; **Vazquez,** *In I-II*, disp. 220, c. 1.
6 *Rom.*, 6, 22.

opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et ob Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, a. s. [1].

3) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Non gratiam Dei aliquid meriti praecedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici» [2].

Monita Sanctorum, quibus inducimur ad perfectionem, non aliud significant, quam posse hominem progredi in sanctitate atque mereri augmentum gratiae.

4) *Ex ratione S. Thomae.* «Illud cadit sub merito condigni, ad quod motio gratiae se extendit. Motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem motus gratiae est vita aeterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiae, secundum illud *Prov.* 4, 18: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem*, qui est dies gloriae. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni» [3].

Objicies. Gratia sanctificans, principium essentiale meriti, non potest concurrere ad eliciendum opus meritorium magis intensum et majoris valoris quam sit ipsa gratia; v. gr., impossibile est, ut gratia, cui sunt quatuor gradus intensitatis, eliciat actus intensos ad octo gradus. Sed actibus remissis nemo potest mereri augmentum gratiae. Ergo.

Resp.—Neg. maj. Gratia sanctificans potest considerari dupliciter; uno modo, ut est principium physicum eliciens opus meritorium, et sic non potest ex se efficere actum se ipsa intensiorem: alio modo, ut est principium morale conferens actibus humanis valorem supernaturalem, et hoc sensu potest valorare actus intensiores ultra latitudinem suae quantitatis et gradus physici. Unde, si gratia sanctificans recipiatur in homine ut quatuor, et voluntas hac gratia informata eliciat actus caritatis intensos ut octo, illa gratia valorat actus voluntatis in tota sua extensione et facit habiles ad merendum ut octo. Hanc distinctionem graphice exponit *Angelicus* dicens: «Augmentum gratiae non est supra virtutem praeexsistentis gratiae, licet sit supra quantitatem ipsius; sicut arbor, etsi sit supra quantitatem seminis, non est tamen supra virtutem ipsius» [4].

321. Scholion I. Non parum disputatur inter doctores, an justus actibus gratia praeexsistente remissioribus mereatur de condigno augmentum gratiae; an scilicet homo habens gratiam sanctificantem ut quatuor et eliciens actus caritatis ut duo, mereatur de condigno augmentum gratiae.

Haec quaestio iterum redibit in tractatu de caritate, ubi, loquendo de augmento caritatis, plenius dilucidabitur. Interim

Respondeo hominem justum mereri de condigno augmentum gratiae quolibet actu gratia praeexsistente remissiori. Ita *S. Thomas, S. Albertus M., Scotus, Biel, Cajetanus, Alvarez, Suarez, Valentia, Gonet, Sal-*

---

1 *Sess.* 6, can. 32; **Denz-Bannw.,** 842.
2 *Ep.* 186, n. 10; ML **33,** 819.
3 *I-II*, q. 114, a. 8.
4 *I-II*, q. 114, a. 8 ad 2.

http://www.obrascatolicas.com

manticenses et alii communius [1], contra *S. Bonaventuram, Durandum, Altisioderensem, Banez* et alios [2].

Diserte hoc docet *Angelicus* dicens: «Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiae, sicut et gratiae consummationem, quae est vita aeterna. Sed sicut vita aeterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiae augmentum» [3]. Unde illud axioma mysticorum: «In via vitae non progredi, regredi est» [4], explicat *Angelicus* his verbis: «In via Dei procedit aliquis, non solum dum actu caritas ejus augetur, sed etiam dum disponitur ad ejus augmentum» [5].

Ratio videtur clara, quia quolibet actu virtutis, sive intensior sit sive remissior gratia praeexsistente, merentur justi gloriam augmentumque gloriae. Sed, qui meretur perfectionem ultimi finis, qui est gloria, perficit et auget ea, quae sunt ad hunc finem scilicet gratiam. Ergo bonis operibus merentur justi augmentum gratiae.

322. Scholion II. *Quandonam de facto conferatur justis augmentum gratiae.*

1) Justi non efficiunt sed solum merentur gratiam sanctificantem; Deus autem eam producit.

2) Quando justi eliciunt actus caritatis gratia praeexsistente intensiores, illico recipiunt a Deo augmentum gratiae.

3) Sed dubium occurrit, quando conferatur a Deo homini justo augmentum gratiae actibus remissis promeritum.

a) Plures theologi contendunt augmentum gratiae actibus remissis promeritum statim ac opera ponuntur, justis a Deo conferri. Ita *Biel, Vazquez, Suarez, Arriaga, Mastrius, Herrmann, Beraza* et alii [6]. Suam opinionem fundant in Concilio Tridentino, quod docet justificatos per observantiam mandatorum ire de virtute in virtutem, renovari de die in diem, magis justificari, et crescere in justitia accepta [7]; imo et definit

---

[1] **S. Thomas,** *I-II*, q. 114, a. 8 ad 3; **S. Albertus M.,** *In I Sent.*, dist. 17, a. 10; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 22, q. 1, *Respondeo;* **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 4, a. 3, dub. 2; **Cajetanus,** *In I-II*, q. 114, aa. 6 et 8; **Alvarez,** *De auxiliis*, lib. 7, disp. 60, concl. 3; **Suarez,** *Relectio de reviviscentia meritorum*, disp. 2; **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 6, p. 4; **Gonet,** *In II-II*, disp. 10, a. 7, § 1; **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, n. 53.

[2] **S. Bonaventura,** *In II Sent.*, dist. 27, a. 2, q. 2; **Durandus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 8; **Altisiodorensis,** *Summa*, lib. 3, tr. 6, c. 5; **Banez,** *In I-II*, q. 114, a. 8, dub. 2; *In II-II*, q. 24, a. 6; et relect. de augmento caritatis.

[3] *I-II*, q. 114, a. 8 ad 3. Nonnulli existimant S. Doctorem hic retractasse sententiam, quam tenuerat *In II Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 5 ad 2 et alibi, sed **Gabriel a S. Vincentio,** *De merito*, disp. 21, n. 75 rectius docet S. Thomam, quando adserit non quolibet actu meritorio augeri gratiam, loqui de augmento gratiae in esse physico qualitatis, non de augmento gratiae in esse meritorio et juris ad gloriam. Cfr. **Prado,** *De gratia et lib. arb.*, vol. 1, q. 6, a. 8, concl. 3 in fine.

[4] **S. Bernardus,** *Serm. II de Purif.*, n. 3; ML **183,** 369.

[5] *II-II*, q. 24, a. 6 ad 3.

[6] **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 4, a. 3, dub. 2; et *In IV Sent.*, dist. 14, q. 3, a. 3, dub. 3; **Vazquez,** *In I-II*, disp. 220, c. 5; **Suarez,** *De gratia*, lib. 9, c. 3; **Arriaga,** *In I-II*, disp. 51, sect. 2, subs. 5; **Mastrius,** *In II Sent.*, dist. 7, q. 11, a. 1; **Herrmann,** *De gratia*, n. 1047; **Beraza,** *De gratia*, n. 1033.

[7] *Sess.* 6, c. 10; **Denz-Bannw.,** 803.

acceptam ab hominibus justitiam augeri coram Deo per bona opera [1].

b) Alii docent augmentum gratiae operibus remissis promeritum a Deo justis conferri, quando ipsi justi actum aliquem gratia praeexsistente intensiorem eliciunt. Putant enim hoc actu intensiori justum sufficienter praeparari ad recipiendum augmentum gratiae, duplici titulo, titulo nempe operum remissorum et titulo actus ferventioris. Ita *Sylvius, Contenson* et alii thomistae [2].

c) Alii denique autumant augmentum gratiae operibus remissis debitum nunquam in hac vita sed post hanc vitam conferri, vel in ipso mortis instanti, ut censet *Gabriel a S. Vincentio* [3], vel in primo glorificationis momento, ut existimant *Alvarez, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses, Gonet, Billuart* et alii plures [4].

Hi tres modi dicendi certe probabiles sunt, et satis explicant actionem Dei remunerantis erga justos.

S. Thomas solum dicit gratiae augmentum non statim justis conferri, «sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiae augmentum» [5].

Quae cum ita sint, tertia explicatio magis mihi probatur, quia puto justum in hac vita nunquam sufficienter disponi ad recipiendum augmentum gratiae actibus remissis promeritum.

Caeterum prae oculis habenda sunt sequentia verba clarissimi theologi *Philippi a SS. Trinitate:* «Sequitur quod ille, qui habet gratiam ut quatuor, connotantem plura merita, sit magis sanctus, quam ille, qui habet eamdem gratiam connotantem pauciora merita; quia gratia non solum habet magnitudinem gradualem sicut albedo, sed etiam virtualem ut semen» [6].

323. THESIS IV. **Homo purus in praesenti Dei providentia non potest aliis mereri de condigno augmentum gratiae.**

Arg. Ut opera bona sint meritoria de condigno alicujus praemii, requiritur ordinatio eorum ad praemium et promissio Dei de praemio pro ipsis conferendo. In praesenti autem Dei providentia non datur gratia, ut aliquis per eam mereatur aliis praemium de condigno, nec exsistit Dei promissio de conferendo uni praemio pro bonis operibus alterius. Ergo. Hinc, excepto Christo, cujus opera accepta sunt a Deo ad meritum pro omnibus, nemo meretur de condigno alteri augmentum gratiae sanctificantis.

---

[1] *Sess.* 6, can. 24; **Denz-Bannw.,** 834.

[2] **Sylvius,** *In II-II*, q. 24, a. 6, concl. 4; **Contenson,** *De gratia*, lib. 8, diss. 4, c. 2, spec. 1.

[3] *De merito*, disp. 21, n. 109.

[4] **Alvarez,** *De auxiliis*, disp. 60, n. 24; **Philippus a SS. Trinitate,** *De gratia Dei*, disp. 7, dub. 6; **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, dub. 4, §§ 2-3; **Gonet,** tr. 10, disp. 10, a. 8; **Billuart,** *De gratia*, diss. 8, a. 5, § 4; et *De caritate*, diss. 2, a. 3.

[5] **S. Thomas,** *I-II*, q. 114, a. 8 ad 3.

[6] *De gratia Dei*, disp. 7, dub. 6, parte 5.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS II

UTRUM HOMO MEREATUR DE CONDIGNO PRIMAM GLORIAM, AUGMENTUM EJUSDEM ET GLORIAM ACCIDENTALEM

324. Status quaestionis. 1) Gloria seu beatitudo hominis, quae appellatur vita aeterna, consistit in visione Dei, quae eo major ac perspicacior dicitur esse in patria, quo major fuerit gratia in via. Hominem justum posse bonis operibus mereri beatitudinem probavimus supra. Sed quaestio est scholastica de prima gloria.

2) Prima gloria dicitur, quae correspondet primae gratiae, quia homo statim ac justificatur, adipiscitur jus ad gloriam, quae utpote primae gratiae correspondens, vocatur prima.

3) Infantes, qui, nulla praecedente dispositione, baptizantur, et adulti, qui juxta regulas dandas in tractatu de sacramentis sine actu contritionis justificantur per sacramenta ex opere operato, cum nullum eliciant actum meritorium, non merentur de condigno primam gloriam, sed titulo haereditatis acquirunt jus ad gloriam.

4) Difficultas occurrit, an adulti peccatores, qui per actum contritionis justificantur et gratia sanctificante augentur, mereantur hoc actu primam gloriam; seu, quod idem est, an actus contritionis, qui ob defectum caritatis in subjecto nequit mereri de condigno primam gratiam, possit simul cum gratia, qua simul informatur, mereri de condigno primam gloriam. Duo, ut vides, signa sunt consideranda in actu contritionis; *primum*, quod praecedit hominis justificationem, et in quo nequit haberi meritum; *alterum*, quod sequitur gratiae infusionem, et in quo est amor Dei. Quaeritur, an homo in hoc signo posteriori per actum contritionis gratia sanctificante informatum possit mereri primam gloriam seu beatitudinem.

325. Placita theologorum. 1) Aliqui theologi antiqui, quibus sequuntur *Lugo* et *Ripalda* [1], negant peccatorem posse per actum contritionis mereri de condigno primam gloriam.

2) Sed *S. Thomas, Vazquez, Cano, Soto*, et alii multo communius affirmant [2].

326. THESIS I. **Homo, ubi primo elicit actum contritionis, meretur de condigno primam gloriam.**

Arg. *S. Thomas* diserte hoc tradit dicens: «Praeparatio hominis ad gratiam habendam quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae; et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiae, quae jam habetur, sed gloriae, quae nondum habetur. Est autem alia praeparatio gratiae imperfecta, quae aliquando praecedit donum gratiae gratum facientis,

[1] **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 6, sect. 3, n. 59; **Ripalda,** *De ente supernat.*, lib. 4, disp. 89, sect. 1.

[2] **S. Thomas,** *I-II*, q. 112, a. 2 ad 1; **Vazquez,** *In I-II*, disp. 219, c. 2; **Cano,** *Relectio de poenitentia*, p. 1, in fine «Ad secundam vero»; **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 6.

quae tamen est a Deo movente; sed ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam justificato; quia nullum meritum potest esse nisi ex gratia» [1].

Ex hoc patet actum contritionis, qui simul fit cum infusione gratiae habitualis, esse meritorium primae gloriae, quia est operatio hominis sanctificati et amici Dei.

Quomodo hoc contingat, explicatur ex illo principio in philosophia satis trito: Dispositio proxima ad formam in genere causae materialis praecedit quidem, sed in genere causae formalis sequitur ipsam formam. Hinc actus contritionis in genere causae materialis est praeparatio ad gratiam, natura praecedens donum gratiae gratum facientis; sed in genere causae formalis sequitur gratiam et ab ea procedit, estque meritoria primae gloriae [2].

327. THESIS II. **Homo justus bonis operibus meretur de condigno augmentum gloriae.**

Arg. 1) Sacra Scriptura diversos gradus et mansiones diversaque praemia adsignat in caelo beatis juxta diversitatem meritorum.

Filius hominis, ait ipse Jesus... *reddet unicuique secundum opera ejus* [3]. Apostolus: *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* [4]. Unde idem Apostolus, loquendo de diversitate gloriae sanctorum in resurrectione, ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* [5]. Ex hoc provenit, quod *in domo Patris* caelestis *mansiones* multae sunt [6].

2) Concilium Florentinum expresse docet animas justorum, postquam fuerint a poenis purgatae, «in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum, trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius» [7].

3) Constans est in hac parte SS. Patrum traditio atque doctrina. *S. Hieronymus* ait: «Jam nostri laboris est pro diversitate virtutum diversa nobis (praemia) praeparare» [8]. Et *S. Augustinus:* «Etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior, *in domo Patris mei mansiones multae sunt...*, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito... Multae mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates» [9].

[1] *I-II*, q. 112, a. 2 ad 1.

[2] Cfr. **Cano,** *Relect. de sacram. poenit.*, p. 1 ad finem, ubi sententiam contrariam, quam juvenis tenuerat, retractavit; et **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 6 ad finem.

[3] *Matth.*, 16, 27.

[4] *I Cor.*, 3, 8.

[5] *I Cor.*, 15, 41.

[6] *Joan.*, 14, 2.

[7] *Decreto pro graecis;* **Denz-Bannw.,** 693.

[8] *Adv. Jovinianum*, lib. 2, n. 32; ML **23,** 344.

[9] *In Joannem*, tr. 67, n. 2; ML **35,** 1812.

http://www.obrascatolicas.com

328. THESIS III. **Justi bonis operibus merentur de condigno gloriam accidentalem.**

Nota. Gloria seu beatitudo essentialis consistit in visione Dei beatifica, quae completur amore voluntatis ferventissimo.

Potest esse et aliquando est de facto inaequalis juxta mensuram caritatis, quam sancti habuerunt in via, et juxta diversos gradus luminis gloriae, quos unusquisque accepit in patria.

Gloriam accidentalem constituunt alia plura bona, quae praeter visionem beatificam sanctis in caelo conferuntur, ut mutua amicitia beatorum, gloria corporum, aureolae martyrii, doctrinae et virginitatis, etc.

Haec gloria accidentalis est consectaria gloriae essentialis, et, ubi ponuntur opera, quae de condigno mereantur gloriam essentialem, oportet mereri gloriam accidentalem.

ARTICULUS III

UTRUM HOMO POSSIT MERERI DE CONDIGNO GRATIAS ACTUALES EFFICACES, REPARATIONEM POST LAPSUM, ET PERSEVERANTIAM FINALEM

329. Haec tria breviter hic expendenda sunt, ut objectum meriti de condigno plenius dilucidetur.

330. THESIS I. **Homo, quantumvis justus ac perfectus, non potest gratias actuales efficaces sibi mereri de condigno.** *(Est communis sententia.)*

Arg. *Ex ratione.* 1) Nunquam promisit Deus gratias actuales efficaces hominibus se elargiturum tanquam mercedem pro bonis operibus. Promissio autem Dei de elargiendo praemio est conditio necessaria ad meritum de condigno.

2) «Illud cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbitrii directi a Deo movente, sicut terminus, non autem id quod comparatur ad praedictum motum sicut principium» [1]. Sed gratiae actuales efficaces comparantur ad motum liberi arbitrii, sicut principium. Ergo.

3) Si homo posset mereri de condigno gratias actuales efficaces, posset etiam sine speciali privilegio vitare omnia peccata et infallibiliter salvari, quia gratia efficax infallibiliter producit effectum bonum. Sed hoc videtur esse contra Concilium Tridentinum, *sess.* 6, can. 23 [2]. Ergo.

331. THESIS II. **Homo justus operibus factis in statu gratiae non potest mereri de condigno reparationem, quae ipsi danda sit post lapsum.** *(Est de fide)* [3].

Nota. Sensus theseos est neminem posse, dum est in statu gratiae, facere opera, quibus mereatur de condigno resurgere a culpa, si quando contingat eum in peccatum labi.

1 **S. Thomas,** *I-II*, q. 114, a. 9.
2 *Sess.* 6, can. 23; **Denz-Bannw.,** 833.
3 Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 114, a. 7; **Medina,** *In I-II*, q. 114, a. 7; **Joannes a S. Thoma,** *In I-II*, disp. 31, a. 2.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apud Ezechielem dicitur: *Si autem averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem... omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur* [1]. Et S. Petrus ait: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato* [2].

2) *Ex ratione.* a) Nullibi datur promissio Dei de elargienda reparatione post lapsum futurum pro bonis operibus factis in gratia.

b) Cum merito de condigno debeatur et conferatur merces ex justitia, si justus mereatur de condigno reparationem ipsi elargiendam post lapsum, omnibus peccatoribus, qui aliquando justi fuerunt, debebitur et dabitur reparatio ut praemium ex justitia. Hoc autem experientia eorum, qui in gratia Dei diu vixerunt et in peccata mortalia lapsi sunt atque perierunt, manifeste rejicit.

c) Nemo meretur de condigno praemium recipiendum in statu, in quo futurus est praemio indignus. Sed homo post lapsum in peccatum mortale fit indignus reparatione. Ergo justus non meretur reparationem pro tempore quo labatur in peccatum.

d) Nemo, quantumvis sanctus, excepto Christo, potest mereri de condigno gratiam dandam peccatori, quia nemo potest mereri remissionem infinitae offensae Dei, nec offerre Deo pro peccato obsequium infiniti valoris. Ergo nemo potest, excepto Christo, mereri de condigno reparationem post lapsum.

332. Corollarium I. His argumentis innixi censent communius theologi contra *Ripalda* [3] de potentia Dei absoluta fieri non posse, ut homo justus mereatur de condigno reparationem accipiendam post lapsum, quia fieri non potest, ut homo mereatur remissionem infinitae offensae Dei.

333. Coroll. II. Laudabile tamen est, ut quotidie Deum ferventi oratione deprecemur, ne sinat nos in peccatum labi, et, si quando per fragilitatem vel malitiam contigerit nos graviter delinquere, misericorditer dignetur nos a culpa reparare et in suam amicitiam recipere.

334. THESIS III. **Nemo potest mereri de condigno perseverantiam finalem in gratia.** *(Est communis)* [4].

Nota. Diximus superius q. 4, a. 5, donum perseverantiae importare auxilium quoddam speciale, quo gratia sanctificans conjungitur cum morte. Unde perseverantia definitur: *Conjunctio status gratiae cum morte.* «Adserimus ergo, ait *S. Augustinus*, donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo» [5].

1 *Ezech.*, 18, 24. Cfr. ibid., 33, 13.
2 *II Petri*, 2, 20-22.
3 *De ente supernaturali*, lib. 4, disp. 95, sect. 2, concl. 3.
4 **Medina,** *In I-II*, q. 114, a. 9, hanc propositionem vocat *certissimam.*
5 *De dono perseverantiae*, c. 1, n. 1; ML **45**, 993.

http://www.obrascatolicas.com

Arg. 1) Sacra Scriptura satis innuit hanc veritatem, cum justos expresse monet his verbis: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat* [1]. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* [2].

2) Concilium Tridentinum, loquendo de dono perseverantiae, ait: «Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere» [3].

3) *S. Augustinus* diserte hoc tradit dicens: «Unde satis dilucide ostenditur, et inchoandi et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius secretissimam eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem» [4].

4) Rationem hujus doctrinae exponit *Angelicus* dicens: «Omne, quod quis meretur, a Deo consequitur, nisi impediatur per peccatum. Sed multi habent opera meritoria, qui non consequuntur perseverantiam; nec potest dici quod hoc fiat propter impedimentum peccati, quia hoc ipsum, quod est peccare, opponitur perseverantiae; ita quod, si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret illum cadere in peccatum. Non igitur perseverantia cadit sub merito» [5].

335. Corollarium. Satis communiter docent theologi contra *Suarez* [6] et alios paucos doctores per potentiam Dei absolutam fieri non posse, ut justus mereatur de condigno perseverantiam in gratia.

ARTICULUS IV

UTRUM HOMO JUSTUS POSSIT MERERI DE CONDIGNO BONA TEMPORALIA

336. Status quaestionis. Bona temporalia considerari possunt dupliciter: *primo*, secundum se, quatenus a causis naturalibus producuntur et sistunt in ordine naturali; *secundo*, in ordine ad salutem aeternam hominis, quatenus ex ordinatione divina sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam aeternam.

Certum est bona temporalia secundum se considerata non mereri de condigno a justis, quia hoc sensu non minus spectant ad peccatores quam ad justos, et non constituunt speciale praemium operum justi.

Quaestio est, an bona temporalia, prout conducunt ad salutem, possint mereri de condigno a justis.

337. THESIS. **Justus potest mereri bona temporalia, prout conducunt ad vitam aeternam.** *(Est communis.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Cum Petrus dixisset Jesu: *Ecce nos reliquimus omnia... quid ergo erit nobis?* [7]; vel ut interpretatur *S. Hieronymus:* «Fecimus quod jussisti, quid igitur nobis dabis praemii?» [1]. Respondit Jesus: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres... centuplum accipiet (in hac vita) et vitam aeternam possidebit* [2]. Heic Dominus certe innuit apostolos mandata Dei exsequentes et Christum sequentes, centuplum saltem mereri de bonis temporalibus.

2) *Ex ratione theologica.* Bona temporalia, quatenus conducunt ad salutem aeternam, habent rationem medii ad finem gloriae. Ergo justus, qui meretur gloriam, potest mereri bona temporalia, prout sunt media ad salutem et conducunt ad vitam aeternam.

1 *I Cor.*, 10, 12.
2 *Philipp.*, 2, 12.
3 *Sess.* 6, c. 13; **Denz-Bannw.**, 806.
4 *De dono perseverantiae*, c. 13, n. 33; ML **45**, 1012.
5 *I-II*, q. 114, a. 9, *Sed contra.*
6 *De gratia*, lib. 12, c. 26, n. 36.
7 *Matth.*, 19, 27.

1 *Comment. in Evang. Matth.*, lib. 3, c. 19, v. 27; ML **26**, 144.
2 *Matth.*, 19, 29.
3 *De gratia*, n. 428.
4 *De natura et gratia*, lib. 2, c. 4, § «Quod autem».
5 *Ep.* 186, n. 7; ML **33**, 818.
6 *In IV Sent.*, dist. 15, q. 1, a. 3, quaestiunc. 4.

QUAESTIO XVI

DE OBJECTO MERITI DE CONGRUO

ARTICULUS I

AN ET QUOMODO DETUR IN HOMINE MERITUM DE CONGRUO

338. Cl. *Pesch* [3] tribuit *Dominico Soto* sententiam, quae absolute negat ullum in homine esse meritum de congruo, sed *Dominicus Soto* solum negavit meritum de congruo operibus, quae praecedunt primam gratiam, sive fuerint pure naturalia, sive eliciantur per auxilium Dei speciale; et addit: «Cum autem quis incipit esse in gratia, tunc potest et sibi de condigno et aliis de congruo mereri» [4].

Ut natura et objectum meriti de congruo plenius intelligantur, operae pretium est recolere, quod breviter innuimus supra n. 304, scilicet, decentiam, qua in merito de congruo oportet bene operanti conferre praemium, fundari vel in pura Dei misericordia et liberalitate, vel in hominis justi cum Deo amicitia, quae bonis operibus justorum tribuit jus amicabile ad praemium.

Quando decentia seu congruitas ad praemium fundatur in sola Dei misericordia et liberalitate, non videtur dari meritum proprie dictum, sed tantum metaphorice, quia nulla habetur ratio juris ex parte merentis. Opera tamen, quibus ex sola Dei misericordia congruit praemium, large et improprie dicuntur meritoria de congruo eo sensu quo omnis dispositio ad formam vocatur quodammodo meritum. Unde fides, teste *S. Augustino*, meretur justificationem [5]; et juxta *S. Thomam* «ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum, per opera extra caritatem facta» [6].

Quando congruitas fundatur in amicitia justi cum Deo, ex parte

http://www.obrascatolicas.com

merentis habetur ratio juris, quae fundat in Deo debitum decentiae, et induit rationem meriti de congruo. In hoc casu ratio congruitatis attenditur non solum ex parte remunerantis, sed etiam ex parte merentis.

Hinc sequitur meritum de congruo esse duplex; unum improprie et metaphorice dictum, quod nullum importat jus ad praemium ex parte merentis, sed tota ratio decentiae et congruitatis ad praemium attenditur ex parte Dei; et alterum stricte et proprie acceptum, quod innititur amicitiae Dei et fundat jus amicabile ad praemium.

ARTICULUS II

QUID HOMO MEREATUR MERITO CONGRUI

339. Status quaestionis. Sicut quaestione praecedenti exposuimus objectum meriti de condigno, hic oportet breviter declarare objectum meriti de congruo.

340. THESIS I. **Nequit homo sibi mereri primam gratiam merito de congruo stricte dicto, quod fundat jus amicabile ad praemium, bene tamen merito de congruo late sumpto.**

Pars 1.ª

Arg. Meritum de congruo stricte dictum innititur amicitiae hominis cum Deo, et fundat jus amicabile ad praemium. Nemo autem ante justificationem potest habere amicitiam cum Deo nec fundare jus amicabile ad primam gratiam. Ergo.

Hanc doctrinam communiter tenent thomistae [1] et ex extraneis non pauci [2].

Pars 2.ª

Arg. Meritum de congruo improprium seu late sumptum est opus bonum ab homine elicitum, cui ex pura Dei misericordia et liberalitate congruit aliquod praemium. Homo autem ante justificationem, speciali Dei auxilio motus, elicit saepe bona opera, quibus se praeparat ad justificationem, et quibus propterea ex Dei liberalitate decet primam gratiam conferri. Ergo. Huc se refert *S. Thomas*, cum ait: «Sed quia divinam bonitatem decet, ut, ubicumque dispositionem invenit, perfectionem adjiciat, ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquod bonum per opera extra caritatem facta» [3].

341. THESIS II. **Justus potest bonis operibus mereri de congruo alteri primam gratiam, imo et augmentum gratiae atque gloriam aeternam.**

Arg. Ratio id facile suadet. Nam opera justi ad finem honestum ordinata fundant debitum amicitiae ex parte Dei et jus amicabile ad

[1] Ex thomistis conferri possunt **Sotus,** *De natura et gratia*, lib. 2, c. 4; et **Salmanticenses,** *De merito*, disp. 6, n. 5.
[2] Cfr. **Valentia,** *In I-II*, disp. 8, q. 6, p. 4, § 2.
[3] *In IV Sent.*, dist. 15, q. 1, a. 3, quaestiunc. 4.

praemium ex parte hominis, quatenus decet et maxime congruit Deum amicis bonum operantibus obsequi atque obtemperare. Ad rem *S. Thomas:* «Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius» [1].

Nulla datur specialis ratio, quae moneat hoc praemium aliis promeritum restringere ad primam gratiam, quin potius leges amicitiae suadent, ut amici Dei bonis operibus mereantur de congruo alteri augmentum gratiae ac primam gloriam.

342. THESIS III. **Justus non potest sibi mereri merito de congruo proprie dicto reparationem, quae sequutura sit post lapsum futurum, bene tamen merito de congruo late sumpto.**

Nota. Gravissimi theologi *S. Bonaventura, Biel, S. Bellarminus, Suarez, Ripalda,* et novissime *Pesch* et *Beraza* [2] contradicunt primae parti hujus theseos, sed *S. Thomas* [3] et generatim thomistae, solidiori, ut videtur, fundamento eam tuentur.

Pars 1.ª

Arg. Meritum de congruo proprie dictum importat debitum decentiae ex parte remunerantis et jus amicabile ad praemium ex parte merentis ab initio operis meritorii usque ad largitionem et receptionem praemii. Hoc autem debitum ex parte remunerantis et jus amicabile ex parte merentis non conservantur ab initio operis meritorii usque ad reparationem in eo, qui labitur. Ergo opus bonum factum ex gratia non est proprie meritum de congruo in ordine ad reparationem post lapsum. «Nullus potest, ait *S. Thomas*, sibi mereri reparationem post lapsum futurum neque merito condigni neque merito congrui» [4].

Pars 2.ª

Arg. Dominus noster elargiens reparationem peccatoribus, qui aliquando fuerunt in gratia, non est credendus oblivisci operum, quae ipsi peccatores, dum erant amici Dei, exercuerunt. Ergo justi operibus bonis factis in gratia merentur reparationem post lapsum merito de congruo late sumpto.

343. THESIS IV. **Justus potest sibi et alteri mereri de congruo stricte dicto gratias actuales efficaces, non autem peccator.**

Pars 1.ª

Justus bonis operibus fundat debitum amicitiae in Deo et jus amicabile ad praemium in homine. Maxime autem decet, ut Deus amico bene operanti praemium elargiatur. Ergo.

[1] *I-II*, q. 114, a. 6.
[2] **S. Bonaventura,** *In II Sent.*, dist. 28, dub. 2; **Biel,** *In II Sent.*, dist. 27, q. 1, a. 3, dub. 3; **S. Bellarminus,** *De justificatione*, lib. 5, c. 22; **Suarez,** *De gratia*, lib. 12, c. 38, n. 6; **Ripalda,** *De ente supernaturali*, disp. 95, sect. 3; **Pesch,** *De gratia*, n. 429; **Beraza,** *De gratia*, n. 1051.
[3] *I-II*, q. 114, a. 7.
[4] *I-II*, q. 114, a. 7.

http://www.obrascatolicas.com

Pars 2.ª

Peccator suis operibus non constituit in Deo debitum amicitiae nec acquirit jus amicabile ad praemium. Ergo peccator non meretur sibi vel alteri gratias actuales efficaces merito de congruo.

Potest tamen peccator ac debet impetrari gratias actuales efficaces, ut misericors Dominus specialiter ipsum moveat ad poenitentiam et perducat ad statum gratiae.

344. THESIS V. **Justus non potest mereri de congruo proprie dicto donum perseverantiae.**

Nota. Huic adsertioni adversantur *S. Bellarminus, Suarez, Ripalda* et alii [1], sed, ut puto, minus solide.

Arg. Donum perseverantiae importat conservationem gratiae usque ad gloriae adsecutionem, quae se habet ex parte principii meriti. Quod autem se habet ex parte principii meriti, nequit cadere sub merito nec habere rationem praemii; quia meritum est quasi via ad praemium ut ad terminum. Ergo donum perseverantiae non potest habere rationem praemii respectu operum, quae procedunt ex gratia.

QUAESTIO XVII

DE REVIVISCENTIA MERITORUM

ARTICULUS I

UTRUM MERITA PER PECCATUM MORTIFICATA REVIVISCANT IN JUSTIFICATIONE HOMINIS

345. Status quaestionis. 1) Merita dicuntur vivere saltem virtute et acceptione Dei, quandiu permanent conjuncta gratiae et caritati, quia conservant jus et efficaciam perducendi homines ad praemium eo ferme modo quo animalia vivunt, quandiu conservant virtutem sese movendi. Per peccatum autem lethale amittunt jus et efficaciam ducendi homines ad praemium, et dicuntur mortificari, ad distinctionem operum, quae fiunt in peccato mortali et sunt omnino mortua.

2) Quaestio venit hic dilucidanda, an merita, quae per peccatum mortale fuerunt mortificata, adveniente gratia justificationis, reviviscant, atque recuperent jus pristinum ad praemium vitae aeternae.

---

[1] **S. Bellarminus,** *De justificatione,* lib. 5, c. 22; **Suarez,** *De gratia,* lib. 12, c. 38, n. 10; **Ripalda,** *De ente supernaturali,* lib. 4, disp. 94, sect. 2.

346. THESIS. **Merita de condigno per peccatum lethale mortificata, adveniente justificationis gratia, reviviscunt, ac idcirco recuperant jus ad praemium vitae aeternae.**

Nota. Hanc doctrinam tenuerunt veteres scholastici *Petrus Lombardus, S. Albertus M., S. Thomas, S. Bonaventura,* et exinde omnes theologi unanimi consensu [1].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus scribens ad hebraeos sic affatus est: *Abundantes in opere Domini, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* [2]. Haec Apostoli verba authentice exponit Concilium Tridentinum dicens: «Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: *Abundate in omni opere bono,* etc.» [3]. Hinc juxta Apostolum, Concilio Tridentino interprete, labor noster, quamvis interrumpatur per peccatum, si gratia recuperetur, non est inanis.

2) *S. Hieronymus:* «Quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat, sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur» [4].

3) *Ex ratione.* Opera hominis meritoria ex suo objecto et circumstantiis semper sunt Deo accepta, retinentque apud Deum valorem pristinum, quem acceperunt ex gratia, et dicuntur mortificari, quatenus per peccatum lethale ponitur impedimentum, ne homines moveant ducantque ad vitam aeternam. Sed, adveniente justificationis gratia, tollitur impedimentum, quod obstabat, et opera meritoria recuperant vim atque efficaciam ducendi homines ad praemium vitae aeternae. Ergo opera meritoria per peccatum lethale mortificata, adveniente gratia sanctificante, reviviscunt et incipiunt valere merenti [5].

ARTICULUS II

QUOMODO ET QUO GRADU MERITA MORTIFICATA REVIVISCANT IN JUSTIFICATIONE

347. Status quaestionis. 1) Quando peccator resurgit cum majori gratiae gradu quam habuerat ante peccatum, solutio facilis est, quia in hoc casu videntur merita mortificata reviviscere in tota sua latitudine.

2) Difficultas praecipua est de gradu, quo reviviscant merita mortificata in justificatione per gratiam remissiorem. Res exemplo fit clarior. Titius ante peccatum mortale fecit merita ad viginti gradus cum

---

[1] **Petrus Lombardus,** *IV Sent.,* dist. 14, n. 4; **S. Albertus M.,** *In IV Sent.,* dist. 14, a. 21; **S. Thomas,** *In IV Sent.,* dist. 14, q. 2, a. 3; et *III p.,* q. 89, a. 5; **S. Bonaventura,** *In IV Sent.,* dist. 14, p. 2, a. 2, q. 3.

[2] *I Cor.,* 15, 58.

[3] *Sess.* 6, c. 16; **Denz-Bannw.,** 809.

[4] *Comment. in ep. ad Galatas,* 3, 4; ML **26,** 376.

[5] Cfr. **S. Thomas,** *III p.,* q. 89, a. 5.

http://www.obrascatolicas.com

jure percipiendi totidem gradus gloriae essentialis in patria. Per subsequens peccatum lethale mortificavit haec merita, amittendo jus ad gloriam. Sed ecce poenitentia ductus, emittit nunc actum contritionis ad decem gradus intensitatis, quo consequitur decem gradus gratiae, et meretur totidem gradus gloriae.

Dilucidandum venit hic, quomodo et quo gradu merita mortificata per hanc justificationem reviviscant.

348. Placita theologorum. 1) *Nominales* [1], quos sequuti sunt *Suarez* et *Vazquez* [2], dixerunt merita mortificata ita per quamlibet justificationem reviviscere, ut in ipso momento justificationis homo recipiat formaliter et in esse physico non solum gratiam et merita correspondentia actui contritionis, quem emittit, verum etiam gratiam, quam amisit, et ejus merita, quae mortificavit; adeo ut in suppositione facta Titius, qui amisit gratiam et merita ut viginti, et elicit contritionem ut decem, recipiat nunc gratiam et merita ut triginta, decem scilicet pro praesenti contritione, et viginti pro operibus mortificatis.

2) Alii e contra docuerunt hominem in sua justificatione non recipere nisi illam gratiam et merita, quae correspondent actui caritatis nunc emisso; merita vero per peccatum mortificata reviviscere, quatenus homini resurgenti dantur merita duplici titulo, ratione scilicet operum praecedentium, et ratione praesentis gratiae, simul cum jure ad majus praemium accidentale. Ita *Banez* et alii [3].

Huic sententiae certe favit *Angelicus* dicens: «Per priora merita merebatur sibi (homo) tantam gloriam quantam caritatem habebat. Sed ipse per peccatum factus est alter, et non plenarie ad pristinum gradum restitutus; et ideo non plenarie recipiet effectum priorem meritorum, nisi quantum ad praemium accidentale» [4].

3) Alii defenderunt hominem, cui mortificata sunt merita, cum resurgit, per actum contritionis dupla merita recipere, quorum una pars meritis praecedentibus et altera praesenti actui contritionis correspondeat; ut si quis quinque gradus meritorum habens peccaverit, et resurgat cum actu contritionis ad quinque, recipiat gratiam quidem ad quinque pro actu contritionis, sed merita ad decem, quinque scilicet pro meritis mortificatis et quinque pro actu contritionis praesentis. Ita *Scotus* et ejus commentator *Hiquaeus* [5].

4) Alii denique distinguunt inter gratiam et meritum in esse morali seu in esse gratiae, quod importat jus acceptationis ad gloriam, et gratiam et meritum in esse physico seu qualitatis; et docent hominem in actu justificationis accipere gratiam et meritum tum in esse morali tum in esse physico praesenti dispositioni correspondentem; et ex gratia atque meritis praecedentibus totum recuperare in esse morali et quoad jus acceptationis ad gloriam, nihil vero in esse physico seu qualitatis; totum tamen in esse physico recuperaturum in primo instanti glorificationis, quando eliciet actum intensissimum caritatis. Ita *Alvarez*, *Salmanticenses* et alii [6].

In hac sententia, quam putamus esse probabiliorem, homo, cui per peccatum lethale mortificata sunt merita praeterita, in actu justificationis tanta merita in esse morali et gratiae recipiet, quanta meruerat in praeterito

---

[1] Cfr. **Ockam,** *In IV Sent.*, q. 9, in fine ad 6 dub.; **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 3, a. 3, dub. 3.

[2] **Suarez,** *Opusc. de reviviscentia meritorum*, disp. 2, sect. 2, n. 17; **Vazquez,** *In I-II*, disp. 221, c. 6.

[3] *In II-II*, q. 24, a. 6, dub. 6.

[4] *In III Sent.*, dist. 31, q. 1, a. 4, quaest. 3 ad 4. Cfr. *III p.*, q. 89, a. 5 ad 3.

[5] *In IV Sent.*, dist. 22, q. un., a. 2.

[6] **Alvarez,** *De auxiliis*, lib. 7, disp. 61; **Salmanticenses,** *De merito*, disp. 5, n. 9 sqq.

et meretur in praesenti, sed in esse physico ea tantum recipiet, quae correspondent praesenti dispositioni.

Ratio hujus doctrinae est, quia actus contritionis est simul dispositio respectu gratiae producendae, et removens prohibens respectu priorum meritorum. Actui contritionis, quatenus disponit animam ad justificationem conferuntur gratia et meritum tam in esse physico quam morali ipsi commensurata; quatenus removet prohibens, devolvitur totum meritum praeteritum in esse morali non in esse physico.

Quando *Angelicus Doctor* loco citato adserit hominem ad pristinum statum nondum restitutum non plenarie recipere effectum priorem meritorum, visus est loqui de receptione meritorum in esse physico.

http://www.obrascatolicas.com

TRACTATUS II

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

SECTIO I

DE FIDE

349. Auctores consulendi. 1) **Symbola:** a) *apostolorum,* **Denz-Bannw.,** 6; b) *nicaeno-cpolitanum,* **Denz-Bannw.,** 54; c) *athanasianum,* **Denz-Bannw.,** 39; d) *Formula* «Fides Damasi»; **Denz-Bannw.,** 15; *Formula* «Libellus in modum Symboli», **Denz-Bannw.,** 19.

2) **Acta conciliorum** in amplissima collectione conciliorum facta a **Mansi.** Confer praesertim Concilium Vaticanum in collectione lacensi.

3) **SS. Patres. Clemens Alexandrinus,** *Stromata,* lib. 5; MG **9,** 12; **S. Gregorius Thaumaturgus,** *Expositio fidei;* MG **10,** 984; **S. Hilarius,** *De fide orientalium;* ML **10,** 479; **S. Joannes Chrysostomus,** *De incomprehensibili;* MG **48,** 701; **S. Ambrosius,** *De fide ad Gratianum;* ML **16,** 549; **S. Augustinus,** *De fide rerum quae non videntur;* ML **40,** 171; *De fide et symbolo;* ML **40,** 181; *De fide et operibus;* ML **40,** 197; *Enchiridion de fide, spe et caritate;* ML **40,** 231; **Vincentius Lirinensis,** *Commonitorium primum;* ML **50,** 637; **S. Cyrillus Alexandrinus,** *De recta fide ad Theodosium;* MG **76,** 1133; *De recta fide ad reginas;* MG **76,** 1201; **S. Fulgentius,** *De fide ad Petrum;* ML **65,** 671; *Pro fide catholica;* ML **65,** 707; **Tajon,** *Sententiarum libri quinque;* ML **80,** 731; **S. Isidorus Hispalensis,** *De fide catholica;* ML **83,** 449; **S. Joannes Damascenus,** *Expositio fidei orthodoxae;* MG **94,** 789; **Alcuinus,** *De fide sanctae et individuae Trinitatis;* ML **101,** 9; **Alanus de Insulis,** *De fide orthodoxa;* ML **210,** 305.

4) **Theologi. Petrus Lombardus,** *III Sent.,* dist. 23 sqq.; **Guliel-mus Parisiensis,** *De fide* (Parisiis, 1516); **Alexander Alensis,** O. M., *Summa theologiae,* p. 3, q. 68 sqq.; **S. Albertus M.,** O. P., *In III Sent.,* dist, 23 sqq.; **S. Thomas,** O. P., *II-II,* q. 1 sqq.; *De veritate,* q. 14; **S. Bonaventura,** O. M., *In III Sent.,* dist. 23 sqq.; **Raymundus Martin,** O. P., *Pugio fidei;* **Scotus,** O. M.; **Durandus,** O. P.; **Bachonus,** O. C.; **Ariminensis,** O. S. A.; **Biel,** O. M.; **Capreolus,** O. P.; etc., *In III Sent.,* dist. 23 sqq.; **Valentia,** S. J., *Analysis fidei catholicae;* et *Commentaria theol., In II-II;* **Banez,** *In II-II,* q. 1 sqq.; **Vazquez,** S. J., *In II-II,* disp. 1 sqq.; **Suarez,** S. J., *De fide;* **Becanus,** S. J., *Summa theologiae,* p. 3, *De virtutibus theo-*

http://www.obrascatolicas.com

logicis; **Lugo,** S. J., *De virtute fidei divinae;* **Philippus a SS. Trinitate,** O. C. Exc., *In II-II,* disp. 1 sqq.; **Salmanticenses,** O. C. Exc., *De fide;* **Gabriel a S. Vincentio,** O. C. Exc., *De fide;* **Andreas a Cruce,** O. C. C., *In II-II,* disp. 1 sqq.; **Josephus a Matre Dei,** O. C. Exc., *Cursus triennalis,* tr. 14, *De fide;* **Waldensis** Thomas, O. C. C., *Doctrinale fidei;* **Gonet,** O. P., *De virtutibus theologicis;* **Billuart,** O. P., *De fide;* **H. Kilber,** S. J. **(Wirceburgenses),** *De fide;* **Mazzella,** S. J., *De virtutibus infusis;* **T. Bouquillon,** *De virtutibus theologicis;* **L. Billot,** S. J., *De virtutibus infusis;* **Schiffini,** S. J., *De virtutibus infusis;* aliique compendiorum auctores non pauci.

5) Similiter consulendi sunt saepe **Denzinger Bannwart,** *Enchiridion symbolorum et definitionum;* **M. F. Rouët de Journel,** S. J., *Enchiridion patristicum;* **Kirch,** S. J., *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae.*

QUAESTIO XVIII

DE NATURA FIDEI

ARTICULUS I

ERRORES CIRCA NATURAM FIDEI

350. I. **Error reformatorum.** Novatores saeculi XVI defendere volentes suum principium fundamentale de sanctificatione hominis per fidem seu fiduciam promissionum Christi, distinxerunt triplicem fidem: 1) *fidem historicam,* qua credimus narrationes Scripturarum; 2) *fidem miraculorum,* qua admittimus miracula Christi; 3) *fidem promissionum,* qua confidimus nobis peccata remitti virtute promissionum Christi [1].

Solam fidem promissionum vocant sanctificantem, quia fides, ut dicunt, non contritio, aut amor, aut spes, est medium seu instrumentum quo Christum recipimus ipsique unimur [2]. Tribus elementis constat: uno *intellectuali,* quod consistit in notitia verae revelationis Dei, qua nobis innotescit Christum saluti hominum satis providisse; altero *affectivo,* quo adsentimus revelationi potestatis Dei et gratiae Jesu Christi, ut applicabilis praesentibus animae necessitatibus; tertio *fiduciali,* quo confidimus in Christum, Dominum et Salvatorem nostrum, cui tradimur ut duci, et quem recipimus ut auctorem vitae spiritualis [3].

351. II. **Error rationalistarum.** Rationalistae crebro loquuntur de *fide religiosa,* sed renuunt eam in sensu catholico admittere. Revelationem divinam omnino rejicientes, negant motivum fidei esse, uti oportet, auctoritatem Dei loquentis. Cum autem tentant rationem propriam fidei explicare, duplicem sequuntur theoriam.

1) *Rationalistae speculativi,* sive biblici vocentur sive philosophici nuncupentur [4], deismo plerumque deflectunt, et «nomine fidei generatim non aliud intelligunt, quam rationalem scientiam rerum ad Deum et ad religionem pertinentium» [5]. Unde docent a) humanam rationem sibi autonomam esse, et ope revelationis naturalis seu manifestationis naturalis a Deo in creatione factae posse religionem sibi comparare; b) religionem etiam christianam, utpote symbolis involutam, esse imperfectam, et paulatim ratione philosophica esse excolendam. Ita fidem explicuerunt *Rousseau, Voltaire, Renan,* et alii rationalistae speculativi [6].

2) *Rationalistae critici,* duce *Kant* atque plaudentibus *Harnack* in Germania et *Augusto Sabatier* in Gallia aliter rem explicare contendunt.

---

[1] *Confessio august.,* a. 4. **Melanchthon,** *Apologia Confessionis aug.,* «Quid sit fides justificans». Cfr. **Katschthaler,** *De gratia,* n. 26.

[2] «We are justified by faith... because faith, and note repentance, or love, or hope, is the medium or instrument by which we receive Christ and are united to him». **Strong,** *Systematic Theology,* vol. 3, ch. 2, sect. 2, IV, n. 6.

[3] Cfr. **Strong,** *Systematic Theology,* vol. 3, ch. 2, sect. 2, III, n. 2.

[4] Cfr. *Theol. fundamentalis,* n. 93.

[5] *Acta et decreta SS. Concilii Vat.,* Adnotationes; *Coll. Lac.,* 7, 527.

[6] **Rousseau,** *Emile sur l'education,* liv. 4; **Voltaire,** *Dictionnaire philosophique,* v. «Religion»; **Renan,** *Vie de Jésus,* ch. 28.

http://www.obrascatolicas.com

a) Ex principio kantiano, quo dicitur hominem non cognoscere *noumena*, seu objectum in se ipso a parte rei exsistens, sed solum *phoenomena* seu repraesentationes subjectivas, deducunt nos non posse Dei exsistentiam scientifice demonstrare, nec scientiam habere de religione, sed Deum veritatesque religiosas, quae mentem latent, nos, nullo praevio mentis judicio, ex quadam necessitate morali et ex interna experientia *corde et affectu sentire*. Hic cordis de Deo rebusque divinis affectus est *fides religiosa*.

b) Dogmata religiosa constant duplici elemento, uno mystico et practico seu religioso, quod ex experientia et pietate Ecclesiae oritur, et est essentiale ac immutabile; altero intellectuali ac theorico, quod est semper accidentale atque mutabile [1].

c) Cum elementum mysticum seu religiosum semper remaneat immutabile, et elementum intellectuale saepe progrediatur, frequenter accidit, ut fides, quae enascitur ex elemento mystico, opponatur scientiae, quae oritur ex elemento intellectuali.

d) Ut fides sit hominibus utilis, ac praesentis vitae necessitatibus respondeat, oportet dogmata semper innovari atque progredi. Ubi autem dogmatum transformatio impeditur seu detinetur, dogmata restant formulae inutiles.

352. III. **Error modernistarum.** Modernistae, studio sacrae Scripturae et artis criticae magnopere dediti, notionem verae philosophiae et fidei non parum pervertunt. Nomina fidei, revelationis, dogmatis ac religionis retinent, sensum omnino subvertunt.

1) *Principia*. Ex duplici procedunt principio, uno negativo, quod est *agnosticismus* in ignoratione positus, et altero positivo, quod vocant *immanentiam vitalem*. Quare motiva credibilitatis et revelatio externa nihil penitus ad rem valent. Revelatio, fides, religio et dogma in homine quaerenda sunt.

2) *Revelatio, fides et religio*. Ubi scientia et historia suum duplicem terminum, nempe adspectabilem mundum et conscientiam attigerint, restat *incognoscibile*. Coram hoc incognoscibili pulsat animum indigentia divini, quae latet infra conscientiam seu in *subconscientia*. Haec porro «indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo secundum fideismi scita praevertente mentis judicio, peculiarem quemdam commovet *sensum:* hic vero divinam ipsam realitatem tum tanquam objectum tum tanquam sui causam intimam, in se implicatam habet, atque hominem quodammodo cum Deo conjungit» [2]. Hic sensus religiosus «qui per vitalem immanentiam ex latebris subconscientiae erumpit» [3], quatenus est experientia et tactus divinae realitatis juxta modernistas est *revelatio;* quatenus adhaeret realitati divinae est *fides;* et quatenus evolvitur in diversas formas una cum progressu humanae vitae est *religio;* adeo ut diversae religiones, quae in mundo sunt, non sint nisi sensus religiosi merae explicationes.

In revelatione igitur, fide et religione, intellectus nihil agit. Solummodo realitas divina in sensu religioso experitur, ac idcirco Deus in ea homini sistit.

3) *Dogma*. Oportet tamen sensum religiosum per intellectum collustrari. Hoc autem homo facit fidem suam *cogitando*, quatenus mens in sensum se inflectit, ac nitidius effert; primo quidem naturali et spontaneo actu exprimit rem sententia quadam simplici et vulgari; deinde «vero reflexe ac penitius, vel, ut ajunt, *cogitationem elaborando*, eloquiturque cogitata secundariis sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quae secundariae sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituent dogma» [4].

Hinc fides in systemate modernistarum est actus conscientiae adhaerentis realitati divinae in intima experientia, et ubi intellectus inflectens se in experientiam elaborat ac profert formulas primarias et secundarias, conficitur dogma.

Formulae tamen secundariae, in quibus consistit *dogma*, a) non exprimunt objectivam Dei realitatem ex objecto apprehensam, sed subjectivam, prout intellectus ex sensu religioso et experientia sibi eam fingit; b) nec continent veritatem absolutam objectivae realitati consonam, sed relativam statui conscientiae respondentem, atque ideo mutationi, evolutioni atque progressui obnoxiam; c) nec offerunt valorem intellectualem sed moralem, non regulam credendi, sed rationem agendi [1].

Formularum ejusmodi non alius est finis, «quam modum suppeditare credenti, quo sibi suae fidei rationem reddat. Quamobrem mediae illae sunt inter credentem ejusque fidem; ad fidem quod attinet, sunt inadaequatae ejus objecti notae, vulgo *symbola* vocitant; ad credentem quod spectat, sunt mera *instrumenta*... Qua *symbola* imagines sunt veritatis, atque idcirco sensui religioso accommodandae, prout hic ad hominem refertur; qua *instrumenta* sunt veritatis vehicula, atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Objectum autem *sensus religiosi*, utpote quod *absoluto* continetur, infinitos habet aspectus, quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis uti potest conditionibus. Ergo et formulas, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet, ac propterea varietati esse obnoxias» [2]. Inde dogmatum perpetua evolutio ac progressus.

ARTICULUS II

VERA FIDEI NOTIO

353. I. **Variae fidei acceptiones.** Multiplex fidei acceptio invenitur in Sacra Scriptura et theologia. Significat

1) *Fidelitatem* seu *veracitatem* juxta illud Apostoli: *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est autem Deus verax* [3]. Hunc sensum exhibet illa notarialis sententia: *Nihil prius fide*. Et hoc pariter sensu dicuntur homines *fidem servare alicui*.

2) *Promissionem*, ut patet ex eodem Apostolo: *Quia primam fidem* (promissionem) *irritam fecerunt* [4].

3) *Fiduciam*, ut constat ex verbis Christi ad S. Petrum: *Modicae fidei, quare dubitasti* [5].

4) *Dictamen conscientiae*, quo dirigimur in agendis: Unde Apostolus ait: *Omne autem quod non est ex fide* (dictamine conscientiae), *peccatum est* [6]. Sic homines, qui bona vel mala conscientia operantur, dicuntur bona vel mala fide agere.

5) Summam veritatum revelatarum juxta illud symboli athanasiani: «Haec est *fides catholica*, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit» [7].

---

[1] **Sabatier,** *Exquise d'une philosophie de la religion d'après la psychologie et l'histoire*, liv. 3, ch. 2, § 2.
[2] Encycl. *Pascendi;* **Denz-Bannw.,** 2074.
[3] Encycl. *Pascendi;* **Denz-Bannw.,** 2077.
[4] Encycl. *Pascendi;* **Denz-Bannw.,** 2078.

[1] Decreto *Lamentabili*, 3 Julii 1907, prop. 26; **Denz-Bannw.,** 2026. Haec propositio videtur excerpta ex Eduardo Le Roy, *Dogme et Critique*, p. 25.
[2] Encycl. *Pascendi;* **Denz-Bannw.,** 2079.
[3] *Rom.*, 3, 3-4.
[4] *I Tim.*, 5, 12.
[5] *Matth.*, 14, 31.
[6] *Rom.*, 14, 23.
[7] **Denz-Bannw.,** 40.

http://www.obrascatolicas.com

6) *Adsensum intellectus firmum, licet obscurum, alicui veritati propter solam dicentis auctoritatem seu testimonium.* Hac fide credimus tres in Deo esse personas, et Filium Dei adsumpsisse humanam naturam.

Cum haec ultima acceptio germanam fidei notionem exprimat, paulo latius explicanda est.

II. Differt ab *opinione* per excessum, quia tollit omnem formidinem de opposito, et a *scientia* per defectum, quia non pertingit ad evidentiam. Ad rem *Angelicus:* «Fides... excedit opinionem in hoc, quod habet firmam inhaesionem, deficit vero a scientia in eo, quod non habet visionem» [1].

III. Fides in genere potest esse 1) *humana,* quae adsentit alicui veritati propter auctoritatem humanam; et 2) *divina,* quae adsentit veritatibus a Deo revelatis propter testimonium Dei revelantis [2].

IV. Fides divina, de qua solummodo hic agimus, potest considerari ut actus et ut habitus: 1) Fides ut actus definitur: *Actus intellectus, quo ex imperio voluntatis per gratiam motae firmiter credimus veritates a Deo revelatas et ab Ecclesia propositas propter auctoritatem Dei revelantis.* Paucis hanc definitionem expressit *Angelicus* dicens: «Actus intellectus adsentientis veritati divinae ex imperio voluntatis, a Deo motae per gratiam» [3]. 2) Fides ut habitus definitur: *Virtus supernaturalis, qua informatus intellectus libere adsentit veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis propter auctoritatem Dei* [4].

Dicitur *ex imperio voluntatis,* quia, cum actus fidei sit omnino liber, oportet, ut, cognito per intellectum Dei testimonio falli vel fallere nescio, voluntas imperet actum adhaesionis. Unde ad credendum requiritur, ut inferius dicemus, pia affectio voluntatis moventis intellectum quoad exercitium.

V. 1) Fides divina in homine justo dicitur *formata* seu *viva,* in homine vero peccatore *informis* seu *mortua,* quia in homine justo elicit actus vitae supernaturalis, non in homine peccatore [5].

2) Qui adsentit veritatibus in se cognitis, habet fidem *explicitam,* ut qui audita explicatione Evangelii credit Jesum Christum esse Filium Dei; qui autem adsentit alicui veritati in se non cognitae sed contentae in alia explicite credita, habet fidem *implicitam,* ut qui, ignorans plura mysteria, profitetur explicite quidquid Deus revelavit hominibus, credit implicite singula mysteria quae ignorat.

---

1 *I-II,* q. 67, a. 3.
2 An detur *fides ecclesiastica,* decidetur inferius.
3 *II-II,* q. 2, a. 9.
4 Cfr. *Concilium Vaticanum,* sess. 3, c. 3; **Denz-Bannw.,** 1789.
5 Cfr. **Guillermus Parisiensis,** *De fide,* fol. 3, col. 4 (ed. Paris, 1516).

QUAESTIO XIX

DE OBJECTO FORMALI FIDEI

ARTICULUS I

TRADUNTUR NOTIONES GENERALES

354. I. Objectum in genere, ut diximus in theologia fundamentali [1], est *id circa-quod versatur habitus vel potentia.* Unde objectum fidei in genere est *id circa quod versatur fides.*

Est *formale* vel *materiale.* Objectum *formale* fidei est id, quod per se et ratione sui fides attingit. *Materiale* dicitur omne, quod fides ratione objecti formalis attingit.

In objecto formali fidei duplex ratio attenditur: 1) ratio formalis *quae* (objectum formale *quod),* seu ratio quam per se et ratione sui respicit fides, et 2) ratio formalis *sub qua* (objectum *quo),* seu ratio formalis qua fides attingit objectum suum formale.

355. II. Revelatio stricte sumpta est veritatis alicujus divinae prius ignotae manifestatio a Deo hominibus facta [2], sed latius dicitur etiam manifestatio cujuslibet veritatis divinae sive notae sive ignotae a Deo hominibus facta. Hoc latiori sensu inspiratio divina proprie dicta aliquando vocatur revelatio, sicut veritates a Spiritu Sancto inspiratae dicuntur revelatae.

III. Revelatio potest esse:

1) *Clara* seu *evidens,* qua Deus clare manifestat aliquas veritates, ut plura, quae revelat sanctis in patria, ubi videbimus Deum, sicuti est; et *obscura* seu *inevidens,* qua Deus ita manifestat aliqua hominibus, ut ea «etiam revelatione tradita et fide suscepta ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant» [3], ut pleraque dogmata ac mysteria hagiographis et apostolis a Deo revelata.

2) *Formalis* et *virtualis.*

Formalis est, qua Deus veritates in se ipsis (sive in proprio conceptu sive aequivalenter) manifestat hominibus, quin necesse sit eas per discursum ex aliis principiis notioribus deducere [4], ut sunt articuli fidei evidenter contenti in S. Scriptura et traditione [5].

Ex formaliter revelatis alia sunt *explicite* alia *implicite* revelata.

Formaliter explicite revelata dicuntur, quae in propriis terminis a Deo manifestata sunt, ut Deum esse unum et trinum. *Formaliter impli-*

---

1 *Theol. fundamentalis,* n. 4.
2 *Theol. fundamentalis,* n. 89.
3 *Concilium Vaticanum,* sess. 3, c. 4; **Denz-Bannw.,** 1796.
4 Hoc non obstat, quominus theologi non parum laborent, ut sensum articulorum fidei adipiscantur.
5 «Ista doctrina, ait **Angelicus,** habet pro principiis primis articulos fidei, qui per lumen fidei infusum per se noti sunt habenti fidem». *In I Sent.,* prol., q. 1, a. 3, quaest. 3, sol. 2 ad 2.

http://www.obrascatolicas.com

cite revelata sunt, quae non in propriis terminis sed aequivalenter a Deo in sua revelatione dicta sunt, ut Christum habuisse voluntatem humanam.

Porro in explicite revelatis potest aliquid implicite revelari:

a) *Ut definitum in definitione* et viceversa. Sic in propositione revelata *Christus est homo,* implicite revelatur: *Christus est animal rationale.*

b) *Ut relativum in correlativo.* Sic in revelatione conceptionis Filii Dei in utero Virginis implicite revelatur maternitas divina beatae Mariae Virginis.

c) *Ut pars in toto.* Unde in revelatione, qua manifestatur Christum esse verum hominem, revelatur implicite Christum habere animam rationalem.

d) *Ut singulare in universali.* Ita in propositione revelata, qua dicitur omnes homines contraxisse peccatum originale, revelatur Petrum peccato originali infectum fuisse.

e) *Ut unum contradictorium in opposito membro contradictionis.* Sic negatio unius est affirmatio alterius contradictionis.

3) *Revelatio virtualis* est quae non manifestat veritatem in se ipsa sed in principiis in quibus includitur [1].

Virtualiter revelata se habent in duplici differentia. Alia enim in explicite revelatis continentur *virtualiter inclusive,* alia *virtualiter connexive.* Continentur virtualiter *inclusive* ea, quae pertinent ad essentiam veritatis revelatae, saltem ut proprietas metaphysica ejusdem, ut aeternitas est proprietas essentialis entis immobilis. Continentur virtualiter *connexive* ea, quae tanquam proprietates physicae realiter distinctae ab essentia veritatis revelatae connectuntur cum ea.

4) Revelatio virtualis non est species distincta a formali, sed ipsamet revelatio formalis alicujus veritatis dicitur virtualis respectu aliarum veritatum, quae in ea sunt et ex ea deducuntur.

Quare revelatio formalis merito vocatur *immediata,* et revelatio virtualis appellatur *mediata,* adeo ut theologis idem sonent formaliter et immediate revelata, sicut idem sonant virtualiter et mediate revelata.

5) Ex his habemus alia esse a Deo revelata *formaliter explicite,* alia *formaliter implicite,* alia *virtualiter inclusive* et alia *virtualiter connexive.*

ARTICULUS II

QUOD SIT OBJECTUM FORMALE FIDEI

356. Theologorum placita. I. Satis communiter docent theologi objectum formale *quod* fidei esse Deum ipsum, quatenus est prima veritas in essendo [2].

II. Quoad objectum formale *quo* fidei sequentes invenio opiniones:

1) *Gulielmus Parisiensis,* qui in materia fidei ac virtutum, necnon in rebus de universo, magnam adeptus est auctoritatem, docuit objectum formale *quo* fidei esse *supremum Dei dominium,* nosque ei credere ex virtute obedientiae. «Obediendum igitur est, ait, ex necessitate in credendo, et obedientiae debitor est intellectus humanus quantum ad operationem istam credendi» [1].

2) *Ripalda* contendit Deum in essendo seu divinitatem posse aliquando esse objectum formale *quo* fidei [2].

3) Multo communius tenent doctores objectum formale *quo* fidei esse auctoritatem Dei revelantis.

[1] Cfr. **Salmanticenses,** *De fide,* disp. 1, n. 103.
[2] Cfr. **Banez,** *In II-II,* q. 1, a. 1, concl. 7.

357. THESIS I. **Objectum formale «quod» fidei divinae est Deus, quatenus est veritas prima.**

Nota. Deus dicitur veritas prima tripliciter; *in essendo, in cognoscendo,* et *in dicendo.* Vocatur veritas prima *in essendo* «deitas ipsa, prout diversa est a deitate falsa» [3]; *in cognoscendo* infinita Dei sapientia falli nescia; *in dicendo* summa Dei veracitas mentiri item nescia [4].

Deus ut prima veritas in essendo, seu quatenus est ipsa sua essentia, Deus verus, dicitur objectum formale *quod* fidei divinae.

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Nihil, ait *Angelicus,* cadit sub fide nisi in ordine ad Deum... In fide si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas prima» [5]. Cum fides sit virtus intellectualis, apposite hic dicitur objectum formale *quod* fidei divinae esse aliquid ad intellectum pertinens, nempe Deus, ut est veritas prima in essendo [6].

2) *Ex ratione.* Objectum formale *quod* cujuslibet habitus vel facultatis est id, quod habitus vel facultas principaliter attingit in suo objecto, seu ratio formalis, quam habitus respicit in suo objecto materiali. Sed Deus, quatenus est veritas prima in essendo, est ratio formalis, quam fides respicit in suo objecto materiali. Ergo.

358. THESIS II. **Auctoritas Dei revelantis, quae ex infinita Dei sapientia in cognoscendo et ex summa ejus veracitate in dicendo coalescit, est objectum formale «quo» fidei divinae** [7].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes haec habet: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* [8]. Est quasi diceret: Si testimonio hominum adest auctoritas sufficiens, ut adsensum nostrum extorqueat, majorem habet auctoritatem testimonium Dei, ut fidem nostram mereatur. Unde Christus lamentabatur in Evangelio dicens: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* [9]. Rursum: *Qui de caelo venit* (Christus), *super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur: et*

[1] *De fide,* c. 1, fol. 2, col. 2 (ed. Paris, 1516).
[2] *De fide divina,* disp. 2, sect. 11, n. 101; et sect. 12, n. 110.
[3] **Joseph a Spiritu S.,** *Cursus theol. myst. schol.,* vol. 1, d. 1, n. 54.
[4] Cfr. **Billuart,** *De fide,* diss. 1, a. 1.
[5] *II-II,* q. 1, a. 1.
[6] Cfr. **Philippus a SS. Trinit.,** *De fide,* disp. 1, dub. 1.
[7] Aliqui docuerunt auctoritatem Dei revelantis importare rationem praeceptoris, aperientis sensum doctrinae discipulis, sed ad hoc satis esse puto, ut Deus qua testis veritatis, quam cognoscit, testimonium ferat per revelationem.
[8] *I Joan.,* 5, 9.
[9] *Joan.,* 8, 46.

http://www.obrascatolicas.com

testimonium ejus nemo accipit. Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est [1]. Haec verba clare innuunt auctoritatem Dei testantis seu revelantis esse rationem formalem, ob quam testimonio Dei fidem adhibemus.

2) *Ex Concilio Vaticano.* Patres Concilii Vaticani diserte hanc veritatem tradiderunt dicentes: «Ab eo (Deo) revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest» [2]. Deinde solemnem definitionem ediderunt his verbis: *Si quis dixerit... ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur, a. s.* [3].

Merito hic animadvertunt theologi recentiores per hanc Concilii Vaticani definitionem directe damnari errores rationalistarum et semirationalistarum circa motivum fidei divinae [4].

3) *Ex SS. Patribus. S. Leo M.:* «Divina est auctoritas, cui credimus, divina est doctrina, quam sequimur» [5].

4) *Ex auctoritate theologorum. S. Thomas:* «Ipsum autem testimonium veritatis primae se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis» [6]. *Cano:* «Ex parte objecti ratio formalis movens est divina veritas revelans» [7].

5) *Ex ratione.* Objectum formale *quo* cujuslibet habitus est ratio formalis, propter quam talis habitus attingit suum objectum formale *quod*. Sed ratio formalis, propter quam fides divina attingit suum objectum formale *quod* seu primam veritatem in essendo, est auctoritas Dei revelantis. Ergo objectum formale *quo* fidei divinae est auctoritas Dei revelantis. Res quippe divinas credimus, quia Deus illas revelavit.

359. Corollarium I. Auctoritas Dei revelantis dogmata et mysteria fidei non est auctoritas in jubendo ad modum auctoritatis eorum, qui in humanis exercent jurisdictionem, sed auctoritas *in dicendo* et *testificando* ob eminentiam et veracitatem Dei, cujus dictis deferimus. Hujus auctoritatis imperfecta similitudo habetur in homine gravi, qui, nihil jubens sed facta referens, magnam sibi conciliat auctoritatem. Deus igitur falli nescius seu summa veritas in cognoscendo, cum revelat ea, quae sibi nota sunt, est veritas in dicendo, et summa auctoritate pollet, ut ejus dictis libenter adsentiamus. Unde Concilium Vaticanum diserte docet nos revelata vera esse credere «propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui *nec falli* (propter infinitam sapientiam in cognoscendo) *nec fallere* (propter summam veracitatem in dicendo) potest» [8].

360. Coroll. II. Auctoritas tamen Dei in hac materia non est consideranda seorsim a revelatione saltem activa seu actione, qua Deus suam cognitionem ordinat ad homines, quia auctoritas in dicendo,

[1] *Joan.*, 3, 31-33.
[2] *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.**, 1789.
[3] *Sess.* 3, can. 2; **Denz-Bannw.**, 1811.
[4] Cfr. Schema Patrum in eodem concilio; *Coll. Lac.*, 7, p. 527.
[5] *Serm.* 27 (7 in Nat. Dom.), c. 1; ML **54**, 216.
[6] *De veritate*, q. 14, a. 8 ad 16.
[7] *De locis theol.*, lib. 2, c. 8, § «His vero tribus».
[8] *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.**, 1789.

supposita sapientia revelantis, manifestatur in dictione, et secum fert revelationem seu testimonium dicentis, adeo ut revelatio activa sit ipsa divina substantia et includatur in auctoritate. «Ratione revelationis activae, ait *Cajetanus*, ponitur revelatio objectum formale fidei, et dicere seu revelare in Do ponit actionem, quae est substantia Dei» [1]. Quare, non auctoritas Dei absolute, sed auctoritas Dei revelantis et testificantis dicitur ratio formalis *sub qua* fidei divinae.

Revelatio passiva, quae importat signa externa veritatem divinam manifestantia, videtur esse conditio tantum, ut revelatio divina nobis innotescat [2].

ARTICULUS III

AN MOTIVA CREDIBILITATIS, VEL PROPOSITIO ECCLESIAE, VEL QUID ALIUD, SPECTENT AD NATURAM OBJECTI FORMALIS «QUO» FIDEI DIVINAE

361. Status quaestionis. Discutere hic oportet, an motiva credibilitatis, quae miraculis et prophetiis potissimum constant, propositio Ecclesiae et alia hujusmodi ingrediantur ut partes saltem essentiales in constitutivo objecti formalis fidei.

362. Theologorum placita. 1) Cl. *Lugo* defendit objectum formale *quo* fidei divinae constare auctoritate Dei revelantis, facto revelationis et motivis credibilitatis, non in se consideratis, sed integrantibus revelationem. «Ex dictis, ait ille, infero primo haec omnia motiva extrinseca, prout mihi hic et nunc proponuntur, esse partim *rationem formalem* fidei, saltem partialem, partim vero *conditionem*. Sunt quidem *ratio formalis*, quia ex his omnibus, ut mihi proponuntur, integratur hic et nunc locutio mediata Dei mihi facta, propter quam credo. Nam licet ego non credam incarnationem propter testimonium hominum, considerando illud prout praecise ab ipsis hominibus habet auctoritatem; caeterum credo incarnationem propter idem materiale testimonium hominum consideratum, ut est signum aut nutus saltem partialis, quo Deus mihi mediate proponit mysterium incarnationis, et prout integrat hoc, quod est hanc doctrinam proponi mihi ex parte Dei» [3].

2) *Sylvester Maurus* tenet ad adsensum fidei theologicae requiri internam illuminationem et locutionem Spiritus Sancti, ut objectum formale vel ut complementum objecti formalis [4].

3) Aliqui dixerunt auctoritatem Ecclesiae proponentis nobis revelata, si consideretur ut continuatio quaedam revelationis divinae, esse de ratione objecti formalis *quo* fidei.

363. THESIS I. **Motiva credibilitatis, propositio Ecclesiae, aliaque motiva creata nullatenus spectant ad naturam objecti formalis «quo» fidei divinae.**

Arg. 1) Objectum formale *quo* fidei divinae, utpote specificans fidem supernaturalem, oportet esse motivum supernaturale. Motiva

[1] *In II-II*, q. 1, a. 1, § «Et ad objectionem».
[2] Cfr. **Billot**, *De fide*, th. 9, § 2; **Van Noort**, *De fide*, n. 188. Attamen **Gabriel a S. Vincentio**, *De fide*, disp. 1, n. 36, defendit revelationem passivam esse objectum formale *quo* fidei divinae; et ex recentioribus **Sola**, *De fide*, n. 701, contendit revelationem, quae ad objectum formale fidei spectat, esse activam simul et passivam.
[3] *De virtute fidei divinae*, disp. 1, sect. 7, n. 130.
[4] *Opus theol.*, lib. 7, q. 115, n. 6.

http://www.obrascatolicas.com

autem credibilitatis, propositio Ecclesiae, aliaeque rationes creatae non sunt ex natura sua supernaturalia. Ergo.

2) Formalitas specifica actus fidei divinae desumpta ab ejus objecto formali *quo* est adhaerere veritatibus revelatis ob solum testimonium Dei infallibilis et veracis. Ergo motiva credibilitatis, propositio Ecclesiae, aliaque fundamenta creata, quibus sive ducimur in cognitionem veracitatis Dei, sive instruimur de facto revelationis divinae, etc., non sunt de essentia objecti formalis *quo* fidei divinae, sed ad summum conditiones praeviae ad actum fidei.

364. Corollarium. Verba *Lugonis* supra relata non probant motiva et signa extrinseca, prout nobis proponuntur, esse de constitutivo objecti formalis *quo* fidei divinae, quia etiamsi considerentur ut signa et nutus, quibus Deus mediate nobis proponit mysteria, sunt aliquid creatum, et non integrant revelationem seu dictionem Dei ad homines.

«Sic igitur, ait *S. Thomas*, in fide, si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, adsentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinae fides innititur tanquam medio» [1].

365. THESIS II. **Sola auctoritas Dei revelantis sine ulla propositione Ecclesiae est objectum formale «quo» fidei divinae pro iis, qui immediate a Deo acceperunt revelationem.**

Ratio est, quia prophetis et apostolis, qui immediate a Deo acceperunt revelationem, evidenter constitit per lumen propheticum Deum ipsis loqui. Unde sola manifestatio a Deo facta sine ulla propositione Ecclesiae certe et infallibiliter applicatur eis ut objectum formale *quo* fidei divinae. *Habemus*, inquit S. Petrus, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco* [2].

Dilucide ad rem *Cajetanus:* «In primis Patribus, quibus revelata sunt mysteria fidei, non erat opus hac regula (propositione Ecclesiae), eadem ratione, quia scilicet Deus per se ipsum revelavit haec, et intellectum eorum illis tradidit, illustrando mentem» [3].

Joannes a S. Thoma: «Si autem Deus etiam nobis immediate proponeret ea, quae credenda sunt, non est dubium, quod nulla indigeremus regula visibili proponente, sed certificaremur immediate ab ipso spiritu Dei de materia proposita ad credendum, sicut apostoli et prophetae edocti sunt, qui non ab Ecclesia acceperunt, sed ipsi potius tradiderunt Ecclesiae res fidei» [4].

---

[1] *II-II*, q. 1, a. 1.
[2] *II Petr.*, 1, 19.
[3] *In II-II*, q. 1, a. 1. «Ad tertium dubium».
[4] *In II-II*, disp. 7; *De auctoritate Summi Pontificis*, Prooem.

366. THESIS III. **Propositio Ecclesiae, licet non spectet ad rationem objecti formalis «quo» fidei divinae, est tamen conditio sine qua non, ut adsensus intellectus nostri sit actus fidei divinae, adeo ut testimonium Dei revelantis non specificet actum fidei divinae in nobis, nisi infallibiliter applicetur per Ecclesiae declarationem.**

Nota. Plures recentiores theologi, *Vazquezium*, *Suarezium* et *Ripaldam* sequuti [1], docent actum, quo credimus veritates a Deo revelatas sed nondum ab Ecclesia propositas, elici ab habitu fidei divinae; et actum, quo credimus veritates a Deo revelatas atque ab Ecclesia propositas, elici ab habitu fidei catholicae [2].

Satius tamen dicendum videtur actum intellectus, quo adhaeremus veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia nondum propositis, non elici per habitum fidei divinae, sed per habitum scientiae theologicae in sapientibus, qui illam veritatem ex principiis educere sciunt, et per habitum fidei humanae acquisitae in fidelibus, qui illam theologice probare non valent.

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Species cujuslibet habitus, ait *Angelicus*, dependet ex formali ratione objecti, qua sublata, species habitus remanere non potest. Formale autem objectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris et doctrina Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima. Unde quicumque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei; sed ea, quae sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem» [3].

2) *Ex ratione.* Ut adsensus intellectus nostri eliciatur per habitum fidei, opus est, ut testimonium Dei revelantis certo et infallibiliter nobis applicetur et innotescat. Sine hac enim infallibili testimonii Dei applicatione et notitia nequit haberi adsensus firmus. Haec autem infallibilis testimonii Dei applicatio fieri nequit nec ejus certa notitia haberi nisi per lumen propheticum in iis, qui immediate a Deo illustrantur, et per propositionem Ecclesiae in reliquis catholicis, qui mediate revelationem Dei accipiunt.

Minorem hujus argumenti generatim tenuerunt veteres thomistae.

Joannes a S. Thoma: «Si vero aliquis feratur in rem illam (revelatam) absolute, et *non supponendo illam conditionem, quod est definita vere ab Ecclesia catholica, non credit fide infusa sed acquisita*» [4].

Salmanticenses dilucide exponunt hanc doctrinam dicentes: «Ut adsensus fidei certus et firmus evadat, ac subinde possit a fide theologica elici, opus est, quod Dei testimonium certo et infallibiliter applicetur...

---

[1] **Vazquez,** *In I p.*, a. 2, disp. 5, n. 8; **Suarez,** *De fide*, disp. 3, sect. 10, n. 10; et sect. 11, n. 5; **Ripalda,** *De fide*, disp. 6, n. 32.

[2] «Fieri aliquando potest, ait **Franzelin,** ut licet veritas, de cujus theologica demonstratione quaeritur, nondum sit sufficienter in catholica fide proposita, illis tamen, qui argumentorum vim perspicere valent, ex diligenti examine sive Scripturae sive traditionis certo constet eam veritatem contineri in revelato Dei verbo. Hoc posito, argumenta, quae demonstrant veritatem contentam in revelatione, pro illis sufficiens sunt applicatio et propositio revelationis ad adsensum fidei *divinae* eliciendum». *De Deo uno*, Prolegomenon 3, De nexu et discrimine, II, 1, c).

[3] *II-II*, q. 5, a. 3.

[4] *De fide*, disp. 2, a. 4, part. 2, solv. arg. n. 3.

http://www.obrascatolicas.com

Porro, quod haec applicatio sit certa et infallibilis, dupliciter contingere potest: *uno modo*, per hoc quod homo evidenter cognoscat divinam revelationem seu *Deum sibi loqui*, ut contingebat in prophetis et his, qui notitiam mysteriorum fidei immediate a Deo acceperunt: *altero modo*, quatenus praedicta revelatio adseritur et applicatur per regulam infallibilem ad hoc a Deo constitutam, quae est Ecclesia. Unde motivum formale fidei theologicae *respectu nostri* est testimonium Dei propositum et applicatum per Ecclesiam; ita ut praedictum testimonium sit ratio formalis credendi; propositio vero Ecclesiae seu applicatio per Ecclesiam facta sit *conditio necessaria*, ut praedictum testimonium *infallibiliter applicetur*» [1].

Valentia: «Ostendimus enim primo non sufficere ipsam per se divinam revelationem, ut fidei objectum per veram et christianam fidem credatur; sed praeterea exstare infallibilem aliquam auctoritatem, magistram et judicem fidei, per quam oporteat fidelibus proponi objecta fidei tanquam a Deo revelata, et ideo credenda». *In II-II*, disp. 1, q. 1, p. 7, § 47, «Atque».

Theologus igitur, qui non applicat testimonium Dei sive lumine prophetico sive propositione Ecclesiae, non accipit auctoritatem Dei infallibiliter, sed per scientiam vel per fidem humanam acquisitam.

Consulendi sunt omnino in hac materia *Cajetanus, Cano, Banez, Gonet* et *Marin* [2].

Ex hoc intelligitur dictum *S. Augustini:* «Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas» [3]. *Doctor hipponensis* his verbis: «Certe se affirmat non aliter potuisse adduci, ut Evangelium amplecteretur, nisi Ecclesiae auctoritate victum» [4].

367. Corollarium. Haec omnia certe probant Ecclesiam catholicam esse unicam regulam, qua nobis veritates revelatae innotescunt, et discernuntur a non revelatis.

Protestantes tum veteres tum recentiores docent regulam credendorum esse vel ipsam sacram Scripturam, vel singulorum spiritum privatum, vel etiam afflatum Spiritus Sancti, sed vehementer errant.

Regula siquidem discernendi revelata a non revelatis debet esse incorruptibilis, uniformis ac certa. Sed regulae a protestantibus excogitatae non sunt incorruptibiles, uniformes ac certae. Sacrae siquidem Scripturae non semel corruptae sunt ab haereticis et ab ipsis protestantibus, spiritus privatus non idem dictat singulis novatoribus, et raro nobis constat Spiritum Sanctum nobis afflare.

At Ecclesia sub promissa Spiritus Sancti adsistentia est certa regula et organon authenticum discernendi veritates revelatas a non revelatis.

---

[1] *De fide*, disp. 8, n. 32.

[2] **Cajetanus,** *In II-II*, q. 1, a. 1; et q. 5, a. 3; **Cano,** *De locis*, lib. 2, c. 8; **Banez,** *In II-II*, q. 1, a. 1, dub. 4; **Gonet,** *De fide*, disp. 1, n. 53; **Marín,** *La evolución homogénea del dogma católico*, n. 149 sqq.

[3] *Contra ep. Manichaei*, c. 5, n. 6; ML **42,** 176.

[4] **Cano,** *De locis theologicis*, lib. 2, c. 8.

QUAESTIO XX

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI DIVINAE

ARTICULUS I

UTRUM OMNIS VERITAS A DEO FORMALITER REVELATA PERTINEAT AD OBJECTUM MATERIALE FIDEI DIVINAE

368. Status quaestionis. 1) Revelationem hic late sumimus, prout significat omnem manifestationem veritatis a Deo factam vel quamlibet locutionem divinam.

2) Objectum materiale fidei divinae potest considerari a) *quoad se*, quatenus importat ea, quae sunt credenda; et b) *quoad nos*, quatenus complectitur omnes conditiones, quae requiruntur, ut fides nostra sit divina. Prius de objecto materiali fidei divinae quoad se, et deinde de eodem objecto quoad nos loquemur.

3) Veritates a Deo formaliter revelatae sunt in duplici differentia, ut jam diximus in theologia fundamentali, n. 9, et *De fide*, n. 355. Aliae sunt formaliter *explicite*, aliae formaliter *implicite* revelatae, quarum explicatio ex supra dictis constat.

4) Quaeritur hic, an omnes veritates formaliter, sive explicite sive implicite, a Deo revelatae, pertineant ad objectum materiale fidei divinae.

369. Errores. 1) Protestantes generatim, fide promissionum de remissione peccatorum contenti, nihil dicunt ad fidem salutarem requiri, nisi fiduciam, qua quisque confidit peccata esse sibi remissa propter merita Christi [1].

2) *Jurieu*, calvinista saeculi XIX, atque exinde protestantes recentiores, distinguunt inter articulos fundamentales et non fundamentales, et dicunt articulos fundamentales solummodo ad objectum materiale fidei divinae pertinere. Si tamen quaeras ab eis, quot sint articuli fundamentales, tot invenies opiniones quot capita.

3) *Indifferentistae* et eorum affines *latitudinaristae*, qui defendunt homini fas esse quam libuerit religionem amplecti ac profiteri, objectum materiale fidei divinae plus aequo reducunt [2].

370. THESIS I. **Omnes veritates formaliter explicite a Deo revelatae spectant ad objectum materiale fidei divinae.**

Arg. 1) *Ex Concilio Vaticano.* «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur» [3].

---

[1] Cfr. **Lutherus,** *Comment. ad c. 2 ad Galatas*, § «Nos autem».

[2] Cfr. *Syllabus Pii PP. IX*, prop. 15-18; **Denz-Bannw.,** 1715-1718; et **Benoit,** *La ciudad anticristiana*, t. 2, p. 134 sqq.

[3] *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.,** 1792.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex SS. Patribus. S. Phoebadius:* «Nihil enim periculosius his haereticis (arianis) esse potest, qui cum integre per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem dominicae et exinde apostolicae traditionis inficiunt» [1].

3) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* «Cujuslibet cognoscitivi habitus objectum duo habet, scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale objectum, et id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio objecti. Sicut in scientia geometriae materialiter scita sunt conclusiones, formalis vero ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quae conclusiones cognoscuntur» [2]. Ex hoc sequitur objectum materiale fidei divinae esse omne id, quod cadit sub ratione formali fidei. Cum autem ratio formalis fidei divinae sit auctoritas Dei revelantis, oportet omne revelatum esse objectum materiale fidei. Hac ratione dicetur inferius haereticum in uno esse haereticum in omnibus, quia destruit rationem formalem fidei divinae, quae est auctoritas Dei revelantis.

371. THESIS II. **Omnes veritates formaliter implicite a Deo revelatae pertinent ad objectum materiale fidei divinae et sunt definibiles ab Ecclesia.**

Arg. 1) *Ex doctrina S. Thomae. S. Thomas* et veteres theologi crebro docuerunt plures veritates formaliter a Deo revelatas implicite contineri in fontibus revelationis, et ad Ecclesiam spectare eas exponere, declarare, ac manifestare. Hoc autem facit Ecclesia, cum sensum propositionis exponit, quia exponere, declarare ac manifestare doctrinam est sensum propositionis reconditum determinare et implicitum explicare, relinquendo veritates in eadem conditione et natura. Unde doctrina, quae fuit a Deo formaliter implicite revelata, est quoad se materia fidei divinae. Ad rem Concilium Vaticanum: «Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda» [3].

2) *Ex ratione fundamentali.* Omnes veritates formaliter implicite revelatae sunt verbum ac testimonium Dei ad nostram instructionem prolatum. Ergo sunt objectum materiale fidei divinae. Deus siquidem revelans aliquid explicite non limitatur ad expressam verborum significationem, sed vult similiter manifestare ea, quae in ipso aequivalenter continentur, ut sunt singularia in universali, partes in toto, etc. Unde dicendum est propositiones implicite seu aequivalenter contentas in fonte revelationis esse formaliter a Deo revelatas et ab Ecclesia definibiles.

Has cum Ecclesia proponit, determinatur sensus dogmatum, et roboratur fides credentium. Non enim omnium, quae Deus revelavit formaliter implicite, semper patefit nobis sensus, sed interdum requiritur, ut ab Ecclesia declaretur.

[1] *De fide orthodoxa*, c. 1; ML **20**, 34.
[2] *II-II*, q. 1, a. 1.
[3] *Sess.* 3, c. 4; **Denz-Bannw.**, 1800.

372. Corollarium. Formaliter implicite a Deo revelata sunt, et ad objectum materiale fidei divinae pertinent sequentia:

1) *Christum esse animal rationale,* quia implicite revelatum est in propositione: *Christus est homo;* sicut definitum in definitione.

2) *Beatissimam Virginem Mariam esse Matrem Dei* ex revelata veritate: *Verbum caro factum est in utero Virginis;* ut relativum in correlativo.

3) *Christum habere animam rationalem,* quia implicite continetur ut pars in toto in veritate revelata: *Christus est homo.*

4) *Petrum contraxisse peccatum originale,* quia implicite continetur ut singulare in universali propositione revelata: *Omnes, excepta beata Virgine Maria, in Adam peccaverunt.*

5) *Doctrinam Arii circa divinitatem Filii esse haereticam* ex negatione contradictorii, quod est de fide.

ARTICULUS II

UTRUM ALIQUAE PROPOSITIONES PARTICULARES, QUAE IN PRAEMISSA UNIVERSALI FORMALITER REVELATA CONTINENTUR, ET PER APPLICATIONEM ALTERIUS PRAEMISSAE COLLIGUNTUR, SINT OBJECTUM MATERIALE FIDEI DIVINAE

373. Status quaestionis. Diximus superius propositiones particulares, quae in alia universali de fide continentur, esse objectum materiale fidei divinae, quia sunt formaliter implicite revelatae. Hac ratione certum est Petrum, Paulum, Joannem, etc., contraxisse peccatum originale, quia continentur in propositione universali: *Omnes homines in Adam peccaverunt.*

Sed sunt aliquae propositiones particulares contentae in alia universali etiam revelata, quae dependent a facto seu conditione aliqua.

Si de impletione conditionis non constet, propositio particularis nequit esse objectum fidei. Sic propositiones: *Haec hostia continet corpus Christi: hic infans recens baptizatus est in gratia:* dependent a conditionibus consecrationis hostiae et validae administrationis baptismi, quae nobis non constant, et idcirco propositiones non sunt de objecto materiali fidei.

Aliquando certo constat conditiones adimpleri. Sic propositiones: *Pius PP. XI est Ecclesiae Summus Pontifex: Concilium Vaticanum fuit in rebus fidei et morum infallibile:* dependent a conditionibus validae electionis Papae et legitimae celebrationis concilii, quae revera constant. Ad rem *Cano:* «Quod vero ille, quem Christus, mortuo Petro, suffecit, Romanus fuerit Episcopus, e re gesta colligitur». «Quod Concilium Nicaenum, Chalcedonense, Ephesinum legitime fuerint coacta ex divina revelatione non creditur, creditur tamen ex humana fide, et traditione historiae fide dignae» [1]. *Banez* et alii similia habent.

[1] *De locis theol.*, lib. 6, c. 8 ad 10; «Deinde», «Sed et id postremo».

http://www.obrascatolicas.com

374. Placita theologorum. 1) *Turrecremata* has propositiones vocat sapientes veritatem catholicam [1].

2) Juxta alios hae propositiones: *Pius XI est summus Ecclesiae Pontifex: Concilium Vaticanum fuit in rebus fidei et morum definiendis infallibile:* sunt objectum materiale fidei divinae. Ita *Suarez, Valentia, Joannes a S. Thoma, Gonet, Dominicus a SS. Trinitate, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses, Van Noort* et alii [2].

375. THESIS. **Propositiones, de quibus agimus, sunt objectum materiale fidei divinae.**

Ratio fundamentalis, cui haec doctrina innititur, est, quia praefatae propositiones continentur in aliis propositionibus universalibus formaliter a Deo pro Ecclesia catholica revelatis, sicut particulares in universalibus. Propositiones siquidem: *Omnis homo rite electus in successorem S. Petri in Primatu Ecclesiae est Summus Ecclesiae Pontifex: Omne Concilium generale legitime convocatum ac celebratum et ab Ecclesia approbatum est infallibile:* sunt formaliter a Deo revelatae. Facta autem, ex quibus pendet veritas propositionum particularium, cum certe adimpleta sint, applicant doctrinam revelatam praemissae majoris ad conclusionem, quae vicissim resultat revelata. Electio Pontificis ab Ecclesia facta, approbata atque recepta, sine dubio valida est, sicut Concilium generale jussu Romani Pontificis convocatum, praesentia omnium episcoporum celebratum et auctoritate Romani Pontificis approbatum, est certe legitimum. Unde propositiones hujusmodi sunt formaliter implicite revelatae et constituunt objectum materiale fidei divinae [3].

ARTICULUS III

UTRUM VERITATES VIRTUALITER A DEO REVELATAE SINT OBJECTUM MATERIALE FIDEI DIVINAE ET AB ECCLESIA DEFINIBILES

376. Status quaestionis. 1) Quaestiones maximi momenti, quae totam theologiam transcendunt, suscipimus discutiendas in hoc articulo et sequentibus. Ad majorem claritatem plura repetemus ex his, quae dicta sunt in theologia fundamentali.

2) Veritates virtualiter revelatae sunt, ut alibi diximus, quae in se nec explicite nec implicite seu aequivalenter a Deo manifestatae sunt, bene tamen in alio, quatenus continentur in aliis veritatibus formaliter a Deo revelatis sicut proprietates in essentia et effectus in causa.

3) Porro dupliciter potest aliqua doctrina contineri in veritate formaliter revelata: a) *Inclusive,* ut proprietas metaphysica et necessaria

---

[1] *Summa*, lib. 4, p. 2, c. 9.

[2] **Suarez,** *De fide*, disp. 10, sect. 5; **Valentia,** *In II-II*, disp. 1, q. 1, p. 7, § 38; **Joannes a S. Thoma,** *In II-II*, disp. 8, a. 2 ad ult.; **Gonet,** *De fide*, disp. 4, a. 4, n. 117; **Dominicus a SS. Trinitate,** *Bibliotheca theologica*, lib. 3, sect. 4, c. 10; **Philippus a SS. Trinitate,** *De fide*, disp. 1, dub. 5; **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 4, n. 33; **Van Noort,** *De fide divina*, n. 200.

[3] Cfr. quae dicta sunt de factis dogmaticis in *Theologia fundamentali*, n. 483.

ipsius veritatis revelatae. Sic in propositione revelata: *Deus est ipsum esse:* necessario continetur aeternitas Dei tanquam proprietas metaphysica ipsius esse ex se subsistentis. b) *Connexive,* ut proprietas physica veritatis revelatae. Sic in propositione revelata: *Christus est homo,* continetur risibilitas actualis Christi tanquam proprietas physica hominis.

Cum proprietates metaphysicae ac necessariae non distinguantur realiter ab ipsa essentia rei revelatae, pronum est veritates, quae exprimunt hujusmodi proprietates, esse satis revelatas a Deo, ut dicantur verbum Dei. Quis enim ambigat, revelata essentia Dei metaphysica, quae est ipsum esse, satis revelari spiritualitatem, simplicitatem, intelligibilitatem, etc., tanquam proprietates metaphysicas ipsius essentiae divinae? Certe, quamvis ulterius non daretur harum proprietatum Dei explicita revelatio, ex hoc ipso essent virtualiter revelatae.

E contra, cum proprietates physicae realiter distinguantur ab essentia, propositiones, quae eas exprimunt, sunt contingentes, et veritas earum, si qua sit, nullatenus potest dici virtualiter revelata.

4) Ex hoc compertum est unam eamdemque veritatem posse esse aliquando revelatam virtualiter in alio et formaliter in se, ut sunt omnes proprietates metaphysicae doctrinae revelatae, quae vicissim in se formaliter revelantur. Sic attributa Dei sunt virtualiter revelata in revelatione essentiae divinae, in qua continentur tanquam in radice, et deinceps a Deo revelatae sunt formaliter, ut videre est in immensitate, immutabilitate, et aeternitate Dei.

377. Quaestio dilucidanda. 1) Certum est veritates virtualiter in alio revelatas, quae vicissim a Deo formaliter revelatae sunt, esse objectum materiale fidei divinae, et posse ab Ecclesia definiri de fide.

2) Veritates e contra quae exprimunt proprietates physicas doctrinae revelatae, quamvis contineantur in doctrina revelata tanquam proprietates physicae, cum sint ex natura sua contingentes non necessariae, nequeunt esse objectum materiale fidei divinae nec definibiles ab Ecclesia.

3) Dilucidandum est, an veritates, quae exprimunt proprietates metaphysicas ac necessarias doctrinae formaliter a Deo revelatae, quaeque, licet in se revelatae non fuerint, continentur tamen inclusive in doctrina formaliter revelata et dicuntur virtualiter inclusive revelatae, sint objectum materiale fidei divinae et definibiles ab Ecclesia.

378. Placita theologorum. Ex defectuosa praesertim quaestionis expositione exorta est non parva confusio in hac materia inter theologos.

1) Aliqui dixerunt veritates virtualiter identice revelatas esse de fide; virtualiter autem connexive revelatas non esse de fide ante definitionem Ecclesiae, bene tamen post Ecclesiae definitionem. Ita diversa ducti ratione docuerunt *Suarez* et *Lugo* [1].

2) Alii contendunt veritates virtualiter tantum revelatas non esse objectum materiale fidei divinae nec definibiles ab Ecclesia, ut de fide divina credendas. Volunt tamen eas, si a magisterio infallibili Ecclesiae aliquando definiantur, esse fide ecclesiastica credendas. Ita *Van Noort, Garrigou-Lagrange, Schultes* et alii [2].

---

[1] **Suarez,** *De fide*, disp. 3, sect. 11, n. 11; **Lugo,** *De virtute fidei divinae*, disp. 1, n. 275.

[2] **Van Noort,** *De fide*, n. 196; **Garrigou-Lagrange,** *De revelatione*, Proleg., c. 1,

http://www.obrascatolicas.com

3) Alii denique defendunt veritates virtualiter inclusive tantum in aliis veritatibus revelatas pertinere ad objectum materiale fidei, et esse ab Ecclesia definibiles tanquam de fide catholica credendas. Ita *Cano, Banez, Philippus a SS. Trinitate, Marin* et alii [1].

379. THESIS I. **Veritates, quae exprimunt proprietates physicas doctrinae revelatae, non sunt objectum materiale fidei divinae nec sunt definibiles ab Ecclesiae magisterio.**

Doctrina sic proposita vix indiget demonstratione. Veritates siquidem virtualiter revelatae eatenus dicuntur esse objectum materiale fidei divinae, quatenus identificantur cum veritatibus formaliter revelatis. Veritates autem, quae physice connectuntur cum doctrina revelata tanquam ejus proprietates physicae vel tanquam effectus cum causa physica, non identificantur cum doctrina revelata, quia sunt contingentes et fallibiles.

Quare, de his non potest esse theologia.

380. THESIS II. **Veritates virtualiter inclusive tantum revelatae, id est, quae exprimunt proprietates metaphysicas ac necessarias doctrinae formaliter revelatae, sunt objectum materiale fidei divinae et definibiles ab Ecclesia tanquam de fide catholica credendae.**

Arg. 1) *Ex auctoritate theologorum.* Haec doctrina videtur esse traditionalis in antiquis theologis.

S. Thomas: «Ad fidem pertinet aliquid dupliciter. Uno modo *directe*, sicut ea, quae nobis sunt principaliter tradita... *Indirecte* vero ad fidem pertinent ea, *ex quibus negatis conseqüitur aliquid contrarium fidei*» [2].

«Ad quam (ad fidem christianam) aliquid pertinet dupliciter, sicut supra dictum est, a. praec., et q. 1, a. 6 ad 1; et q. 2, a. 5. Uno modo *directe* et *principaliter*, sicut articuli fidei; alio modo *indirecte* et *secundario*, sicut *ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli;* et circa utraque potest esse haeresis, eo modo quo et fides» [3].

«Idem judicium est *de his* (directe ad fidem pertinentibus) et *de illis* (indirecte ad fidem spectantibus), quae determinata sunt in fide, quia ad unum sequitur alterum» [4].

«Articulus est indivisibilis veritas quantum ad id, quod actu explicatur in articulo, sed est divisibilis quantum ad ea, quae potentia continentur in articulo, secundum quod, qui dicit unum, dicit quodammodo multa; et haec sunt ea, quae praecedunt articulum vel consequuntur ad ipsum, et quantum ad hoc potest explicari et dividi articulus fidei» [5].

§ 5; et lib. 1, c. 5, a. 2, § 4; **Schultes,** *Ephemerides,* «Ciencia tomista», vol. 23, paginis 305 sqq ; et vol. 24, p. 168 sqq. Hi praeclarissimi theologi fortasse non satis distinxerunt veritates virtualiter inclusive revelatas a veritatibus connexive contentis in revelatione.

[1] **Cano,** *De locis theologicis,* lib. 12, c. 5; **Banez,** *In I p.,* q. 1, a. 2 ad 3; et *In II-II,* q. 1, aa. 7 et 10; **Philippus a SS. Trinitate,** *Prooem.,* disp. 1, dub. 11; et *In II-II,* disp. 1, dub. 1; **Marín,** *La evolución del dogma católico,* passim.

[2] *I p.,* q. 32, a. 4.

[3] *II-II,* q. 11, a. 2.

[4] *In I Sent.,* dist. 33, q. 1, a. 5.

[5] *In III Sent.,* dist. 25, q. 2, a. 2 ad 4.

«Fides, quantum in se est, ad omnia quae fidem concomitantur, vel sequuntur, vel praecedunt, sufficienter inclinat» [1].

«Dicendum quod aliquid, quod in articulo continetur, potest explicari dupliciter: *uno modo*, secundum quod unus articulus quandoque continetur in alio, vel duo in communi; sicut resurrectio mortuorum continetur quodammodo in resurrectione Christi, et passio et incarnatio in hoc communi quod est mysterium redemptionis; et sic fides explicatur in articulis determinatis, et haec explicatio completa est per Christum: unde ejus doctrinae, quantum ad essentialia fidei, nec addere nec minuere licet... *Alio modo*, id quod in articulo continetur, non est articulus, sed aliquid concomitans articulum, et quantum ad hoc potest fides quotidie explicari, et per studium sanctorum magis et magis explicata est» [2].

S. Bonaventura: «Doctrina fidei quaedam habet antecedentia, quaedam consequentia, quaedam principalia sua objecta... Antecedentia sunt ea, quae sunt de dictamine juris naturalis. Principalia vero sunt illa, ad quae fidei illuminatio directe dirigit, et ista dicuntur articuli. Consequentia vero sunt *illa, quae ex illis articulis possunt elici et ad illos articulos habent sequi*» [3].

Cajetanus: «Duae sunt viae, quibus decerni potest religioni christianae quid credendum sit, altera ordinaria, altera extraordinaria. Ordinaria est divina revelatio facta in primis auctoribus S. Scripturae, contenta in canonicis libris Bibliae, traditionibusque apostolorum, in symbolo et aliis, quae constat Ecclesiam per apostolos suscepisse, ut sacramenta... Nec refert, in Scriptura et aliis, *an aliquid sit revelatum explicite* (ut creatio mundi, incarnatio Verbi Dei et alia hujusmodi) *an implicite, ut sunt omnia illa quorum opposita non possunt sustineri cum veritate S. Scripturae et aliorum quae certa fide scimus*, nisi quod ingenio, labore, ratione et intellectu opus est, ut manifestentur haec, quae *implicite dicuntur contineri*, esse *necessario connexa* illis, in quibus contineri dicuntur» [4].

Banez: «Ecclesia nihil hactenus fidelibus credendum proposuit vel definivit, quod non contineretur in sacris litteris aut apostolicis traditionibus expressum aut *virtualiter contentum, ita ut per evidentem consequentiam educeretur*» [5].

[1] *In III Sent.,* dist. 24, q. 1, a. 2, sol. 2.

[2] *In III Sent.,* dist. 25, q. 2, a. 2 ad 5.

[3] *In III Sent.,* dist. 25, a. 1, q. 1. **Ockam** confirmat hanc doctrinam dicens: «Tenent isti (christiani catholici) quod quinque sunt genera veritatum, quibus non licet christianis aliter dissentire. Primum est earum, quae in S. Scriptura dicuntur vel ex eis argumento necessario possunt inferri. Secundum est earum, quae ab apostolis ad nos per succedentium relationem vel scripturas fidelium pervenerunt, licet in scripturis sacris non inveniantur insertae nec ex solis eis possunt necessario argumento concludi». Et de veritatibus, quae «in determinationibus et definitionibus Ecclesiae reperiuntur» loquens, ait: «De illis veritatibus mentionem non faciunt specialem, quia putant quod Ecclesia rite procedens nullam veritatem determinat aut definit, nisi in Scriptura sacra aut traditionibus apostolorum, aut chronicis, historiis vel revelationibus indubitantibus fidelium vel his quae sequuntur ex praedictis aut aliquo praedictorum vel in revelatione seu inspiratione divina modo debito manifestata, valeant se fundare. Et ideo omnes veritates quas determinat vel definit Ecclesia sub aliquo quinque generum praefatorum comprehendi noscuntur». *Dialogus,* p. 1, lib. 2, p. 8 (ed. Lugd. 1494).

[4] *Opusc. de Conceptione B. Virginis,* c. 1.

[5] *In II-II,* q. 1, a. 7, dub. 2, concl. 1.

http://www.obrascatolicas.com

2) Veritates virtualiter inclusive in alio revelatae, quae exprimunt proprietates metaphysicas ac necessarias doctrinae revelatae, cum non distinguantur realiter ab ipsa veritate revelata, sunt verbum Dei, et continentur in deposito revelationis. Quae autem continentur in deposito revelationis constituunt objectum materiale fidei divinae, et possunt ab Ecclesia vi muneris fidei exponendae definiri. Ergo.

3) Ut jam alibi diximus, Ecclesia non semel definivit veritates virtualiter tantum revelatas, ut Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio tanquam ab uno principio, panem et vinum in sacrificio missae *converti* in corpus et sanguinem Christi, etc. [1].

Cum igitur Ecclesia definit veritates virtualiter revelatas et declarat eas esse de fide catholica credendas, explicat fidem vi muneris a Deo accepti. «Quando Summus Pontifex, ait ad rem *Banez*, definit aliquid esse *de fide* tenendum, habet se ut explicantem latentem veritatem, non ut auctorem veritatis» [2].

381. Scholion I. Crebro dicitur in theologia totam fidei doctrinam contineri virtualiter in illo gemino principio Apostoli: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [3]; dum plures conantur ostendere necessitatem vel saltem convenientiam edendi symbolum fidei, quo clarius determinentur articuli continentes virtualiter quidquid vel indirecte opus est credere ad salutem.

Quomodo haec concilientur explicari oportet.

In duplici principio Apostoli, quo credimus Deum esse et inquirentibus se remuneratorem esse, virtualiter remote et tanquam in principio universalissimo continentur omnes veritates ad fidem tum directe tum indirecte pertinentes. «*In esse enim divino* includuntur omnia, quae credimus in Deo aeternaliter exsistere, in quibus nostra beatitudo consistit: *in fide autem providentiae* includuntur omnia, quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem; et per hunc etiam modum aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur» [4].

Haec tamen continentia virtualis, quamvis vera ac realis, est remota et satis occulta quoad nos. In esse quippe Dei continetur necessario trinitas personarum, et in divina providentia, Deo sic disponente, continetur incarnatio Verbi; sed difficulter hoc nobis innotescit, et difficilius adhuc nobis constat totum depositum revelationis in duobus illis principiis remotis virtualiter contineri.

In symbolo autem fidei expressius declarantur mysteria, et proximius ac tamquam in principiis adaequatis continentur caetera credenda, sive immediate revelata fuerint sive mediate [5].

382. Scholion II. Conclusiones pariter theologicae pertinent ad objectum materiale fidei divinae, et, si ab Ecclesia definiantur, sunt fide catholica credendae.

---

1 Cfr. quae diximus in *Theologia fundamentali*, n. 45 (ed. 3.ª).
2 *In II-II*, q. 1, a. 10, dub. 2. «Notandum est quinto».
3 *Hebr.*, 11, 6.
4 **S. Thomas,** *II-II*, q. 1, a. 7.
5 Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *In II-II*, disp. 1, dub. 8.

Licet haec doctrina tradita fuerit in theologia fundamentali [1], lubet iterum eam paulisper confirmare.

S. Thomas ait: «Indirecte vero ad fidem pertinent *ea, ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei*» [2]. Porro «ista est habitudo conclusionis ad principium, quod, interempta conclusione, interimitur principium» [3]. «Conclusiones demonstrativae habent necessariam habitudinem ad principia, ex quibus demonstrantur, ita quod, *conclusionibus non exsistentibus veris, necesse est principia non esse vera*» [4].

Ex his lubet conficere sequens argumentum: Indirecte pertinet ad fidem id, quo negato sequitur aliquid contrarium fidei. Sed negata conclusione theologica sequitur aliquid contrarium fidei, quia perimitur praemissa, quae est articulus fidei. Ergo. Unde addit *Angelicus:*

«Quia quaedam sunt, quae in fide Ecclesiae implicite continentur, *ut conclusiones in principiis*, ideo in his diversae opiniones sustinentur, quousque per Ecclesiam determinatur, quod aliquid eorum contra fidem Ecclesiae est, *quia ex eo sequitur aliquid contrarium fidei directe*» [5].

Praeclarissimus *Cano* hoc confirmat dicens: «Cum igitur veritas fidei, ut paulo ante diximus, bipartita sit, et haec ad fidem mediate, illa immediate pertineat, necesse est duos gradus propositionum fidei generales statim a principio collocare. Prior earum, quae theologiae legitima principia sunt, cujusmodicumque sint illa, sive primaria sive secundaria, hoc est, ea omnia, quae Deus in se ipsis Ecclesiae revelavit. Posterior vero gradus harum erit, quae ex prioribus illis necessario colliguntur. Hoc enim genus conclusionum, ut cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat. Ratio enim connexi, quum concesseris superius, cogit inferius concedere, et cum inferius negaveris, superius item negari cogit... Atque quidem, tametsi non eodem loco et gradu, omnes tamen simpliciter et sine additamento *quaestiones fidei vocari* possunt, nempe cum ex utrisque veritas fidei pendeat, cum utrisque conjuncta et copulata sit» [6].

Ratio est perspicua. Conclusiones enim theologicae sunt ipsaemet in praemissis de fide virtualiter revelatae, et per rationem ac legitimam consequentiam deductae. Cum autem veritates in articulis fidei virtualiter revelatae pertineant ad objectum materiale fidei divinae, consequens est, ut conclusiones pariter theologicae pertineant ad idem objectum materiale fidei, et, ubi ab Ecclesia definiuntur, sint fide catholica credendae.

ARTICULUS IV

UTRUM VERITATES A DEO QUIBUSDAM PERSONIS PRIVATIM REVELATAE PERTINEANT AD OBJECTUM MATERIALE FIDEI DIVINAE

383. Status quaestionis. 1) Revelatio seu manifestatio veritatum in ordine ad primum credibile, quae uni vel pluribus personis qua capiti

---

1 *Theol. fund.*, n. 45 (ed. 3.ª).
2 *I p.*, q. 32, a. 4.
3 **S. Thomas,** *In Post. analyt.*, lect. 38.
4 *De veritate*, q. 24, a. 1 ad 18.
5 *In IV Sent.*, dist. 13, q. 2, a. 1 ad 6.
6 *De locis theolog.*, lib. 12, c. 6, «Primus earum».

http://www.obrascatolicas.com

et principibus Ecclesiae fit in communem utilitatem religionis, dicitur *communis* [1]; et quae personis particularibus qua privatis fit ad earum utilitatem, vocatur *particularis*. Unde revelationes a Deo factae prophetis et apostolis pro tota Ecclesia fuerunt communes, et ubi ab Ecclesia proponuntur, ab omnibus credendae sunt fide divina; manifestationes vero factae *S. Birgittae, S. Theresiae*, etc., fuerunt particulares, et non sunt ab omnibus credendae.

2) Revelationes communes pro tota Ecclesia absolutae sunt in apostolis, ut constat ex propositione damnata a *Pio X* [2]. Particulares vero a primo homine et deinceps semper fuerunt et erunt in Ecclesia ad finem usque mundi.

3) Revelationes particulares plerumque fiunt viris doctis ac sanctis, non semel rudibus ac peccatoribus, imo et ethnicis ad eorum instructionem et directionem moralem.

4) Cum objectum materiale fidei divinae sit ipse Deus vel aliquid in ordine ad Deum primum credibile, veritates privatim hominibus revelatae nequeunt esse objectum fidei materiale, nisi manifestentur et proponantur credendae in ordine ad Deum primum credibile ob auctoritatem Dei revelantis. Quare, operae pretium est investigare, an aliquando veritates ita patefiant et proponantur hominibus, ut credantur fide divina.

384. Placita theologorum. 1) Plures theologi defendunt veritates privatim hominibus revelatas non pertinere ad objectum materiale fidei divinae neque a quopiam credi per habitum virtutis fidei divinae. Ita *Cajetanus, Sotus, Canus, Banez, Valentia, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses, Josephus a Matre Dei* et alii [3].

2) Alii non pauci docent veritates privatim hominibus a Deo revelatas pertinere ad objectum materiale fidei divinae, et ab iis quibus fit hujusmodi revelatio privata, credendas esse fide divina. Ita *Ockam, Suarez, Vazquez, Lugo, Philippus a SS. Trinitate, Billuart, Pesch, Van Noort* et alii [4].

385. THESIS I. **Veritates supernaturales, quae dicunt ordinem ad Deum primum credibile, quaeque aliquando per revelationem privatam manifestantur hominibus, probabilius pertinent ad objectum materiale fidei divinae particularis.**

Nota. *Salmanticenses*, qui contrariam sententiam sequuntur, admittunt possibilitatem, ut revelationes privatae fiant in ordine ad Deum primum credibile, et in hoc casu docent eas credendas fore fide divina ab eo, cui fit revelatio [5].

---

1 Cfr. **Valentia,** *In II-II*, disp. 1, p. 1, § 5 «Dicendum igitur».

2 Decreto *Lamentabili*, prop. 21; **Denz-Bannw.,** 2021.

3 **Soto,** *De natura et gratia*, lib. 3, c. 11; **Canus,** *De locis theolog.*, lib. 12, c. 3, concl. 3; **Banez,** *In II-II*, q. 1, a. 1, dub. 3; **Valentia,** *In II-II*, disp. 1, q. 1, p. 1; **Joannes a S. Thoma,** *In II-II*, disp. 6; **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 1, n. 104; **Josephus a Matre Dei,** *Cursus trien.*, tr. 14, disp. 1, dub. 2, n. 31 sqq.

4 **Ockam,** *Dialogus*, p. 1, lib. 2, fol. 8; **Suarez,** *De fide*, disp. 3, sect. 10; **Vazquez,** *In I-II*, disp. 210, c. 4; **Lugo,** *De fide*, disp. 1, sect. 11; **Philippus a SS. Trinitate,** *De fide*, disp. 1, dub. 2; **Billuart,** *De fide*, diss. 1, a. 2; **Pesch,** *De fide*, n. 241; **Van Noort,** *De fide*, n. 204.

5 *De fide*, disp. 1, n. 115.

Arg. Fundamentum hujus doctrinae est, quia veritates sic privatim hominibus revelatae habent omnes conditiones, quae requiruntur, ut aliquid pertineat ad objectum materiale fidei divinae. Sunt enim de credendis in ordine ad Deum primum credibile per testimonium ipsius Dei revelantis.

Ii autem, quibus facta est alicujus veritatis in ordine ad Deum privata revelatio, dummodo conscii sint per lumen propheticum de facta ipsis a Deo revelatione, possunt et debent eam fide divina credere sine ulla Ecclesiae propositione, sicut antiquitus prophetae et apostoli credebant veritates ipsis a Deo revelatas.

Hae tamen veritates, quantumvis alta mysteria contineant et versentur circa Deum primum credibile, nunquam possunt esse de fide catholica ab omnibus credendae, quidquid in contrarium dicat *Suarez* [1], quia nequeunt ab Ecclesia definiri; Ecclesia siquidem accepit munus fidei custodiendae et explicandae, quae continetur in deposito revelationis, non vero auctoritatem revelationis privatae definiendae.

Ubi autem revelationibus privatis Ecclesiae approbatio accesserit, ut saepe contingit, doctrina in ipsis contenta non proponitur ut credenda, sed declaratur nihil in ea reperiri, quod fidei catholicae ac bonis moribus adversetur, et indicia in ea adesse, ut fide humana pie ab omnibus credatur. Omnes igitur, quibus revelatio a Deo cuipiam facta et ab Ecclesia adprobata pervenerit, convenienter eam ad propriam aedificationem acceptabunt [2].

386. THESIS II. **Veritates privatim revelatae, quae non sunt de credendis in ordine ad Deum primum credibile, sed versantur circa ea, quae sunt vel dirigenda juxta regulas morum vel admittenda per fidem agendorum, non pertinent ad objectum materiale fidei divinae.**

Arg. 1) *Angelicus Doctor* diserte favet huic opinioni dicens: «Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiae spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem» [3]. Unde hujusmodi revelationes particulares non versantur circa credenda in ordine ad Deum sed circa actus humanos dirigendos.

2) Ratio idem suadet. Objectum siquidem materiale fidei divinae oportet esse de credendis in ordine ad Deum primum credibile. Sed revelationes privatae, quae versantur circa dirigenda juxta regulas morum vel admittenda per fidem agendorum, nihil aperiunt credendum in ordine ad Deum primum credibile. Ergo.

387. Scholion. *Qua fide adsentiendum sit revelationibus privatis, quae versantur circa dirigenda atque agenda.*

1) *Gregorius de Valentia* contendit non ad habitum fidei sed «ad prudentiam infusam et ad donum consilii» pertinere «ejusmodi revelationibus privatis adsensum praebere vel negare, consideratis circumstantiis, quae docent eas esse a Deo vel non» [4].

---

1 *De fide*, disp. 3, sect. 10, n. 7.

2 Cfr. **Benedictus XIV,** *De servorum Dei beatificat.*, lib. 2, c. 52, n. 11.

3 *II-II*, q. 174, a. 6 ad 3.

4 *In II-II*, disp. 1, q. 1, p. 1, «Ex quo».

http://www.obrascatolicas.com

Haec tamen sententia sapientissimi viri non mihi probatur. Prudentia siquidem infusa et donum consilii dictare possunt, ut per alium habitum seu virtutem revelationibus privatis adsensum tribuamus, sed ipse adsensus non est actus prudentiae vel consilii; sicut cum prudentia dictat veritates S. Scripturae humiliter credere, non elicit actum credendi.

2) Sedulo hic distinguendi sunt ii, qui revelationem privatam immediate a Deo accipiunt, et ii, quibus notitia revelationis privatae, aliis factae, quodammodo pervenit.

a) Qui revelationes privatas a Deo immediate accipiunt α) *In instanti quo revelatione privata illustrantur*, adsensum ei praebent per cognitionem propheticam, quae, ut optime ajunt *Salmanticenses*, «est actio vitalis terminata ad objectum repraesentatum in speciebus... per modum judicii discernentis veritatem revelatam illique immobiliter adsentientis» [1].

β) *Transacto primo instanti*, si certus sit propheta Deum sibi locutum fuisse circa dirigenda vel agenda, credere debet revelationi privatae, non quidem habitu fidei divinae, cujus objectum materiale et ratio formalis *sub qua* desunt, sed fide, quae dicitur *gratia gratis data*, quaeque est supereminens certitudo rerum divinarum praecipue agendorum.

b) Ii autem, quibus mediate pervenerit revelatio privata, non fide divina neque gratia gratis data, sed fide humana adsentiunt ei.

ARTICULUS V

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI DIVINAE QUOAD NOS, SEU DE FIDE CATHOLICA

388. I. Objectum fidei divinae quoad se, ubi accesserit definitio dogmatica Ecclesiae, dicitur objectum fidei quoad nos. Paucis hoc declaravit Concilium Vaticanum dicens: «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur» [2].

389. II. Hinc ut veritas aliqua pertineat ad objectum materiale fidei divinae quoad nos, oportet:

1) *Ut in verbo Dei scripto vel tradito contineatur*, id est, in S. Scriptura vel traditione divino-apostolica, quae fontes revelationis merito nuncupantur, formaliter vel virtualiter, prout diximus de objecto materiali fidei divinae, reperiatur. Nihil ab Ecclesia potest proponi fide divina credendum, quod hoc pacto non fuerit revelatum.

2) *Ut infallibili Ecclesiae magisterio nobis proponatur credenda tanquam divinitus revelata.* Ecclesia siquidem est custos depositi revelationis et organon infallibile veritatis cum facultate discernendi revelata a non revelatis. Haec Ecclesiae propositio debet fieri clare et verbis exigentibus nostrum adsensum. Unde et *definitio* vocari solet, quatenus declarat veritatem, de qua agitur, esse divinitus revelatam, et sub anathemate *mandat ab omnibus tanquam revelatam esse credendam.*

3) Propositio seu definitio Ecclesiae fieri solet vel *solemni judicio* vel *ordinario et universali magisterio.*

a) *Solemni Ecclesiae judicio* seu suprema Ecclesiae auctoritate formaliter declarantur dogmata revelata ab omnibus credenda: hujusmodi sunt: definitiones Pontificis ex cathedra loquentis; solemnes definitiones Conciliorum Oecumenicorum; definitiones Conciliorum particularium, si quando a Summo Pontifice approbatae fuerint in forma solemni, vel fuerint ab universali Ecclesia receptae; symbola et professiones fidei ab Ecclesia editae atque solemniter propositae.

b) *Ordinario et universali Ecclesiae magisterio* ea proponuntur credenda, quae in deposito revelationis continentur, et corpus Pastorum et Doctorum docet esse revelatum et credendum, non quidem solemniter definiendo sed universaliter praedicando.

Quidquid igitur corpus Pastorum atque Doctorum universaliter tradit in schola, in praedicatione, in explanatione doctrinae christianae, in disputationibus, in traditionibus, etc., tanquam divinitus revelatum et a fidelibus credendum, censetur satis propositum et definitum, ut ad objectum materiale fidei catholicae pertinere queat [1].

Per solemne judicium definiuntur plerumque ea, quae jam ordinario et universali magisterio proposita erant; tum quia ob novas haereses insurgentes id fuit necessarium, tum etiam quia non semper constat nobis de ordinario et universali Ecclesiae magisterio circa veritates determinatas.

390. III. Quod ab Ecclesia, sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio, declaratur tanquam a Deo revelatum, et definitur ut a fidelibus fide divina credendum, dicitur *dogma*. Unde dogmata sunt veritates a Deo revelatae et ab Ecclesia ad credendum propositae. Consequenter merito damnata est a Pio X sequens 22 modernistarum propositio: «Dogmata, quae Ecclesia perhibet tanquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu comparavit».

---

[1] *De fide*, disp. I, n. III. **Angelicus Doctor** egregie hoc exponit dicens: «Per donum autem prophetiae confertur aliquid humanae menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque; scilicet et quantum ad judicium per influxum luminis intellectualis, et quantum ad acceptionem seu repraesentationem rerum, quae fit per aliquas species... Horum autem duorum principalius est primum in prophetia, quia judicium est completivum cognitionis. Et ideo, si cui fiat divinitus repraesentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias (ut Pharaoni et Nabuchodonosor), aut etiam per similitudines corporales (ut Balthasar), non est talis censendus propheta, nisi illuminetur ejus mens ad judicandum... Erit autem propheta, si solummodo intellectus ejus illuminetur ad judicandum etiam ea, quae ab aliis imaginarie visa sunt, ut patet de Joseph, qui exposuit somnium Pharaonis». *II-II*, q. 173, a. 2.

[2] *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.**, 1792.

[1] Ad haec apposite Pius IX: «Etiamsi ageretur de illa subjectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum aut Romanorum Pontificum hujusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tanquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur». *Ep. ad arch. mon.*, 21 Dec. 1863; **Denz-Bannw.**, 1683.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS VI

UTRUM OBJECTUM MATERIALE FIDEI CATHOLICAE CREVERIT

391. Status quaestionis. 1) Incrementum dogmatum credendorum dupliciter potest spectari: a) Quatenus aliquod objectum materiale, quod nondum est in deposito revelationis, reveletur a Deo hominibus pro tota Ecclesia subordinate ad Deum primum credibile, adeo ut augeatur numerus credendorum. Hoc dicitur incrementum *simpliciter*. b) Quatenus aliquod objectum, absque nova revelatione, clarius explicatur, ut distinctius cognosci possit. Vocatur incrementum *secundum quid*.

Per primum incrementum aliquid incipit esse revelatum, quod non erat in deposito revelationis; per secundum id, quod erat de fide *quoad se*, incipit esse de fide *quoad nos*.

De incremento fidei simpliciter hic loquemur, de altero incremento in sequenti articulo acturi.

2) In objecto materiali fidei divinae sedulo distinguenda sunt prima principia credibilitatis, quae constituunt *substantiam fidei*, a caeteris articulis, quae implicite vel saltem virtualiter continentur in primis principiis. Substantiam fidei constituunt duo tantum articuli, *exsistentia Dei* et *ejus providentia circa hominum salutem;* caeteri omnes in his duobus implicite vel virtualiter contenti ad substantiam fidei superadduntur, prout diximus supra n. 381 [1].

3) Oportet hic dilucidare: a) an post primam revelationem a Deo hominibus factam creverit simpliciter objectum articulorum fidei; b) an ante mortem apostolorum creverit simpliciter objectum materiale aliorum articulorum fidei; c) an post mortem apostolorum creverit simpliciter numerus credendorum.

392. THESIS I. **Articuli, qui substantiam fidei constituunt, ab initio revelati sunt homini, et nunquam deinde creverunt.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus, data fidei definitione, adserit in ea senes, Abel et Henoch, salutem consecutos esse, et addit: *Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [2]. Ergo senes, Abel, Henoch, etc., id est, homines ab initio habuerunt fidem, qua possent placere Deo, et crediderunt articulos, qui constituunt substantiam fidei, Deum esse et inquirentibus se remuneratorem esse.

2) *Ex ratione.* Ad salutem aeternam consequendam omnino necessarium fuit ab initio credere Deum exsistere et remuneratorem bonorum esse. Si autem homines tenebantur hoc credere, pronum est utrumque articulum ab initio hominibus revelatum fuisse.

---

[1] *II-II*, q. 1, a. 7. Id egregie exponit **Becanus**, *De virtutibus theologicis*, c. 2, q. 3, n. 6.

[2] *Hebr.*, 11, 6.

393. THESIS II. **Objectum materiale fidei quoad explicationem articulorum, qui in substantia fidei implicite et virtualiter continebantur, crevit continuo per novas revelationes ab initio usque ad mortem apostolorum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Hanc veritatem certe nos docuit Apostolus dicens: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* [1], Hinc revelatio horum articulorum multifarie multisque modis facta est patribus in prophetis, ac deinceps nobis in Filio.

2) *Ex SS. Patribus.* «Secundum incrementa temporum, ait *S. Gregorius Magnus*, crevit scientia spiritualium patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetae quam Moyses, plus apostoli quam prophetae, in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt» [2].

Patres igitur Veteris Testamenti, quo magis accedebant ad Christum, eo clarioribus illustrabantur revelationibus.

Tria stadia, ut diximus in theologia fundamentali, solent distingui in historia incrementi revelationis divinae, et revelatio in eis facta hominibus vocari consuevit *primitiva*, *mosaica* et *christiana* [3].

a) *Revelatio primitiva* seu patriarchalis, protoparentibus et patriarchis a Deo facta, ampliorem certe continebat manifestationem, quam articuli, qui constituebant substantiam fidei. Hinc complectebatur non solum notitiam Dei summi boni et remuneratoris bonorum, verum etiam notionem Trinitatis, Incarnationis ac praeceptorum modique colendi Deum.

b) *Mosaica*, Moysi, prophetis aliisque sacris scriptoribus ante Christum facta, complectebatur nova dogmata circa Dei naturam et attributa, et circa ritus atque caeremonias ordinatas ad cultum Deo tribuendum et sanctificandos homines.

c) *Christiana*, a Christo in praedicatione evangelica et a Spiritu Sancto apostolis ac sacris scriptoribus Novi Testamenti facta, confirmavit, ampliavit, perfecit, novisque manifestationibus auxit revelationes praecedentes, atque totam caelestem doctrinam, quam Deus docere voluit homines, complevit. Complectitur totum depositum revelationis, quod a Christo Ecclesiae traditum est custodiendum et explicandum.

394. Scholion. Aliqui dixerunt nullam revelationem a Deo pro tota Ecclesia fuisse factam post diem Pentecosten, sed non sunt audiendi. Revelationes siquidem, quas continent Acta apostolorum, epistolae Novi Testamenti, et Apocalypsis S. Joannis sunt certe posteriores die Pentecostes.

395. THESIS III. **Nulla post mortem apostolorum facta est aut fiet Ecclesiae revelatio catholica; et ideo revelatio catholica post mortem apostolorum nunquam crevit nec crescet simpliciter.**

Nota. Hanc thesim, quae merito dicitur esse de fide, plures diversimode inficiati sunt.

---

[1] *Hebr.*, 1, 1.

[2] *Hom. in Ezechiel.*, lib. 2, hom. 4, n. 12; ML **76**, 980.

[3] Cfr. *Theol. fund.*, n. 171.

http://www.obrascatolicas.com

1) Montanistae et manichaei primo, fraticelli deinde, et ultimo anabaptistae, swedenborgiani, ac irwingiani ex protestantibus, tres oeconomias in revelatione distinxerunt, oeconomiam scilicet Patris cum revelatione prophetica in veteri Testamento, oeconomiam Filii cum ampliori revelatione Christi in novo Testamento, et oeconomiam Spiritus Sancti cum abundantiori adhuc Dei manifestatione futura in novissimis temporibus. In hac ultima oeconomia sperabant fore novas Spiritus Sancti revelationes, quibus maxime augeretur numerus credendorum.

2) Modernistae non solum admittunt evolutionem dogmatum, de qua specialis infra movebitur quaestio, verum etiam contendunt novas revelationes catholicas factas fuisse et per ipsas depositum revelationis auctum fuisse post mortem apostolorum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Juxta S. Scripturam oeconomia Christi a) nunquam est per novam oeconomiam substituenda, quia α) est plenitudo temporis [1], novissimum tempus [2], consummatio saeculorum [3]; β) sempiternum habet sacerdotium [4]; γ) est aeterna, immobilis, permanens usque ad consummationem saeculi [5].

b) Non est novis revelationibus perficienda, quia Christus omnia quaecumque audivit a Patre nota fecit apostolis [6]; et Spiritus Sanctus docuit apostolos omnem veritatem [7]; apostolorum successoribus commissum est, ut depositum fidei servarent [8]; ac tandem Apostolus damnat omnem novitatem doctrinae dicens: *Sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* [9].

2) *Ex Ecclesiae magisterio.* a) Concilium Tridentinum diserte docuit in libris scriptis et sine scripto traditionibus contineri omnem salutarem doctrinam et morum disciplinam [10].

b) Concilium Vaticanum ait: «Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut, eo revelante, novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo adsistente, traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent» [11].

c) Pius X in decreto *Lamentabili* damnavit sequentem modernistarum propositionem: «Revelatio, objectum fidei catholicae constituens, non fuit cum apostolis completa» [12].

3) *Ex ratione theologica.* Oeconomia Christi eo fine instituta est, ut genus humanum restauraretur, seu, quod idem est, ut peccatum hominis solveretur, vulneraque homini inflicta sanarentur. Ad hoc enim venit Salvator mundi. In restauratione autem generis humani oportebat opus totaliter compleri, adeo ut in nova oeconomia apostoli, qui erant fundamenta Ecclesiae, totum corpus doctrinae acciperent.

---

1 *Gal.*, 4, 4; *Ephes.*, 1, 10.
2 *Act.*, 2, 17; *I Petr.*, 1, 20.
3 *Hebr.*, 9, 26; *I Cor.*, 10, 11.
4 *Hebr.*, 7, 24.
5 *Hebr.*, 12, 27-28; *II Cor.*, 3, 11; *Matth.*, 24, 14.
6 *Joan.*, 15, 15.
7 *Joan.*, 16, 13.
8 *I Tim.*, 6, 20.
9 *Gal.*, 1, 8.
10 *Sess.* 4, in prooem.; **Denz-Bannw.**, 783.
11 *Sess.* 4, c. 4; **Denz-Bannw.**, 1836.
12 Decreto *Lamentabili*, 3 Jul. 1907, prop. 21; **Denz-Bannw.**, 2021.

ARTICULUS VII

DE INCREMENTO OBJECTI FIDEI SECUNDUM QUID, SEU DE PROFECTU FIDEI

396. Status quaestionis. 1) Incrementum fidei *secundum quid* est clarior explicatio seu expositio alicujus veritatis, quae prius erat a Deo formaliter vel virtualiter revelata. Dicitur etiam *profectus* seu *progressus fidei*.

2) Progressus hujusmodi fidei sine nova revelatione et sine augmento numeri credendorum potest concipi dupliciter: a) per mutationem essentialem veritatum revelatarum; b) per clariorem expositionem depositi revelati; quae quidem fieri potest: α) explicando id, quod formaliter explicite revelatum est, et hoc non est proprie progressus fidei sed clarior ejus intelligentia; β) declarando id, quod formaliter implicite revelatum est, et est progressus saltem nominalis fidei, quatenus doctrina totius ad partes, universalis ad singularia, definitionis ad definitum, relativi ad correlativum, et oppositi ad contradictorium extenditur; γ) legitime deducendo ex formaliter revelatis id, quod virtualiter in ipsis revelatum est, et est verus progressus homogeneus fidei, quatenus fides ad veritates virtualiter revelatas et in deposito revelationis contentas extenditur.

3) Plura igitur veniunt hic declaranda: a) An post primam revelationem detur progressus dogmatum per mutationem essentialem veritatum; b) an detur progressus fidei sine mutatione essentiali veritatis; c) qualis ille sit; d) quales ejus causae; e) qualis ejus processus.

397. Errores. 1) Veteres quidam protestantes, qui solam sacram Scripturam dicebant esse unicam regulam fidei, noluerunt admittere definitiones Ecclesiae, et idcirco negaverunt incrementum objecti materialis fidei divinae secundum quid aliquando factum esse. Alii protestantes solum admiserunt definitiones Ecclesiae primitivae usque ad saeculum quintum.

2) *Rationalistae* e contra et *modernistae* posuerunt progressum fidei cum mutatione essentiali veritatum.

a) *Rationalistae speculativi*, fidem cum scientia confundentes, dixerunt fidem, quando symbolis, quibus nunc obvolvitur, exuetur, plene excultum iri, et ratione philosophica evidenter cognitum iri.

b) *Rationalistae critici* cum *Harnack* [1] et *Sabatier* [2], principio kantiano imbuti, secundum quod homo non *noumena* seu objecta realia, sed *phoenomena* tantum seu repraesentationes subjectivas cognoscit, docent nos interna experientia et cordis affectu, quem *fidem religiosam* vocant, Deum sentire. Sub hoc cordis affectu, qui ab initio dogmate carebat, paulatim Paulus et christiani novas conceptiones de Deo, de mundo, de sacramentis, de gratia, etc., efformarunt, et invenerunt dogmata. Dogmata igitur duobus elementis constant, mystico uno et immutabili, intellectuali altero et mutabili. Quare putant dogmata per conceptiones subjectivas et intellectuales formata perpetuo mutari.

c) *Günther* semirationalista († 1863) contendit definitiones Ecclesiae non esse absolutas et irreformabiles, sed relativas et temporum circumstan-

---

1 *Das Wesen des Christentums*, coll. 11.
2 *Exquise d'une philosophie de la religion...*, liv. 3, ch. 2, § 4, et ch. 3, § 3.

http://www.obrascatolicas.com

tiis accommodatas, et mutatis circumstantiis aliquando esse reformandas, adeo ut dogmata habitura sint sensum alium ab eo, quem prius intellexit Ecclesia [1].

d) *Modernistae* dicunt fidem esse sensum religiosum e latebris subconscientiae erumpentem et realitati divinae adhaerentem. Intellectus humanus, *cogitando hanc fidem*, exprimit rem sententia simplici ac vulgari, et dein, *elaborando cogitationem*, eloquitur ac profert cogitata secundariis ac limatioribus sententiis seu formulis, quae, ubi accesserit definitio Ecclesiae, constituunt dogmata. Haec dogmata non exhibent realitatem objectivam sed subjectivam, nec continent veritatem absolutam sed relativam, eam scilicet, quae statui conscientiae respondet. Alio nomine dicuntur symbola ac notae objecti. Cum conscientia, modo hunc, modo alium sensum adspiciens, perpetuo evolvatur, necesse est, ut dogmata etiam, quae conscientiae respondent, continuis evolutionibus mutentur.

398. Verus progressus fidei. Theologi catholici rejiciunt, ut par est, mutationem essentialem, quaecumque illa sit, veritatum fidei divinae, et uno ore damnant progressum objectivum dogmatum, secundum quem sensus dogmatum ab Ecclesia definitus, adveniente progressu scientiae, mutetur, et alius ejus loco verior subrogetur, sed admittunt incrementum fidei *secundum quid* verumque fidei progressum tum in applicatione revelationis implicitae, tum in declaratione ac definitione veritatum virtualiter revelatarum.

399. THESIS I. **Rejiciendus est omnino progressus fidei objectivus, quo dogmata Ecclesiae catholicae essentialiter mutentur vel evolvantur.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex magisterio Ecclesiae.* Solemnem definitionem edidit Concilium Vaticanum his verbis: *Si quis dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, a. s.* [2].

Haec Concilii Vaticani definitio, contra güntherianos potissimum edita, valet etiam contra rationalistas et modernistas. Rationalistae siquidem et modernistae non minus ac güntheriani defendunt dogmatum essentialem mutationem ac evolutionem, qua, scientiarum progressu reclamante, dogmata alium nunc praeseferant sensum ab eo, quem intellexit Ecclesia. Sed hoc nefas est admittere. «Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum est» [3].

2) *Ex ratione theologica.* a) Ecclesiae commissum est a Christo munus custodiendi et fideliter declarandi depositum fidei. Ergo, stante hoc munere, nunquam potest sensus dogmatum, reclamante progressu scientiarum, essentialiter mutari.

b) Ecclesia est infallibilis in definiendis rebus fidei et morum. Ergo rejiciendus est progressus fidei objectivus, quo dogmata Ecclesiae essentialiter vel mutentur vel evolvantur.

---

[1] Cfr. **Pius IX,** Brevi *Eximiam tuam,* 15 Jun. 1857; **Denz-Bannw.,** 1656.
[2] *Sess.* 3, can. 3; De fide et ratione; **Denz-Bannw.,** 1818.
[3] *Concilium Vat.,* sess. 3, c. 4; **Denz-Bannw.,** 1800.

400. Corollarium. Ex his colliges: 1) *Contra rationalistas speculativos* fidem non esse scientiam nec fluctibus cognitionum humanarum subjici; 2) *contra rationalistas criticos* fidem esse adsensum veritatis realis, prout est a parte rei; 3) *contra güntherianos* definitiones dogmaticas Ecclesiae esse irreformabiles; et 4) *contra modernistas* dogmata fidei esse veritates absolutas, et nunquam esse transformandas et evolvendas, ut sensum pristinum amittant.

401. THESIS II. **In Ecclesia quotidie datur verus progressus fidei secundum quid.**

Arg. 1) Concilium Vaticanum sibi appropriat et confirmat sequentia *Lirinensis* verba: «Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia» [1].

2) Id ipsum probatur ex munere, quod Ecclesia a Christo accepit *fideliter custodiendi et infallibiliter declarandi doctrinam fidei* [2]. Hoc enim munus nihil aliud est quam facultas declarandi, explanandi, et contra adversarios defendendi doctrinam fidei, imo et infallibiliter deducendi ac definiendi ea, quae quoquo modo latent in deposito revelationis.

402. THESIS III. **Veritates formaliter explicite a Deo revelatae explanantur ac declarantur saepe ab Ecclesia, ut clarius intelligantur.**

1) Disertis verbis hanc thesim tradidit *S. Augustinus* dicens: «Multa quippe ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum calida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur, et ab adversario mota quaestio, discendi exsistit occasio» [3].

2) Id ipsum patet ex historia plurium dogmatum, quorum sensus semper idem permanens, paulatim in Ecclesia notus est. Sic mysteria Trinitatis personarum et Incarnatio Verbi pressius in dies declarata sunt.

Haec tamen dogmatum explanatio nequit vocari progressus fidei, quia sistit in verborum ac nominum exegesi et simplici expositione per analogias et rerum comparationes.

403. THESIS IV. **Veritates formaliter implicite a Deo revelatae uberius explicatae sunt ab Ecclesia, declarando quomodo contineantur implicite in aliis principiis explicite revelatis.**

1) Juxta *S. Augustinum* «ferendus est disputator errans in aliis quaestionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiae auctoritate firmatis, ibi ferendus est error, non tantum progredi debet, ut etiam firmamentum ipsum Ecclesiae quatere moliretur» [4].

---

[1] *Sess.* 3, c. 4; **Denz-Bannw.,** 1800. Ex **Vincentio Lirinensi,** *Commonit.,* c. 23, n. 28; ML **50,** 668.
[2] *Concilium Vat.,* sess. 3, c. 4; **Denz-Bannw.,** 1800.
[3] *De civ. Dei,* lib. 16, c. 2, n. 1; ML **41,** 477.
[4] *Serm.* 294, n. 20; ML **38,** 1348.

http://www.obrascatolicas.com

2) *S. Thomas:* «Eorum quae sunt fidei, quaedam sunt, quae non sunt perfecte per Ecclesiam manifestata, sicut in primitiva Ecclesia nondum erat perfecte declaratum apud homines, quod illi, qui erant ex judaeis conversi, non tenerentur legalia observare; et sicut tempore Augustini nondum erat per Ecclesiam declaratum, quod anima non erat ex traduce...; quaedam vero sunt ad fidem pertinentia jam per Ecclesiam determinata» [1].

3) Exempla, quibus Ecclesia determinavit ac definivit sensum veritatum formaliter implicite revelatarum, quamplurima praesto sunt.

a) Concilium Ephesinum a. 331 bene declaravit Beatissimam Virgigem Mariam esse vere Matrem Dei ex revelata veritate *Verbum caro factum est in utero Virginis*, ut ex principio correlativo.

b) Ecclesia tenet Christum habere animam rationalem, quia revelatum est sicut pars in toto in illo principio: *Christus est homo.*

c) *Pius IX* (a. 1854) solemniter definivit beatissimam Virginem Mariam fuisse a primo instanti suae conceptionis ab omni peccati labe praeservatam [2], declaravitque hanc doctrinam esse a Deo revelatam, per applicationem, ut reor, principii universalis conditionati ad singulare. Haec siquidem doctrina videtur esse contenta, sicut singulare in universali, in illo principio universali: *Dignissimae Matri Dei debetur praeservatio a peccato originali* [3].

404. Corollarium. In declaratione ac definitione veritatum, quae formaliter implicite revelatae sunt, major est fidei progressus, quam in simplici expositione veritatum formaliter explicite revelatarum, quia in ipsis obscura et implicita explicantur, fitque applicatio totius ad partem, principii universalis ad singulare, definitionis ad definitum, relativi ad correlativum, atque unius membri contradictionis ad aliud. Et potest vocari verus progressus fidei, quia ex principiis revelatis deducitur novum enunciatum ejusdem dogmatis sub diverso saltem nomine. «Dicendum quod sicut implicite creditur, ita et implicite cognoscitur. Dicitur autem ignorari quod nescitur explicite» [4].

405. THESIS V. **Plures veritates virtualiter inclusive a Deo revelatae et in deposito revelationis contentae deducuntur infallibiliter ab Ecclesia sub adsistentia Spiritus Sancti, et definiuntur ut de fide catholica credendae.**

Nota. In hoc praecipue consistit evolutio homogenea seu progressus fidei, quod sine ulla mutatione essentiali depositi revelationis, maturescat, proficiat, perficiaturque quoad nos doctrina, quae quasi in semine continebatur in revelatione.

1) Praeclare hoc docuit *Lirinensis* dicens: «Forsitan dicit aliquis: nullusne ergo in Ecclesia Christi *profectus* habebitur religionis? Habea-

[1] *In ep. ad Rom.*, c. 14, lect: 3, «Dicendum».
[2] Bulla *Ineffabilis Deus;* **Denz-Bannw.**, 1641.
[3] Vide **Marín,** *La evolución homogénea del dogma católico*, n. 209.
[4] **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 25, expositio textus, in fine. Cfr. **Schultes,** *Introductio in historiam dogmatum*, a. 5, prop. 3.

tur plane, et maximus... Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur... quodcumque igitur in hac Ecclesiae Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur... Christi vero Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industria hoc unum suadet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus firmata et inchoata, accuret et poliat; si qua jam expressa et enucleata, consolidet, firmet; si qua jam confirmata et definita, custodiat» [1].

2) *S. Thomas:* «Articulus dicitur indivisibilis veritas, quantum ad id, quod actu explicatur in articulo; sed est divisibilis quantum ad ea, quae potentia continentur in articulo, secundum quod, qui dicit unum, quodammodo dicit multa; et haec sunt, quae praecedunt articulum et consequuntur ad ipsum: et quantum ad hoc potest explicari et dividi articulus fidei... et per studium sanctorum magis ac magis explicata fuit» [2].

3) *Banez:* «Possent modo definiri tanquam de fide veritates illae, in quibus tota theologorum schola concordat» [3].

4) Non sine divino consilio factum esse reor, ut plures veritates in fonte revelationis virtualiter continerentur et quasi absconderentur, ut inde depositum revelationis, theologorum opera et Ecclesiae infallibili magisterio, successive nobis suppeditaret doctrinas omnium ingenio ac temporum adjunctis accommodatas. Hae doctrinae ita sua altitudine et profunditate vires intellectus humani aliquando excedebant, ut non esset possibile eas omnes, etiam per revelationem habitas, illico accipere. Unde Ecclesia post longas investigationes et studia, sub adsistentia Spiritus Sancti, juxta necessitates et adjuncta temporum patefecit, expolivit, ac declaravit tanquam de fide credendas.

Hoc saepe ab Ecclesia factum esse nos docet historia. Sic definitum est Spiritum Sanctum procedere a Patre et Filio tanquam ab uno principio, quia hoc virtualiter continebatur in veritate formaliter a Deo revelata, qua credimus Patrem et Filium non distingui realiter quoad absoluta.

5) Aliae veritates virtualiter revelatae possunt adhuc definiri ab Ecclesia. Depositum namque revelationis nondum est ita exhaustum, ut non contineat plurimas veritates virtualiter a Deo revelatas.

Unde *S. Thomas:* «Explicare articulos fidei contingit dupliciter. Uno modo, quantum ad ipsorum articulorum substantiam, secundum quod ipsos articulos distincte scit. Alio modo, quantum ad ea, quae in articulis continentur implicite; quod quidem contingit, dum homo scit ea

[1] *Commonitorium*, c. 23; ML **50**, 667 sqq.
[2] *In III Sent.*, dist. 25, q. 2, a. 2, sol. 1 ad 4 et 5.
[3] *In I p.*, q. 1, a. 8, dub. circa tertium: «Tertio probatur».

http://www.obrascatolicas.com

quae articulis consequuntur, et vim veritatis ipsorum articulorum, per quam possunt defendi ab omni impugnatione... Ad secundam autem explicationem non tenetur aliquis totaliter, ut sciat omnia explicare, quae in articulis de salute continentur; *quia hoc non potest esse nisi in patria*, ubi ipsa articulorum veritas plene videbitur» [1].

Ad rem *Leo XIII:* «In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest ex suavi Dei providentis consilio, ut quasi praeparato studio judicium Ecclesiae maturetur» [2].

406. Scholion. Ut hujus progressus plena notitia habeatur, lubet hic ejus processum, extensionem, causam et conditiones paulo uberius explicare.

1) **Processus.** Manifestatio veritatis, quae, ut diximus, formaliter implicite vel virtualiter inclusive continetur in fonte revelationis, triplex plerumque quasi stadium percurrit usque ad definitivam declarationem.

a) *In primo stadio* incipit annuntiari *praedicatione evangelica* veluti doctrina pia, et sine discussione aut controversia ab omnibus implicite saltem creditur et acceptatur.

b) *In secundo stadio* subjicitur res controversiae et investigationi theologicae. Hinc inde argumenta petuntur, quibus veritas latens et obscura patefiat. «Nequaquam Ecclesia, ait ad rem *Leo XIII*, pervestigationem scientiae biblicae (idem dic de studio traditionis) retardat aut coercet; sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adjuvat progressionem» [3]. In his controversiis plerumque veritas viam aperit, certior in dies apparet, tenebras fugat, et communis inter theologos evadit. Exempla sunt processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, immaculata conceptio B. M. Virginis, infallibilitas Romani Pontificis ex cathedra loquentis, quae longo tempore a theologis disputatae, tandem ante definitionem dogmaticam Ecclesiae, communiter admittebantur ab omnibus scholarum patronis.

c) *In tertio stadio* proponitur nobis veritas de fide divina credenda sive solemni Ecclesiae judicio sive ordinario et universali ejusdem magisterio, ut factum esse novimus cum veritate revelata de immaculato conceptu B. M. Virginis.

2) **Extensio progressus.** Quoad extensionem habetur:

a) *Progressus dogmaticus*, quo veritates formaliter implicite vel virtualiter inclusive a Deo revelatae et in deposito revelationis contentae, infallibiliter deducuntur, praedicantur, declarantur ac definiuntur. Hunc progressum *S. Albertus Magnus*, citans Hugonem a S. Victore, vocat profectum, «qui est potius fidelis in fide, quam fidei in fideli» [4].

b) *Progressus verbalis*, quo aptiores formulae ad exprimenda dogmata catholica excogitantur. Hujusmodi sunt: «Formula Fides Damasi» auctoris et temporis incerti [5]; «Formula Clemens Trinitas» auctoris pariter et temporis incerti [1]; «Formula Libellus in modum Symboli», Pastoris, ut dicitur, episcopi Gallaeciae saeculi V [2]; et «Symbolum *Quicumque*» incerti quoque auctoris probabiliter saeculi IV vel V [3].

c) *Progressus apologeticus*, quo veritas securius defenditur, et errores contra fidem insurgentes facilius refutantur.

d) *Progressus scientificus*, quatenus dogmata ex scientiis naturalibus, et scientiae ex definitionibus dogmaticis mutuo adjuvantur [4].

3) **Causa progressus** fidei est duplex, *occasionalis* et *efficiens*.

a) *Causa occasionalis* est certe multiplex, nempe *profectus studiorum naturalium*, qui ansam dedit, ut depositum revelationis accuratius investigaretur; *devotio fidelium*, quae non solum cultum et pietatem sed etiam studium mysteriorum in Ecclesia magnopere promovit; et *haereses*, quae catholicos saepe ad studium impulerunt. «Multi, ait *S. Augustinus*, qui optime possent Scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei, nec adserebant solutionem quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent ariani? Numquid perfecte de poenitentia tractatum est, antequam obsisterent novatiani? Sic non perfecte de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris rebaptizatores; nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant, quae dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa urgere coepit fratres infirmos» [5].

b) *Causa efficiens principalis* est magisterium authenticum et infallibile Ecclesiae, quod sub promissa adsistentia Spiritus Sancti educit veritates ex deposito revelationis, easque declarat ac definit. Causae efficientes secundariae possunt dici doctores ac theologi, qui sanae veritatum investigationi incumbunt.

4) **Conditiones hujus progressus** ad hoc reducuntur, quod dogma illibatum permanens eumdemque sensum retinens, secundum se ipsum amplificetur, declaretur, exponatur ac definiatur, non mutetur [6].

407. Scholion. *De fide ecclesiastica.*

His ultimis temporibus non parum disputatum est, an aliquid credamus fide ecclesiastica.

1) Plures auctores docent facta dogmatica, conclusiones theologicas, et veritates cum dogmate catholico adnexas, non contineri in revelatione divina, et consequenter non posse esse objectum fidei divinae; esse tamen objectum saltem secundarium infallibilitatis Ecclesiae ac Romani Pontificis, et, ubi ab Ecclesia vel Romano Pontifice definiuntur, tenenda esse propter auctoritatem plusquam humanam. Adsensum hujusmodi ad veritates ab Ecclesiae infallibili magisterio declaratas vocant fidem *ecclesiasticam*. «Fides est, in quantum infallibilitas Ecclesiae ex revelatione constat; fides ecclesiastica, in quantum ratio

---

1 *In III Sent.*, dist. 25, q. 2, a. 1, sol. 3.
2 Encycl. *Providentissimus*, 18 Nov. 1893; **Denz-Bannw.**, 1942.
3 Encycl. *Providentissimus;* **Denz-Bannw.**, 1942.
4 *In III Sent.*, dist. 25, a. 1 ad 1.
5 Forsan Concilii Caesaraugustani, a. 380; **Den z-Bannw.**, 15.

1 **Denz-Bannw.**, 17.
2 **Denz-Bannw.**, 19.
3 **Denz-Bannw.**, 39.
4 Cfr. **Mazzella (Horatius)**, *De virtutibus inf.*, n. 842.
5 *Enarrationes in psal.* 54, n. 22; ML **36**, 643.
6 Cfr. **Lirinensis**, *Commonitorium*, c. 23; ML **50**, 668

http://www.obrascatolicas.com

immediata adsensus est auctoritas infallibilis Ecclesiae»[1]. Ita *Pesch, Scheeben, Billot, Van Noort, Huarte, Schultes, Hervé* et alii[2].

Sed haec minus recte videntur esse dicta.

Hic enim modus explicandi habet potissimum inconveniens, quod qui negaret judicia definitiva Ecclesiae circa facta dogmatica et circa conclusiones theologicas, non esset haereticus, ut diserte affirmat cl. *Hervé*[3], nec jansenistae, qui negabant quinque famosas propositiones contineri in libro *Augustinus* in sensu ab Ecclesia damnatas, fuissent haeretici. Hoc autem videtur esse omnino alienum a doctrina Constitutionis «Vineam Domini», 16 Julii 1705.

Quantum ego puto, omnis, qui conclusiones theologicas vel facta dogmatica ab infallibili Ecclesiae magisterio definita negaret, revera esset haereticus[4].

2) Alii multo melius dicunt facta dogmatica formaliter implicite et conclusiones theologicas virtualiter in suis principiis a Deo revelari, et posse esse objectum fidei divinae. Imo, si ab infallibili Ecclesiae magisterio definiantur, fide divina credi oportere. Ita *Banez, Schiffini, Gardeil, Marín Sola* et alii[5].

QUAESTIO XXI

DE ACTU FIDEI DIVINAE

ARTICULUS I

IN QUO CONSISTAT ACTUS FIDEI DIVINAE

408. Status quaestionis. Ad actum fidei divinae concurrunt suo modo tria principia, intellectus eliciens, voluntas imperans, et gratia movens.

Antequam ad ulteriora procedamus, operae pretium est exponere, quomodo haec tria principia ad actum fidei divinae concurrant.

---

[1] **Schultes,** *Introductio in historiam dogm.*, a. 4, n. 65. Si ab his auctoribus quaeras, an fides ecclesiastica sit divina vel humana, supernaturalis vel naturalis, non parum premuntur. Aliqui respondent eam esse mediate et reductive divinam.

[2] **Pesch,** *Praelect. dogm.*, vol. 8, n. 256; **Scheeben,** *Dogm.*, I, § 14; **Billot,** *De fide*, thesi 13; **Van Noort,** *De fontibus revelationis*, n. 246; **Huarte,** *De virtutibus infusis*, th. 8; **Schultes,** *Introductio ad historiam dogm.*, a. 4, n. 65; **Hervé,** *De fontibus revelationis*, n. 503.

[3] *De fontibus revelationis*, n. 503.

[4] Cfr. quae diximus in *theologia fundamentali*, n. 45 et 484.

[5] **Banez,** *In I p.*, q. 1, a. 2, dub. 1 ad 3; **Schiffini,** *De virtutibus infusis*, n. 124 sqq.; **Gardeil,** *Le donné révélé*, p. 186; **Marín Sola,** *Ciencia Tomista*, 1922, p. 73, et alibi saepe.

409. Errores. 1) *Protestantes*, qui contendunt fidem esse fiduciam misericordiae divinae, qua acceptamus promissiones Christi, autumant fidem non tam esse actum intellectus quam voluntatis. Unde *Melanchthon* ait: «Estque (fides) fiducia misericordiae Dei promissae propter Christum Mediatorem. Nam fiducia est *motus in voluntate* necessario respondens assensioni, seu quo *voluntas in Christo acquiescit*»[1]. Et *Calvinus* docet «assensionem... cordis esse magis quam cerebri, et affectus magis quam intelligentiae»[2].

2) *Modernistae* docent fidem esse sensum quemdam intimum ex indigentia divini ortum[3].

410. THESIS. **Actus fidei divinae elicitur ab intellectu ex imperio voluntatis motae per gratiam Dei.**

Diserte hoc docet *Angelicus* dicens: «Credere est actus intellectus adsentientis veritati divinae ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam»[4].

411. I. **Elicitur ab intellectu.** Certissimum est ac fidei proximum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) S. Petrus, audita Christi praedicatione de promissione eucharistiae, fidem suam manifestavit dicens: *Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei*[5]. Et S. Paulus exoptat, ut omnes fidem accipiant *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*[6].

b) Objectum fidei divinae est quod in patria futurum est objectum nostrae visionis. Objectum autem futurum nostrae visionis nunc percipimus et in patria videbimus per intellectum juxta illud Apostoli: *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*[7].

2) *Ex magisterio Ecclesiae.* a) Concilium Vaticanum expresse docet fidem esse virtutem supernaturalem «qua... revelata *vera esse credimus*, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis»[8]. Credere autem verum est actus intellectus, ut communis fert modus loquendi. Ergo.

b) Formula jurisjurandi contra errores modernismi a *Pio X* die 1 Septembris 1910 praescripta haec habet: «Certissime teneo ac sincere profiteor fidem non esse caecum sensum religionis e latebris subconscientiae erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed *verum adsensum intellectus* veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, *vera esse credimus* propter Dei auctoritatem summe veracis»[9].

---

[1] *De vocabulo fidei*, tom. 1, fol. 197 (ed. Witebergae, 1601).

[2] *Instit.*, lib. 3, c. 2, n. 8.

[3] Encycl. *Pascendi*, Hic tamen; **Denz-Bannw.,** 2074; et *Programma dei modernisti*, Questioni particolari, § 2 «Scienza e fede».

[4] *II-II*, q. 2, a. 9.

[5] *Joann.*, 6, 70.

[6] *II Cor.*, 10, 5.

[7] *I Cor.*, 13, 12.

[8] *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.,** 1789.

[9] Motu proprio *Sacrorum antistitum*, 1 Sept. 1910; **Denz-Bannw.,** 2145.

http://www.obrascatolicas.com

3) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus:* «Undenam jam, inquit, dicis quod Deus verbo omnia fecerit?... Undenam constat? Fide. Fidei enim opus est intelligentia. Ideo dicit: Fide intelligimus» [1]. *S. Augustinus:* «Credere nihil aliud est quam cum assensione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit, cum ideo cogitent plerique, ne credant; sed cogitat omnis, qui credit, et credendo cogitat, et cogitando credit» [2].

412. II. **Ex imperio et pio affectu voluntatis.** Est de fide, ut constabit ex dicendis de libertate actus fidei.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ad romanos ait: *Corde enim creditur ad justitiam* [3]. Quod exponens addit *S. Thomas:* «Id est, voluntate... Intellectus enim credentis non determinatur ad adsentiendum veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis, sed ex voluntate» [4].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Intrare quisquis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens; credere non potest nisi volens» [5]. Id ipsum egregie explicat *Angelicus* dicens: «Intellectus credentis determinatur ad unum non per rationem sed per voluntatem. Et ideo adsensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod a voluntate determinatur ad unum» [6].

3) *Ex ratione.* Actus fidei non solum est liber libertate exercitii sed etiam liber et salutaris libertate specificationis, quatenus intellectus, audito testimonio Dei, ex se est indifferens ad adsentiendum ei vel dissentiendum, et requirit pium voluntatis affectum et influxum ut se determinet ad adsentiendum. Porro hi actus intellectus dicuntur liberi libertate exercitii, cum exercentur sub influxu voluntatis liberae dictantis ponere actus; et dicuntur liberi ac salutares quoad specificationem, cum eliciuntur sub influxu pii affectus voluntatis moventis intellectum potius ad bonum quam ad malum.

Quare, intellectus credentis, cum elicit actus fidei salutaris, movetur et determinatur per pium affectum voluntatis ad adsentiendum potius quam ad dissentiendum [7].

413. III. **Motae per gratiam Dei.** Est de fide contra semi-pelagianos.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* [8]. *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est* [9].

2) *Ex conciliis.* Concilium Arausicanum II (a. 529) edidit sequens decretum: «Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, et ad

---

1 *In epist. ad Hebr.*, c. 11; *Hom.* 22, n. 1; MG **63**, 155.
2 *De praed. sanctorum*, c. 2, n. 5; ML **44**, 963.
3 *Rom.*, 10, 10.
4 *In ep. ad Rom*, c. 10, lect. 2, «Postquam».
5 *In Joannem*, tr. 26, n. 2; ML **35**, 1607.
6 *II-II*, q. 2, a. 1 ad 3.
7 Cfr. **Pègues**, *In II-II*, q. 2, a. 1 ad 3, «Arretons-nous».
8 *Phil.*, 1, 29.
9 *Ephes.*, 2, 8.

regenerationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur» [1].

Concilium Tridentinum: «Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere... posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, a. s.» [2].

Concilium Vaticanum: «Fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam gratiae ejus» [3].

3) *Ex SS. Patribus.* Unus pro mille sufficiat *S. Joannes Chrysostomus*, qui ait: «Nec fides quidem est ex nobis... Hoc ipsum est Dei donum, ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam» [4].

ARTICULUS II

DE PRAEPARATIONE AD ACTUM FIDEI

414. I. Ut intellectus humanus actum fidei eliciat, seu veritatibus revelatis adsensum praestet, necessaria est aliqua praeparatio tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis. Non enim est possibile, ut humana ratio caeco modo et sine motione voluntatis veritatibus revelatis adhaereat. Quare, ad actum fidei quaedam requiruntur ex parte intellectus et quaedam ex parte voluntatis.

De his praeparationibus intellectus et voluntatis ad actum fidei per ordinem disserendum est.

415. II. **De praeparatione ex parte intellectus.**

1) *Revelatio veritatis.* Imprimis praesupponitur revelatio seu manifestatio veritatis formaliter vel virtualiter a Deo facta hominibus. Sine hac quippe revelatione deest objectum tum materiale tum formale fidei. Non est necesse, ut revelatio fiat unicuique singillatim a Deo, sed sufficit quaelibet revelatio formalis vel virtualis, immediata vel mediata.

2) *Propositio seu intimatio Ecclesiae.* Nemo potest esse certus de numero veritatum credendarum, nisi accedat propositio Ecclesiae. Unde, antequam intellectus se disponat ad eliciendum actum fidei, necessario praecedere debet, tanquam conditio praevia, propositio Ecclesiae, qua definiantur veritates credendae.

3) *Cognitio auctoritatis Dei.* Nullatenus potest intellectus humanus firmiter adhaerere veritatibus supernaturalibus, quae ejus capacitatem excedunt, nisi prius certo cognoscat auctoritatem Dei in suis manifestationibus falli vel fallere non posse. Hanc cognitionem ante actum fidei omnino necessariam, adsequitur homo ex conceptu Dei optimi ac sapientissimi, cui falli vel fallere repugnat.

---

1 *Can.* 5; **Denz-Bannw.**, 178.
2 *Sess.* 6, *de justif.*, can. 3; **Denz-Bannw.**, 813.
3 *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.**, 1791.
4 *In ep. ad Ephes.*, hom. 4, n. 2; MG **62**, 33.

http://www.obrascatolicas.com

4) *Cognitio facti revelationis.* a) Nulla lege adstringitur homo acceptare testimonium, quod ignorat. Unde oportet ante actum fidei factum revelationis certo cognitum habere. Quid enim crediturí sunt qui testimonium et revelationem Dei ignorant? Huc certe veniunt illa Apostoli verba: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* (lege *de quo non audierunt*). *Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* [1]. Nemini revera factum revelationis ex ipsis terminis doctrinae innotescit.

b) Sufficit quaelibet certitudo, etiam moralis, quae excludat formidinem in oppositum, quia certitudo, licet objective aliquando rationes, quibus innititur, non sint absolute solidae, excludit tamen omnem formidinem in oppositum, et qui ita saltem moraliter est certus de facto revelationis, potest absque ulla haesitatione adhaerere veritati.

Non est igitur necessaria certitudo *metaphysica*, quae firmitatem adhaesionis ex ipsa rerum natura petit; nec *physica*, quae in ordine legibusque naturae fundatur; sed sufficit *moralis*, quae in constantia morum hominum nititur [2].

c) Haec certitudo non uno motivo unove argumento obtinetur, sed per quaelibet argumenta, motiva et signa, quibus solet homo ad cognitionem veritatis venire. Motivis praesertim credibilitatis persuademur et certiores fimus de facto revelationis divinae.

d) Pueri etiam, qui nequeunt vel motiva credibilitatis examinare vel argumenta scientifica expendere, possunt certitudinem moralem saltem vulgarem de facto revelationis adquirere. Cum enim parentes, parochum, magistros, praedicatores, etc., audiunt, certe norunt exsistentiam ac providentiam Dei, acceptant unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam ejusque testimonia, et cognoscunt modo ipsis accommodato factum revelationis a Deo hominibus factae [3].

e) Qui autem repentino motu vocantur ad fidem, ut saepe contingit, quin motiva revelationis examinare inceperint, lumine supernaturali interius illustrantur, et evidentiam credibilitatis satis adsequuntur in praxi. «Ille, qui credit, ait *S. Thomas*, habet sufficiens inductivum ad credendum; inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis. Unde non leviter credit» [4].

5) *Judicium de credibilitate ac credenditate veritatis revelatae.* Ex duplici cognitione de auctoritate Dei et de facto revelationis sponte sua fluit judicium de *credibilitate* ac *credenditate* veritatis revelatae. Qui enim certo cognovit auctoritatem infallibilem Dei, et certus est Deum aliquas veritates revelasse, confestim judicat illas veritates credibiles esse et adsensu intellectuali dignas (judicium credibilitatis); imo et judicat eas, utpote a Deo revelatas, credendas esse (judicium credenditatis). Per primum judicium censemus veritatibus revelatis posse dari adsensum, per alterum judicamus iisdem adsensum deberi.

---

[1] *Rom.*, 10, 14.
[2] Cfr. **Marcellus a Puero Jesu,** *Logica Major*, n. 556.
[3] Cfr. **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 1, n. 198.
[4] *II-II*, q. 2, a. 9 ad 3.

Hoc utrumque judicium plerumque est explicitum in hominibus doctis, adsuetis praesertim discussionibus scientificis ac religiosis; sed in pueris ac rudibus et quandoque etiam in ipsis doctis, est implicitum, quod manifestatur in resolutione hominis se moventis ad credendum.

416. III. **De praeparatione ad actum fidei ex parte voluntatis.**

Praeparatio ad actum fidei ex parte voluntatis tripliciter fieri potest: removendo, scilicet, obstacula, quae fidei actum impediunt; applicando intellectum ad efformandum judicium credibilitatis; et imperando intellectui, ut actum fidei eliciat.

1) *Removendo obstacula.* Obstacula, quae fidei actum impediunt, sunt plurima inter homines. Potissima sunt: *superbia cordis*, quae dictat auctoritati Dei non esse parendum; *passiones immortificatae*, praesertim *sensualitas*, quae hominem enervant, et a dogmatibus credendis necnon a rebus spiritualibus exercendis avertunt; *praejudicia voluntaria*, quae homines praesertim studiis naturalibus deditos ab amplectenda fide supernaturali non parum cohibent.

Haec et alia obstacula potest ac debet voluntas, adjuvante gratia supernaturali, quae omnibus offertur et datur, removere, si sincere velit actum fidei supernaturalem, quo veritates revelatae creduntur, elicere. Hinc plures hodie, qui argumenta et demonstrationes fidei amplectendae quaerunt, monendi sunt, ut intellectum humiliter captivent in obsequium fidei, passiones compescant, ac praejudicia cuncta excutiant, seque ad meliorem frugem in omnibus recipiant [1].

2) *Applicando intellectum ad efformandum rectum judicium credibilitatis.* Intellectus in suis operationibus indiget applicatione voluntatis. Unde ad efformandum rectum judicium de motivis credibilitatis requirit motionem voluntatis. Voluntas porro nihil agit nisi sub ratione boni, quia ejus objectum est semper bonum. Bonum autem, quod voluntas appetit, cum intellectum movet ad efformandum judicium de motivis credibilitatis, potest esse multiplex: cognitio Dei per fidem, cujuslibet veritatis revelatae notitia, spes vitae aeternae consequendae, etc., sunt bona, quibus voluntas movetur ad applicandum intellectum, ut efformet rectum judicium de motivis credibilitatis.

Cum voluntas solemnitate cultus ecclesiastici, exemplis caritatis ac honestatis catholicorum, auctoritate solida ac uniformi ministrorum Ecclesiae, structura corporis socialis ecclesiastici, aliisque motivis placide attrahitur in bonum, vel veritatis inquirendae ac inveniendae vehementi desiderio fertur, facile applicat intellectum ad recte judicandum de his, quae fidem supernaturalem commendant.

Haec, ut vides, voluntatis actio in intellectum nihil valoris addit motivis credibilitatis, sed movet applicatque intellectum, ut criteria objectiva rite expendat atque judicet.

---

[1] Hodiernis scientiarum naturalium peritis, qui nunquam sibi persuadent de credibilitate fidei, non desunt argumenta et motiva necessaria, desunt potius humilis animae dispositio, vitae intemeratae ratio, et bona voluntas omnibus praejudiciis libera. Desinant depravatos mores anteactae vitae, adsuescant operibus honestis, quaerant sincere salutem aeternam animae, et argumenta ipsis videbuntur efficaciora, viaque ad fidem facilior.

http://www.obrascatolicas.com

3) *Imperando intellectui, ut actum fidei eliciat.* Accedente demum momento, quo oporteat actum fidei elicere, voluntas mota, sicut diximus, bonitate veri cognoscendi, honestatisque sequendae, vel vitae aeternae adipiscendae, necnon gratia supernaturali adjuta, applicat intellectum ad credendum veritates revelatas.

Hoc voluntatis imperium theologi vocant *pium credulitatis affectum*, quia, praelucente credulitatis judicio, et movente gratia supernaturali, producitur a voluntate [1].

ARTICULUS III

UTRUM ET QUOMODO ADSENSUS FIDEI RESOLVATUR ULTIMO IN AUCTORITATEM DEI REVELANTIS, SEU QUOMODO FIAT ANALYSIS ACTUS FIDEI

417. Status quaestionis. 1) Aggredimur quaestionem difficilem, quae theologorum ingenia diu torsit, et nondum torquere desinit.

2) Est principium generale in philosophia omnem effectum posse resolvi in suas causas, praesertim in suam rationem formalem. Ratio autem formalis seu objectum formale *quo* adsensus fidei divinae est auctoritas Dei revelantis, et consequenter actus fidei divinae dicitur resolvi in auctoritatem Dei loquentis, adeo ut credamus revelata propter testimonium Dei. Interroganti: *Cur credis Deum esse trinum?* Recte respondemus: *Quia Deus ita revelavit.* Sed difficultas est, an in hoc sistat resolutio. Hac sola responsione non omnino satiatur animus interrogantis, et ulterius quaerit: *Unde scis Deum esse veracem et hoc mysterium revelasse?* Huic quaesito respondetur: *Ex motivis credibilitatis.* Exinde sequi videtur adsensum nostrae fidei ultimo resolvi in motiva credibilitatis, quibus ultimo satisfit quaesitis circa rationem fidei.

Hoc autem nefas est dicere. Quia cum motiva credibilitatis sint argumenta naturalia, nequeunt fundare adsensum supernaturalem fidei theologicae.

Quare, probavimus supra objectum formale *quo* seu rationem formalem fidei esse auctoritatem Dei revelantis.

3) Hic movetur quaestio satis difficilis, an adsensus fidei nostrae ultimo resolvatur in auctoritatem Dei revelantis, et qua ratione haec resolutio non fiat ulterius, quamvis auctoritas Dei revelantis aliis motivis nobis innotescat.

418. Placita theologorum. 1) Aliqui contendunt adsensum fidei nostrae resolvi in auctoritatem Dei revelantis fide divina creditam. Supponunt quidem notitiam de divina auctoritate ex motivis intrinsecis habitam et judicium de credibilitate ac exsistentia revelationis ex motivis credibilitatis efformatum, praecedere quidem actum fidei, sed in ipso actu fidei nos praescindere de argumentis humanis, et auctoritatem Dei credere fide divina simul cum objecto. Ita *Suarez* aliique plures [2]. Hanc sententiam exponit

[1] Cfr. **Bainvel,** *La foi et l'acte de foi*, p. 140.

[2] **Suarez,** *De fide*, disp. 3, sect. 12, n. 12; **Valentia,** *In II-II*, disp. 1, q. 1, p. 1, ads. 2, diff. 8; **Wirceburgenses,** *De fide*, n. 160.

Suarez his verbis: «In actu exercito, dum Deus aliquid dicit, quasi per intrinsecam reflexionem ejusdem actus in se ipsum dicit se dicere... Et hac ratione, quando aliquid sufficienter proponitur ut dictum a Deo, eo ipso locutio illa sufficienter proponitur ut verbum Dei; et ideo non tantum res dicta, sed etiam locutio ipsa accipienda est et credenda ut verbum Dei... Hoc ergo modo divinum verbum (factum revelationis) et rem dictam (veritatem revelatam), et se ipsum (auctoritatem suam) dicit, et hac ratione per fidem infusam creditur, et non per revelationem in aliud verbum, sed per se ipsum» [1].

Ratio, cui haec sententia innititur, est, quia ratio formalis in quam actus fidei supernaturalis resolvitur, debet esse pariter supernaturalis. Auctoritas autem Dei revelantis non est nobis supernaturalis, quatenus innotescit ex motivis credibilitatis, sed quatenus creditur fide divina.

Haec tamen opinio non videtur admittenda, quia adsensum fidei ultimo resolvit in se ipsum, et rationem rei adsignat id ipsum, quod quaerit, incidendo in circulum vitiosum. Ad rem *Lugo:* «Si incarnationem credis, quia Deus est summe verax et id revelavit, et rursum Deum esse summe veracem credis, quia Deus id de se revelavit, quaero cur credas Deo dicenti se esse summe veracem? Dicis, quia Deus est summe verax. Ecce Deo dicenti credis summam ejus veracitatem, quia ipse est summe verax et rursus hoc totum credis, quia Deus dicit se esse summe veracem» [2].

Oportet igitur auctoritatem Dei revelantis aliunde cognitam habere quam ex sola revelatione, ut in ipsam resolvatur ultimo adsensus fidei nostrae.

2) Profundissimus *Lugo* [3], quem ex recentioribus sequitur *Franzelin* [4], docet auctoritatem Dei revelantis factumque revelationis per se immediate nobis innotescere ex terminorum apprehensione, adeo ut Deus veritatem in revelatione non solum verbis sed etiam factis, quasi quibusdam sigillis, offerat nobis cognoscendam, et intellectus «ex ipsa apprehensione et comparatione extremorum, sine alio discursu, possit elicere adsensum immediatum, quo dicat: *haec est doctrina Dei*, seu *hoc proponitur mihi ex parte Dei*» [5].

Hanc opinionem *Salmanticenses* vocant «parum rationabilem» [6]; et ex eo saltem puto esse rejiciendam, quod auctoritas Dei revelantis et factum revelationis nunquam nobis innotescunt immediate in se ipsis ex terminorum propositionis apprehensione, sed mediate. Propositio siquidem *Deus est unus et trinus*, qua veritas revelata continetur, non exhibet nobis auctoritatem Dei et factum revelationis.

3) Alii communius et probabilius dicunt in apostolis et prophetis, qui immediate a Deo illustrati sunt, adsensum fidei ultimo resolutum esse in auctoritatem Dei cognitam per lumen propheticum; sed in caeteris catholicis resolvi in auctoritatem Dei revelantis cognitam per argumenta credibilitatis. Hi auctores optime distinguunt objectum formale *quo* fidei seu auctoritatem divinam supernaturalem, in quam fit actus fidei resolutio, a cognitione praevia hujus auctoritatis. Auctoritas Dei revelantis, quae est ratio formalis specificans actum fidei divinae, est id, quo creditur objectum revelatum, et est necessario supernaturalis, cognitio vero ejus praevia potest esse naturalis. Ita *S. Thomas, Salmanticenses, Mazzella, Billot, Lahousse, Bainvel, Pesch, Van Noort* et alii [7].

[1] *De fide*, disp. 3, sect. 12, n. 12.

[2] *De virtute fidei divinae*, disp. 1, sect. 6, n. 82.

[3] *De virtute fidei divinae*, disp. 1, sect. 6-7.

[4] *De traditione et Scriptura*, Append., cc. 4 et 5.

[5] **Lugo,** *De virtute fidei divinae*, disp. 1, sect. 7, n. 124.

[6] *De fide*, disp. 1, n. 187.

[7] **S. Thomas,** *De veritate*, q. 14, a. 8; **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 1, n. 172 sqq.; **Mazzella,** *De virtutibus infusis*, n. 810 sqq.; **Billot,** *De virtutibus infusis*, th. 16-17; **Lahousse,** *De virtutibus theologicis*, n. 132 sq.; **Bainvel,** *La Foi et l'acte de Foi*, p. 178; **Pesch,** *De fide*, n. 320 sqq.; **Van Noort,** *De fide*, n. 297 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

Hanc sententiam, quam veram esse puto, variis thesibus explanare curabo.

419. THESIS I. **Actus fidei apostolorum et prophetarum quoad ea, quae immediate a Deo didicerunt, resolutus est in auctoritatem Dei revelantis, cognitam ab ipsis per lumen propheticum.**

Ratio est, quia apostoli et prophetae, qui immediate a Deo illustrati sunt, in ipsa illustratione habuerunt evidentiam in attestante veritatis revelatae, ut egregie probat *Philippus a SS. Trinitate* [1], id est, in lumine prophetico per evidentiam experimentalem, Deo sic ipsos illustrante, certo cognoscebant Deum infallibilem se ipsum ac veritates divinas manifestare. Unde, qui Deum primam veritatem immediate revelantem audierunt, intellexerunt sese Deum audire, et acquisiverunt cognitionem satis certam auctoritatis Dei revelantis, ut de revelatis adsensum supernaturalem fidei elicerent.

420. THESIS II. **Caeteris catholicis, qui revelationem Dei mediate percipiunt, auctoritas Dei revelantis et factum revelationis innotescunt ante actum fidei per argumenta credibilitatis; et adsensus fidei ex parte subjecti et, ut ajunt, dispositive, resolvitur in formalem evidentiam credibilitatis et revelationis.**

Haec videtur esse certe doctrina *S. Thomae*, qui ait: «Ea, quae subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali, et sic non possunt esse simul visa et credita, sicut dictum est in corpore articuli, alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, et sic sunt visa ab eo qui credit (per motiva credibilitatis); non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi» [2].

Ratio est, quia adsensus fidei divinae in se obscurus sed simul firmus et absque ulla haesitatione elicitus, nequit ultimo resolvi ex parte subjecti nisi in aliquid evidens ac certum. Sed in actu fidei nihil est ex parte subjecti evidens, nisi quod ostenditur per argumenta credibilitatis. Veritas siquidem revelata est nobis in se obscura. Ergo adsensus fidei ex parte subjecti ultimo resolvitur in evidentiam credibilitatis divinae.

Dixi *adsensum fidei ex parte subjecti*. Auctoritas siquidem Dei revelantis et factum revelationis evidenter probantur per argumenta credibilitatis, et adsensus fidei supponit utriusque evidentiam formalem, atque ideo ex parte subjecti ultimo resolvitur in eamdem geminam evidentiam, qua datur ultima ratio fidei ex parte subjecti.

«Dicendum est tertio, ajunt *Salmanticenses*, reliquis catholicis, qui in Ecclesia exsistunt, innotescere Deum revelasse cuncta, quae illa credenda proponit, atque ideo eam esse infallibilem regulam credibilium, per evidentiam formalem credibilitatis divinae praedicti objecti... Dicendum

[1] *De fide*, disp. 2, dub. 5.
[2] *II-II*, q. 1, a. 4 ad 2.

est quarto adsensum fidei resolvi per se, et ultimo ex parte subjecti in communi accepti in evidentiam formalem divinae revelationis, vel quantum ad esse illius, vel quantum ad credibilitatem ejusdem... Dicendum est ultimo adsensum fidei, quatenus dependet ab actu, quo illius subjectum tenet Deum esse summe veracem, resolvi ultimo vel in evidentiam credibilitatis, de qua hactenus, vel in evidentiam formalem naturalem vel supernaturalem dictae propositionis, scilicet Deus est summe verax» [1].

421. THESIS III. **Actus fidei divinae est omnino simplex, quo solum credimus veritatem revelatam propter auctoritatem Dei, adeo ut objectum materiale actus fidei divinae non sit ipsa auctoritas Dei revelantis nec factum revelationis, sed veritas revelata.**

1) Si secundum opinionem *Suarezii* et aliorum uno actu fidei crederemus objectum revelatum, Deum revelantem et factum revelationis, adsensus fidei non esset omnino simplex, sed saltem virtualiter complexus, quia triplici simul objecto materiali adsentiremus. Sed in nostra sententia, quam putamus esse veriorem, adsensus fidei attingit solam veritatem revelatam ut objectum *quod* credit, auctoritatem Dei revelantis ut objectum quo credit [2], et factum revelationis supponit ut praevie cognitum.

2) Veritas sic proposita certe defenditur a *S. Thoma:* «Cum enim credere, inquit, ad intellectum pertineat, prout est a voluntate motus ad adsentiendum, ut dictum est art. praec., ad 3, potest objectum fidei accipi vel ex parte ipsius intellectus, vel ex parte voluntatis intellectum moventis. Si quidem ex parte intellectus, sic in objecto fidei duo possunt considerari, sicut supra dictum est q. 1, a. 1, quorum unum est materiale objectum fidei, et sic ponitur actus fidei *credere Deum*, quia, sicut supra dictum est, nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundum quod ad Deum pertinet. Aliud autem est formalis ratio objecti, quod est sicut medium propter quod tali credibili adsentitur, et sic ponitur actus fidei *credere Deo*, quia, sicut supra dictum est, formale objectum fidei est veritas prima, cui inhaeret homo, ut propter eam creditis adsentiatur. Si vero consideretur tertio modo objectum fidei, secundum quod intellectus est motus a voluntate, sic ponitur actus fidei *credere in Deum*. Veritas enim prima ad voluntatem refertur, secundum quod habet rationem finis» [3].

Revera, ut experientia nos docet, quando credimus trinitatem personarum, non prius credimus auctoritatem Dei revelantis, et deinde trinitatem personarum, sed cognita credibilitate hujus mysterii et constito nobis facto revelationis, unice credimus trinitatem ut objectum a Deo revelatum.

[1] *De fide*, disp. 1, n. 172 sqq.
[2] «Nota, inquit **Billot**, quid sit objectum attingi actu sive intellectus sive voluntatis *ut quod*, vel *ut quo*, seu *propter quod*. Attingi *ut quod* est attingi ut res, sive ut objectum materiale quod affirmatur, aut creditur aut appetitur. Attingi *ut quo* seu *propter quod* est attingi mere ut ratio aliquid aliud affirmandi, credendi, appetendi». *De virtutibus infusis*, th. 16 (nota).
[3] *II-II*, q. 2, a. 2.

http://www.obrascatolicas.com

Actus fidei, si esset virtualiter complexus, non resolveretur ultimo in auctoritatem Dei revelantis, sed potius in nexum inter unum et alterum objectum.

422. THESIS IV. **Auctoritas Dei revelantis per motiva credibilitatis certo nobis cognita, non tamen nostra de auctoritate Dei cognitio, est objectum seu motivum formale «quo» fidei nostrae, et in ipsam hoc pacto prius a nobis cognitam fit objective et formaliter ultima resolutio actus fidei.**

1) In toto hoc negotio de analysi actus fidei prae oculis habendum est Deum hominibus aliqua revelasse. Veritas revelata est objectum circa quod versatur fides, et adhibetur adsensus propter auctoritatem divinam.

Ut fides nostra sit omnino rationalis, oportet auctoritatem Dei revelantis cognitam habere per quaelibet argumenta, motiva et signa, quibus possumus eam demonstrare. His argumentis jure convincimur auctoritati Dei loquentis deberi adsensum intellectus. Sed sub duplici adspectu possumus auctoritati Dei adsensum praebere: primo, quia *probavimus Deum veracem esse*, et hoc sensu adsensus non est fides; secundo, quia infinita Dei dignitas testificans veritatem meretur fidem, et hoc sensu dicimus auctoritatem Dei loquentis esse motivum fidei, et in eam ultimo resolvi formaliter et objective adsensum fidei nostrae.

Sic igitur actus fidei supernaturalis elicitur, cum, habita quocumque modo certa cognitione auctoritatis Dei loquentis et facti revelationis, intellectus sub imperio voluntatis et influxu gratiae credit revelata propter solam eamque supernaturalem auctoritatem Dei testificantis. Objectum revelatum et testimonium Dei sunt supernaturalia, sed cognitio praevia de auctoritate Dei revelantis et facti revelationis, utpote actum fidei praecedens, potest esse naturalis, et non pertinet ad motivum fidei.

2) Hanc doctrinam certe accepimus ab *Angelico Doctore*, qui ait: «Intellectus credentis adsentit rei creditae, non quia ipsam videat vel secundum se, vel per resolutionem ad prima principia per se visa; sed quia convincitur auctoritate divina adsentire his, quae non videt, et propter imperium voluntatis moventis intellectum. Quod autem voluntas moveat intellectum ad adsentiendum, potest contingere ex duobus: Uno modo ex ordine voluntatis ad bonum, et sic credere est actus laudabilis; alio modo, quia intellectus convincitur ad hoc quod judicet esse credendum his, quae dicuntur; licet non convincatur per evidentiam rei; sicut si aliquis propheta praenuntiaret in sermone Domini aliquid futurum et adhiberet signum, mortuum suscitando, ex *hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo, qui non mentitur*, licet illud futurum, quod praedicitur, in se evidens non esset. Unde per hoc ratio fidei non tolleretur» [1].

3) Ratio videtur manifesta. Quia, ut bene ait *Lugo*, «ultimo resolvi nihil est aliud, nisi quod interroganti non sit ulterius progrediendum,

[1] *II-II*, q. 5, a. 2.

cum reddatur ei ultima ratio nos movens, et ad quam nulla alia nos movit, sed ipsa movit ad aliud credendum» [1]. Interroganti autem cur credamus trinitatem personarum in Deo vel incarnationem Filii Dei, damus ultimam rationem: *Quia auctoritas Dei seu prima veritas illam testificata est.* Responsio in hoc sistere debet, et non est ulterius progrediendum.

423. Corollarium. Si quis ulterius quaerat, undenam nobis innotescat auctoritas Dei testificantis ea, quae credimus, extra quaestionem vagatur, quia non quaerit motivum et ultimam resolutionem adsensus fidei, vel ultimam rationem, quare credamus, sed quaerit originem nostrae cognitionis de auctoritate Dei, quae, ut diximus, non pertinet ad motivum fidei, sed est conditio quaedam praevia ad fidem.

424. Scholion. *An et quomodo objectum formale quo fidei, in quod ultimo resolvitur adsensus fidei, sit supernaturale.*

1) Omnino certum esse puto objectum formale *quo* fidei divinae, in quod ultimo resolvitur adsensus ejusdem, esse supernaturale, quia oportet rationem formalem, a qua specificatur habitus fidei supernaturalis, esse pariter supernaturalem.

2) Sed quomodo salvetur supernaturalitas hujus objecti, non facile solvitur.

a) *Suarez* et qui ipsum sequuntur, ideo docuerunt auctoritatem Dei loquentis credi oportere per ipsum actum fidei, quia putabant ita solummodo salvari posse supernaturalitatem objecti formalis fidei.

b) Sed alii verius distinguunt inter objectum formale fidei et ejus cognitionem, et dicunt ad rationem fidei supernaturalis minime opus esse, ut cognitio objecti formalis sit supernaturalis, dummodo ipsum objectum seu motivum formale sit supernaturale. Auctoritas autem Dei revelantis, licet nobis innotescat per argumenta naturalia, in se tamen, quatenus interponit divinum testimonium manifestans veritates credendas in ordine ad finem supernaturalem, et exhibet dignitatem infinitam sub ratione auctoritatis attestantis, est supernaturalis [2]. Imo motiva credibilitatis ostendunt mysteria a Deo revelata esse credibilia per fidem divinam.

«Quocirca, ajunt *Salmanticenses*, ut is (actus fidei) sit supernaturalis et omnino firmus, non apparet ratio, ob quam evidentia formalis de divina veracitate debeat esse supernaturalis, atque a principio hujus ordinis produci» [3].

Quando naturali rationis lumine ex motivis credibilitatis et caeteris argumentis cognoscimus Deum esse veracem et aliqua revelasse, efformamus, ut diximus, judicium evidens credibilitatis. Hoc porro judicium, ut scite animadvertunt ipsi *Salmanticenses*, est duplex, unum speculativum et alterum practicum. Judicio speculativo concludimus veritates revelatas ex parte objecti esse dignas, ut fide divina credantur; judicio practico cognoscimus conveniens ac prudens nobis esse illas fide divina credere. Judicium practicum credibilitatis est supernaturale; tum quia

[1] *De virtute fidei divinae*, disp. 1, n. 7.
[2] Cfr. **Van Noort**, *De fide*, n. 304.
[3] *De fide*, disp. 1, n. 183. Cfr. **Bonal**, *De fide*, n. 92.

http://www.obrascatolicas.com

«est initium fidei vel oritur saltem applicative ab actu piae affectionis, quae est praedictae fidei initium» [1]; tum quia regulat ipsum actum piae affectionis, qui est supernaturalis; tum denique quia objectum judicii practici est actus fidei infusae, qui est supernaturalis.

Judicium e contra speculativum credibilitatis potest esse naturale vel supernaturale, prout oritur ex principio naturali vel supernaturali.

QUAESTIO XXII

DE CERTITUDINE FIDEI

ARTICULUS I

UTRUM DEUS POSSIT REVELARE FALSUM

425. Status quaestionis. 1) Sicut veritas perfecta est conformitas seu adaequatio rei et intellectus judicantis, ita falsitas formalis est *inconformitas seu inadaequatio rei et intellectus judicantis* [2]. Nomine autem rei potest accipi vel res externa in se, vel manifestatio seu revelatio, quae habet locum verborum. Unde quantum ad hoc falsitas in Deo diceretur, si mens divina esset dissona locutioni ejusdem vel objectis externis exsistentibus.

2) Quamvis priscillianistae aliique haeretici docuerint, ut adserit *S. Augustinus* [3], Christum Dominum aliquando falsum fuisse locutum, certo tamen tenendum est Deum numquam de facto locutum fuisse falsum, ut patebit ex dicendis.

3) Aliqui catholici admittentes, ut par est, Deum nunquam de facto protulisse verbum falsum, putantes tamen hoc non esse intrinsece malum, dixerunt Deum posse absolute loqui falsum. Ita *Biel* et alii pauci [4].

426. THESIS. **Impossibile est Deum loqui falsum.**

1) In libris tum veteris tum Novi Testamenti dicitur Deum non posse mentiri. *Non est Deus*, ait Scriptura, *quasi homo, ut mentiatur* [5]. Et Apostolus in Novo Testamento: *Interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus* [6].

2) Ratio videtur manifesta. Deus enim est prima et summa veritas, imo ipsa veritas. Impossibile est autem primam ac ipsam veritatem fal-

1 *De fide*, disp. 1, n. 200.
2 Cfr. **Marcellus a Puero Jesu,** *Logica*, n. 236.
3 *Contra mendacium*, c. 2; ML **40,** 519.
4 *In III Sent.*, dist. 38, q. un., a. 2, concl. 2.
5 *Num.*, 23, 19.
6 *Hebr.*, 6, 17-18.

sum dicere, sicut impossibile est ipsam bonitatem malum facere. «Sub prima veritate, ait *S. Thomas*,... nullum falsum stare potest, sicut nec non ens sub ente, nec malum sub bonitate» [1].

427. Corollarium I. Eadem ratione existimo contra *Vazquez, Lugo, Ripalda* et alios [2], Deum non posse actione et concursu speciali infundere errorem in intellectum creatum. Infundere siquidem errorem in intellectum creatum est directe efficere et causare errorem. Prima autem ac ipsa essentialiter veritas non potest directe et speciali influxu causare errorem. Hoc enim esset negare se ipsum.

Coroll. II. Certum esse pariter puto Deum non posse miracula edere, quae ex se ordinentur in confirmationem erroris, quia non potest ipsa veritas confirmare falsum nec inducere homines in errorem.

Potest quidem edere miracula, quae ex quibusdam circumstantiis et abusu hominum videantur errorem confirmare, sed hoc in casu non erit difficile scopum miraculorum deprehendere et errorem detegere.

ARTICULUS II

UTRUM ADSENSUS FIDEI POSSIT ESSE FALSUS

428. Status quaestionis. Adsensus fidei est actus intellectus, quo ex imperio voluntatis motae per gratiam credimus revelata propter auctoritatem Dei loquentis. Et quaerimus, an hic adsensus possit esse aliquando falsus, id est, non conformis objectivae seu transcendentali rerum veritati.

Communis et certa sententia contra quosdam veteres tenet adsensum fidei non posse esse dissonum veritati, ac proinde doctrinam falsam nunquam sustineri posse per adsensum fidei supernaturalis.

429. THESIS. **Adsensus fidei nunquam potest esse falsus.**

1) Hoc patet ex Concilio Tridentino, quod ait: «Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei consequutum» [3].

2) Ratio perspicua et efficax hujus veritatis ex eo sumitur, quod adsensus supernaturalis fidei innititur testimonio Dei tanquam motivo et objecto formali *quo* specificativo, et nequit esse falsus, quin Deus adserat vel testificetur falsum. Ostendimus autem supra impossibile esse Deum dicere falsum.

In hoc verti videntur cuncta argumenta, quae aliqui congerunt ad probandum actui fidei non posse subesse falsum. Aut enim intellectus humanus adhaeret veritati revelatae propter auctoritatem Dei revelantis, et non potest errare; aut conatur credere sententiam, quam judicat

1 *II-II*, q. 1, a. 3.
2 **Vazquez,** *In I-II*, disp. 90, n. 12; et disp. 186, n. 27; **Lugo,** *De fide*, disp. 4, sect. 3, 33 sqq.; **Ripalda,** *De fide*, disp. 4, sect. 4, n. 37.
3 *Sess.* 6, c. 9; **Denz-Bannw.,** 802.

http://www.obrascatolicas.com

esse a Deo revelatam, cum non sit revelata, ut aliquando contingere potest, et non elicit adsensum fidei. Et in hoc casu, non jam adsensus fidei, sed adsensus naturalis, quem intellectus falso existimat supernaturalem, erit falsus.

ARTICULUS III

UTRUM FIDES DIVINA SIT CERTIOR OMNI ALIA COGNITIONE

430. Status quaestionis. 1) Certitudo recte definitur: *Determinatio intellectus ad unum* [1].

2) Sunt plures species certitudinis ex fontibus, ex lumine, ex motivis, etc., petitae, quas uberrime explicant philosophi, sed, ad praesens quod attinet, meminisse sufficiat certitudinem ex elementis intestinis, quibus constat, posse esse *objectivam* ex elemento objectivo, *subjectivam* ex elemento subjectivo, et *formalem* ex utriusque connexu.

Certitudo *objectiva* est immobilis rei veritas ac determinatio expostulans firmum intellectus adsensum, ut certum est Deum esse bonum. *Subjectiva* est firmitas adsensus nostri ad veritatem absque ulla errandi formidine, ut, cum dico: *Certus sum Deum exsistere. Formalis* ex utroque elemento coalescit, et definitur: *Firma mentis adhaesio ad veritatem cognitam ob motivum, quod excludit prudentem errandi formidinem.* Hac firmitate adhaeret intellectus ad veritatem revelatam de Verbi incarnatione ob auctoritatem Dei revelantis.

3) Tria possunt in hac formali certitudine considerari: *exclusio nempe formidinis errandi, adhaesio positiva mentis ad veritatem; et connexio* seu *conformitas necessaria adsensus cum veritate objectiva*, quae dicitur *infallibilitas*. Penes aliquem horum conceptuum potest attendi excessus certitudinis fidei prae certitudine aliarum cognitionum.

431. THESIS I. **Adsensus fidei divinae est omnino certus.**

Est omnino tenendum contra *Durandum* et recentes rationalistas [2].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Petrus: *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis* [3]. Hoc autem scire nequibat domus Israel nisi per fidem. Unde notitia habita de Christo per fidem est certissima. Huic consonum est quod dicit Apostolus: *Scio enim cui credidi, et certus sum* [4].

2) *Ex SS. Patribus. Pseudo-Dionysius* fidem divinam vocat «constans fidelium firmamentum fundans illos in veritate» [5].

3) *Ex ratione.* Motivum cui adsensus fidei innititur est infallibile, testimonium scilicet Dei falli vel fallere nescii. Sed adsensus innitens motivo infallibili est omnino certus. Ergo.

---

1 **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 23, q. 2, a. 2, sol. 3.
2 **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 23, q. 7, n. 7.
3 *Act.*, 2, 36.
4 *II Tim.*, 1, 12.
5 *De div. nom.*, c. 7, § 4; MG **3**, 871.

432. THESIS II. **Adsensus fidei divinae 1) quoad exclusionem formidinis errandi est tam certa quam quaelibet notitia naturalis vel supernaturalis; 2) quoad adhaesionem mentis ad veritatem et quoad connexionem necessariam cum veritate objectiva est certior omni cognitione naturali.**

Pars 1.ª *Quoad exclusionem formidinis errandi.* Contrarium sentit *Tanquerey* [1].

Certitudo fidei absolute et omnino excludit errandi formidinem et dubium de veritate credita. Si quis enim de veritate credita haberet formidinem erroris vel dubium, jam non crederet, quia de errore formidans non habet firmitatem fidei, et dubius in fide est haereticus.

Involuntaria tamen dubitatio, si quando pungit credentem, nihil impedit firmitatem et certitudinem adsensus fidei.

Pars 2.ª *Quoad adhaesionem mentis ad veritatem revelatam et connexionem cum veritate objectiva.*

1) Haec est constans traditio *SS. Patrum*, quibus nihil fuit familiarius quam fidei firmitatem et certitudinem verbis magnificis extollere. «Quotquot, ait *Richardus a S. Victore*, veraciter fideles sumus, nihil certius, nihil constantius tenemus, quam quod fide aprehendimus» [2].

2) Ad rem *Angelicus:* Quantum ad firmitatem adhaesionis «fides est certior omni intellectu et scientia, quia prima veritas, quae causat fidei adsensum, est fortior causa quam lumen rationis, quod causat adsensum intellectus vel scientiae» [3].

3) Ratio est manifesta. Causae ex quibus provenit certitudo fidei magis firmant intellectum in veritate revelata, quam causae, quae producunt certitudinem naturalem in veritate naturali cujuslibet scientiae. Certitudo quippe adsensus fidei derivatur ab objecto credito, quod est Deus, *apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* [4]; a motivo formali quod est testimonium Dei infallibile; a motione voluntatis, quae in adsensu fidei est firmior ac efficacior, quam in scientiis naturalibus; a gratia supernaturali, quae est participatio luminis increati. Causae vero, ex quibus enascitur certitudo naturalis, sunt prima principia, quae facilius possunt falli, quam fundamenta fidei. Unde jure exclamavit Christus: *Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* [5].

Hinc sequitur intellectum humanum per fidem firmius in se et in sua specie adhaerere veritati revelatae, quam per habitus intellectuales naturales, qui sunt prima principia, sapientia, scientia, prudentia et ars.

Facilius etiam invenimus homines, qui pro fide tuenda sanguinem fuderint, quam qui pro scientiis naturalibus defendendis vitam finierint.

433. Scholion. Cl. *Kilber* (Wirceburgenses) [6] defendit adsensum

---

1 *De fide*, n. 255.
2 *De Trinitate*, lib. 1, c. 2; ML **196**, 891.
3 *De veritate*, q. 14, a. 1 ad 7.
4 *Jac.*, 1, 17.
5 *Matth.*, 24, 35.
6 *De virtutibus theolog.*, n. 205.

http://www.obrascatolicas.com

fidei quoad certitudinem adhaesivam non excedere adsensus naturales metaphysice certos seu evidentes et a voluntate independentes; sed ego puto adsensum fidei in veritates revelatas ita esse firmum, ut animus credentis sit dispositus ad négandum potius veritates metaphysice certas, quam ad inficianda mysteria fidei.

ARTICULUS IV

UTRUM FIDES ET OPINIO DE EODEM OBJECTO POSSINT ESSE SIMUL IN EODEM INTELLECTU

434. Status quaestionis. 1) Opinio recte definitur a philosophis: *Adsensus mentis ad unam contradictionis partem cum rationabili formidine alterius* [1]; ut si quis existimet animam humanam esse immortalem cum formidine tamen ne sit mortalis.

Opinio essentialiter consistit, non in negatione certitudinis, sed in adsensu seu determinatione mentis ad unam partem, cui connectitur formido seu carentia certitudinis [2].

2) Tum opinio tum fides potest esse *actualis* vel *habitualis*. De fide actuali et habituali satis diximus supra. Opinio *actualis* est adsensus seu determinatio mentis ad unam partem cum formidine alterius; *habitualis* vero est status mentis habitualiter dispositae ad eliciendum adsensum cum formidine alterius.

3) Cum quaerimus, an fides et opinio circa idem objectum possint esse simul in eodem intellectu, loquimur de eodem objecto secundum idem praedicatum, de eodem intellectu, et de simultanea coexsistentia utriusque. Certum est enim fidem et opinionem posse coexsistere: a) *de eodem objecto secundum diversa*, ut credo Petrum fuisse apostolum et opinor ipsum fuisse sagacis ingenii; b) *in duobus intellectibus*, ut ego credo Filium Dei fuisse incarnatum, et haereticus opinatur id esse verum; c) *successive*, ut *Tertullianus* plura credidit quae deinde opinatus est.

4) Multiplex fieri potest inter fidem et opinionem comparatio; et sic quaeritur an de eodem objecto et in eodem intellectu possint esse simul actus fidei et actus opinionis; habitus fidei et habitus opinionis; actus unius et habitus alterius; et viceversa.

435. THESIS I. **Impossibile est actum fidei coexsistere cum actu opinionis in eodem intellectu et de eodem objecto secundum idem praedicatum.**

Nota. 1) Actum fidei coexsistere posse cum actu opinionis de eodem objecto et in eodem intellectu tenaciter defenderunt *Valentia, Lugo, Ripalda* et alii non pauci [3].

---

[1] Cfr. **Aristoteles,** *Analytica post.*, c. 23; et **S. Thomas,** *II-II*, q. 1, a. 5 ad 4.
[2] Cfr. **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 2, n. 129.
[3] **Valentia,** *In II-II*, disp. 1, q. 1, p. 4, § 2 ad 3; **Lugo,** *De virtute fidei divinae*, disp. 2, sect. 2, n. 89; **Ripalda,** *De fide divina*, disp. 12, sect. 3, n. 34.

2) Negant omnes generatim thomistae et ex extraneis plures [1].

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Non videtur, ait, esse possibile, quod aliquis de eodem habeat scientiam et opinionem; quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit» [2]. Alibi autem addit: «Sed actus iste, qui est credere, habet firmam adhaesionem ad unam partem, in quo convenit credens cum sciente et intelligente» [3]. Ex quo sequitur adsensum fidei, qui importat firmam mentis adhaesionem, componi non posse cum actu opinionis de eodem objecto in eodem intellectu.

2) *Ex ratione.* Adsensus fidei dicit essentialiter certitudinem, dum actus opinionis importat essentialiter incertitudinem seu non certitudinem. Impossibile autem est, ut intellectus de eodem objecto afficiatur simul certitudine ac incertitudine, quae sunt contradictoriae. Ergo.

Objicies. *S. Thomas* videtur huic doctrinae contradicere his verbis: «Impossibile est, quod cognitio perfecta et imperfecta ex parte medii conveniant in uno medio. Sed nihil prohibet, quin conveniant in uno objecto et in uno subjecto; potest enim homo cognoscere eamdem conclusionem per medium probabile et demonstrativum» [4].

Resp. Diversi diversimode explicant textum *S. Thomae*, ut videre est apud *Salmanticenses* [5], et unusquisque potest excogitare solutionem, quam maluerit.

Quantum ad me attinet, existimo opinionem non esse omnino idem ac cognitionem probabilem. Opinio siquidem est adsensus importans essentialiter incertitudinem seu non certitudinem, quae cum adsensu firmo ac certo de eodem objecto compati nequit in uno intellectu. Cognitio vero probabilis solum attendit motivo ac vi suae persuassionis. Unde repugnat, ut qui habuit opinionem, acquisita certitudine de eodem objecto, se reflectat ad motiva opinativa, et judicet illud objectum posse cognosci adsensu opinativo ac formidoloso, cujus medium essentialiter contradicit cognitioni certae. Sed non repugnat, ut qui primo cognovit objectum medio probabili, et postea acquisivit cognitionem certam, se reflectat ad media probabilia, et judicet posse ex illis objectum probabiliter cognosci.

Non tamen sequitur hominem, qui certe cognoscit propositionem, posse elicere cognitionem probabilem circa illam, sed potest judicare propositionem, quam ipse certe cognoscit, esse per alia media probabiliter cognoscibilem. Nihil amplius videtur docuisse *S. Thomas* verbis relatis [6].

436. THESIS II. **Habitus fidei et habitus opinionis de eodem objecto nequeunt compati in eodem intellectu.**

Nota. 1) Omnes auctores, qui docent actum fidei et opinionis de eodem objecto posse esse simul in eodem intellectu, facilius admittunt habitum utriusque de eodem objecto posse esse simul in eodem intellectu.

2) Verius tamen alii tenent hoc esse impossibile.

Arg. Ratio fundamentalis est, quia fides habitualis et opinio habitualis important praedicata contradictoria, quae de eodem objecto et in

---

[1] Cfr. **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 25, q. 1, ad arg. contra 2; **Cajetanus,** *In II-II*, q. 67, a. 3; **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 2, n. 135.
[2] *De veritate*, q. 14, a. 9 ad 6.
[3] *II-II*, q. 2, a. 1.
[4] *I-II*, q. 67, a. 3.
[5] *De fide*, disp. 2, n. 139 sqq.
[6] Cfr. **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 25, a. 3, § 2 ad 4 et 5.

http://www.obrascatolicas.com

eodem intellectu simul esse nequeunt. Habitus siquidem fidei dicitur habitualis determinatio intellectus ad eliciendum actum certum, certe credendo veritatem revelatam; habitus vero opinionis est habitualis determinatio mentis ad eliciendum actum incertum seu non certum de aliqua veritate. Idem autem intellectus nequit simul determinari ad eliciendum actum certum et incertum de eodem objecto.

Intellectus humanus habet quidem capacitatem credendi et opinandi circa idem objectum, sicut habet capacitatem recipiendi gratiam sanctificantem et peccatum habituale, sed non habet capacitatem recipiendi fidem simul et opinionem habitualem, sicut non habet capacitatem recipiendi gratiam simul et peccatum [1].

437. THESIS III. **Actus fidei cum habitu opinionis et habitus fidei cum actu opinionis de eodem objecto possunt esse simul in eodem intellectu.**

1) Hoc locum haberet in casu, quo aliquis habens solum habitum opinionis eliceret actum fidei per auxilium speciale Dei, vel habens solum habitum fidei eliceret actum opinionis. Actus autem unius non importat oppositionem contradictoriam cum habitu alterius. Et quamvis actus tum fidei tum opinionis ex se tendant ad formandum habitum, potest hoc aliquando impediri.

2) Ratio fundamentalis hujus thesis est, quia nullatenus est contradictorium, ut intellectus humanus sit habitualiter certus et actualiter incertus, et viceversa.

QUAESTIO XXIII

DE OBSCURITATE FIDEI

ARTICULUS I

UTRUM COGNITIO FIDEI SIT OBSCURA

438. Status quaestionis. 1) Obscuritas cognitionis intellectualis est defectus evidentiae in adsensu mentis.

2) Potest provenire ex parte medii seu objecti formalis, quod non plene manifestat objectum materiale, vel ex parte mentis, quae evidenter non capit objecta revelata.

3) Hic agimus de obscuritate adsensus fidei ex parte medii seu objecti formalis, de alia obscuritate statim acturi, cum loquemur de incompatibilitate scientiae ac fidei de eodem objecto.

4) Porro objectum formale *quo* seu medium, quo adsentimur revelatis, est auctoritas Dei revelantis, et quaerimus, an actus fidei testimonio Dei innixus sit essentialiter obscurus.

[1] Cfr. **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 2, n. 146.

439. Error. Naturalistae et rationalistae hodierni, omnesque osores ordinis supernaturalis docent indignum esse intellectui humano admittere propositiones, quae vires naturales potentiae excedant [1].

440. THESIS. **Adsensus fidei est essentialiter obscurus.**

Hanc veritatem omnes catholici admittunt, et constat ex S. Scriptura, ex Concilio Vaticano, ex SS. Patribus et ex ratione.

1) Apostolus: *Per fidem enim ambulamus et non per speciem* [2]. *Est autem fides... argumentum non apparentium* [3].

2) *Concilium Vaticanum:* «Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam, revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino» [4].

3) *S. Gregorius Magnus:* «Quae enim apparent, jam fidem non habent sed agnitionem» [5]. *S. Augustinus:* «Fides ergo est, quod non vides credere» [6].

4) Motivum fidei, quod est divinum testimonium, affirmat quidem rei veritatem, et, cum sit infallibile, meretur adsensum mentis, sed non explicat rationem intestinam veritatis. Unde adsensus, qui huic testimonio innititur, est necessario obscurus.

ARTICULUS II

UTRUM ADSENSUS OBSCURUS FIDEI COMPONI POSSIT CUM EVIDENTIA CREDIBILITATIS DE EODEM OBJECTO ET IN EODEM INTELLECTU

441. Status quaestionis. 1) Evidentia credibilitatis nihil aliud est quam actus intellectus nostri, quo evidenter judicamus veritatem nobis propositam tanquam a Deo revelatam esse fide dignam.

2) Ut ex terminis patet, maxime differt ab evidentia sive attestantis, sive revelationis, sive sensus verborum revelationis, sive etiam objecti revelati, de quibus agemus in sequentibus, et solum sistit in judicio, quo evidenter judicatur objectum revelatum, licet in se velamine contectum, esse fide dignum.

3) Diximus supra hujusmodi judicium seu evidentiam credibilitatis, magis vel minus excultam juxta capacitatem subjecti, praecedere actum fidei, tanquam conditionem praeviam, ut fides nostra sit rationalis.

Declarandum est nunc breviter, an haec evidentia credibilitatis compati queat in eodem intellectu cum obscuritate adsensus fidei.

[1] Cfr. **Benoit,** *La ciudad anticristiana*, n. 176 sqq.
[2] *II Cor.*, 5, 7.
[3] *Hebr.*, 11, 1.
[4] *Sess.* 3, c. 4; **Denz-Bannw.,** 1796.
[5] *Hom.* 26 *in Evang.*, n. 8; ML **76,** 1202.
[6] *In Joann.*, tr. 40, n. 9; ML **35,** 1690.

http://www.obrascatolicas.com

442. THESIS. **Evidentia credibilitatis nullatenus obstat obscuritati fidei.**

1) *S. Thomas:* «Ea, quae subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali, et sic non possunt esse simul visa et credita... Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione *credibilis*, et sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi» [1].

2) Plura sunt motiva, quibus veritas revelata prudenter judicatur fide digna. Vaticinia enim prophetarum eventu adimpleta, sanctitas doctrinae, miracula in confirmationem doctrinae patrata, constantia martyrum in fide profitenda, celerrima fidei propagatio, et alia plura certe ostendunt credibilitatem veritatis revelatae. Haec tamen evidens credibilitas non declarat intestinam rationem objecti nec ipsam veritatem objectivam enuntiationis, sed objectum relinquit obscurum. Quae cum ita sint, tantum abest, ut evidentia credibilitatis obstet fidei, quin potius dicendum est illam ante actum fidei praerequiri et ad credendum conducere.

443. Scholion. Evidentia pariter divinae veracitatis, quae ex consideratione naturae et attributorum Dei colligitur, praecedit actum obscurum fidei. Quicumque enim Dei naturam ac proprietates considerat, statim colligit Deum veracem esse falli vel fallere nescium.

ARTICULUS III

UTRUM ADSENSUS OBSCURUS FIDEI DE VERITATE REVELATA SIT COMPATIBILIS IN EODEM INTELLECTU CUM EVIDENTIA IN ATTESTANTE, SEU CUM EVIDENTIA DE FACTO REVELATIONIS

444. Status quaestionis. 1) Evidentia in attestante dicitur cognitio evidens, qua cuipiam certo constat Deum aliquid sibi revelasse vel testificari. Est cognitio revelationis *quoad an sit*, et includit manifestationem sensus verborum, quia evidentia revelationis non est notitia de exsistentia revelationis in genere, sed cognitio revelationis cujusdam mysterii in particulari; v. gr.: *Deus est trinus*.

2) Hanc evidentiam in attestante seu evidentiam de facto revelationis haberi posse in via defendunt communiter theologi contra *Banez* [2], quia ex specialibus quibusdam effectibus, qui necessario connectuntur cum locutione divina, potest aliquando deduci Deum aliquid testificari.

3) Hoc supposito, difficultas est, an aliquis sciens Deum esse veracem, cognoscit evidenter Deum sibi loqui, vel determinatam veritatem, v. gr., mysterium trinitatis revelare ac testificari, possit credere hoc mysterium. Uno verbo: an evidentia in attestante obstet obscuritati fidei circa ipsam veritatem.

---

[1] *II-II*, q. 1, a. 4 ad 2.
[2] *In II-II*, q. 5, a. 1, concl. ult.

445. Placita theologorum. 1) Plures theologi docent evidentiam in attestante seu evidentiam de facto revelationis compati non posse in eodem intellectu cum adsensu obscuro fidei de eadem re. Ita *Durandus, Banez, Suarez, Lugo, Wirceburgenses* et alii [1].

2) Alii dicunt actum fidei non posse esse ex evidentia in attestante, bene tamen cum evidentia in attestante. Ita *Mendive* et *Sola* [2].

3) Alii communius sine ulla distinctione docent actum obscurum fidei esse cum evidentia in attestante in eodem intellectu de eadem re. Ita *Cajetanus, Vazquez, Zumel, Philippus a SS. Trinitate, Gonet, Salmanticenses, Mastrius, Joseph a Matre Dei, Van Noort, Mancini* et alii [3].

446. THESIS. **Evidentia in attestante seu de facto revelationis potest compati cum adsensu fidei in eodem intellectu circa eamdem veritatem revelatam.**

1) *S. Thomas* diserte hoc docuit dicens: «Si aliquis propheta praenuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum, mortuum suscitando, *ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo*, qui non mentitur, licet illud futurum, quod praedicitur, in se evidens non esset. Unde *per hoc ratio fidei non tolleretur*» [4].

2) *Ratio est*, quia evidentia in attestante seu evidentia de facto revelationis, quantumvis supponatur perfecta et excludat possibilitatem dubii de revelatione, non manifestat internam mysterii veritatem, nec tollit fidei obscuritatem, sed sistit in demonstrando factum revelationis. Sane intellectui evidenter cognoscenti mysterium trinitatis esse a Deo revelatum, nondum aperitur ipsum mysterium.

Per evidentiam in attestante nihil demitur obscuritati fidei, neque res credenda clarior fit, sed solum acquiritur cognitio certa de exsistentia divinae revelationis.

3) Plures prophetae et scriptores sacri, quibus revelata sunt divina mysteria, certe habuerunt evidentiam in attestante. Ipsi enim hoc saepe adseruerunt, quando dixerunt se esse a Deo missos ad communicandas veritates in revelatione acceptas. Prophetae autem ac scriptores sacri certe habuerunt fidem, ut ipsi crebro testati sunt. *Scio enim*, ajebat Apostolus, *cui credidi, et certus sum* [5]. Ergo evidentia in attestante non obstat obscuritati fidei [6].

---

[1] **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 31, q. 4, n. 10; **Banez,** *In II-II*, q. 5, a. 1; **Suarez,** *De fide*, disp. 3, sect. 8, p. 3; **Lugo,** *De virtute fid. div.*, disp. 2, sect. 1; **Wirceburgenses,** *De fide theol.*, n. 210.

[2] **Mendive,** *De fide*, n. 241; **Sola,** *De fide*, n. 734 sqq. Hic suam sententiam vocat communem et moraliter certam.

[3] **Cajetanus,** *In II-II*, q. 1, aa. 4 et 5; et q. 5, a. 1; **Vazquez,** *In I p.*, disp. 135, c. 3; et *In III p.*, disp. 53, n. 5; **Zumel,** *In I p.*, q. 12, a. 2, disp. 2; et q. 62, a. 3; **Philippus a SS. Trinit.,** *De fide*, disp. 2, dub. 5; **Gonet,** *De fide*, disp. 1, a. 7; **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 3, n. 7; **Mastrius,** *De virt. theol.*, disp. 6, n. 86; **Joseph a Matre Dei,** *Cursus triennalis*, tr. 14, disp. 1, n. 74; **Van Noort,** *De fide*, n. 312; **Mancini,** *De fide*, q. 1, a. 5.

[4] *II-II*, q. 5, a. 2.

[5] *II Tim.*, 1, 12.

[6] Ad haec reducuntur omnia argumenta, quae a theologis congeruntur in hac materia, et non est cur alia expendamus.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS IV

UTRUM DE EODEM OBJECTO POSSIMUS SIMUL HABERE FIDEM ET SCIENTIAM

447. Status quaestionis. 1) Possumus loqui de simultaneitate a) actus unius cum actu alterius; b) habitus unius cum habitu alterius; c) actus fidei cum habitu scientiae, et d) habitus fidei cum actu scientiae.

2) Nomine scientiae venit quaelibet cognitio, quae evidentiam parit objecti, sive sit intuitiva, sive abstractiva, ut visio, cognitio primorum principiorum, adsensus scientificus vel certum experimentum, non vero adsensus theologicus, qui cum procedat ex principiis nobis inevidentibus, non parit evidentiam objecti et consequentis, sed consequentiae, ac deducit conclusiones quoad veritatem internam certas quidem sed obscuras [1].

448. THESIS I. **Nemo potest de eodem objecto actum fidei simul et actum scientiae elicere.**

Nota. 1) Actum fidei et actum scientiae de eodem objecto et in eodem intellectu componi posse docuerunt *Altisiodorensis, Gandavensis, Durandus* et ex Societate Jesu omnes fere theologi [2].

2) Alii docent actum fidei et scientiae de eodem objecto esse non posse in eodem intellectu de potentia Dei ordinaria, bene tamen de potentia Dei extraordinaria. Ita *Joannes Bachonus, Lezana* et alii [3].

3) Alii verius dixerunt actum fidei et actum scientiae de eodem objecto simul componi non posse in eodem intellectu. Ita *S. Thomas* et omnes thomistae, *Scotus, Mastrius, Fonseca* et alii [4].

Thesis nostra innititur *S. Scripturae, SS. Patribus,* auctoritati *S. Thomae* et rationi.

1) *S. Scriptura* docet fidem esse *argumentum non apparentium* [5].

2) *S. Augustinus:* «Haec est enim laus fidei, si quod creditur, non videtur» [6]. «Quid est enim fides, nisi credere quod non vides?» [7].

3) *S. Thomas* non solum sua auctoritate firmat hanc opinionem, verum etiam adducit ejus firmissimam rationem dicens: «Non potest

[1] Cfr. **Salmanticenses,** *De fide,* disp. 3, dub. 2, n. 32; **Lezana,** *De fide,* tr. 1, disp. 2, q. 4; **Philippus a SS. Trinit.,** *Summa philosophica,* p. 1, q. 25, a. 7; et *De fide,* disp. 2, dub. 3.

[2] **Altisiodorensis,** *Summa,* lib. 3, tr. 3, c. 1, q. 4; **Gandavensis,** *Quodlibeto* 12, q. 2; **Durandus,** *In lib. Sent.,* Prol., q. 1; **Suarez,** *De fide,* disp. 3, sect. 9, n. 7 sqq.

[3] **Bachonus,** *In III Sent.,* dist. 24 et 25; **Lezana,** *De fide,* tr. 1, disp. 2, q. 4.

[4] **S. Thomas,** *II-II,* q. 1, aa. 4 et 5; *I-II,* q. 67, a. 3; et *De veritate,* q. 14, a. 9; **Scotus,** *In III Sent.,* dist. 24, q. un., n. 17; **Ariminensis,** *Prologo,* q. 2, a. 2; **Mastrius,** *In III Sent.,* disp. 6, n. 129; **Fonseca,** *Metaphysic.,* lib. 6, q. 1, sect. 6; cfr. ex thomistis **Capreolus,** *In III Sent.,* dist. 25, q. un.; **Cajetanus,** *In I-II,* q. 67, a. 3; **Philippus a SS. Trinit.,** *De fide,* disp. 2, dub. 4.

[5] *Hebr.,* 11, 1.

[6] *In Joan.,* tr. 79, n. 1; ML **35,** 1837.

[7] *In Joan.,* tr. 40, n. 9; ML **35,** 1690.

simul idem et secundum idem esse scitum et creditum, quia scitum est visum, et creditum est non visum» [1].

4) Ratio est semper eadem. Impossibile est idem secundum idem esse simul visum et non visum. Per scientiam autem videmus objecta intrinsece, dum per fidem adsentimus non visis propter auctoritatem extrinsecam. Unde impossibile est unum et idem simul scire ac credere.

449. THESIS II. **Habitus fidei et habitus scientiae de eodem objecto sunt incompatibiles in eodem intellectu.**

Nota. Eadem hic habetur ac in superiori thesi diversitas sententiarum [2].

1) *S. Thomas* expresse ait: «Objectum fidei est res divina non visa. Habitus autem virtutis, sicut et quilibet alius, recipit speciem ab objecto. Et ideo, excluso quod res divina sit non visa, excluditur ratio fidei. Christus autem a primo instanti suae conceptionis plene vidit Deum per essentiam, ut infra dicetur. Unde in eo fides esse non potuit» [3].

2) Sicut evidentia actualis, quae est in actu scientiae, excludit necessario actum inevidentem fidei, ita pariter evidentia habitualis scientiae excludit ab eodem intellectu inevidentiam habitualem fidei. Ergo habitus fidei et scientiae de eodem sunt incompatibiles in eodem intellectu.

450. Corollarium. Animadvertendum tamen est, adveniente habitu scientiae circa unum objectum, non illico discedere totum habitum fidei, sed solummodo quoad eam partem ad quam scientia se extendit. Hinc, adveniente scientia beata, cessat totaliter habitus fidei; adveniente scientia infusa, quae adaequet aliquod objectum fidei, excidit habitus fidei quoad illam speciem scientiae infusae; adveniente scientia naturali, quae nunquam valet adaequare objectum fidei, non evanescit habitus fidei nisi quoad illam partem objecti materialis, quae scientiae naturali correspondet.

451. THESIS III. **Nihil impedit, quominus habitus fidei cum actu scientiae, vel actus fidei cum habitu scientiae de eodem objecto sit simul in eodem intellectu.**

Nota. Est sententia fere communis contra *Capreolum* et *Cajetanum* [4].

1) Hanc doctrinam *S. Thomas* explicite tenuit dicens: «Dicendum, quod quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, sed solum habuit actum beatorum, consequens est, ut simul tunc in eo non fuerit actus fidei, fuit tamen simul tunc in eo fidei habitus» [5].

[1] *II-II,* q. 1, a. 5 ad 4.

[2] Minus recte dixit **Suarez,** *De fide,* disp. 3, sect. 9, n. 6, omnes convenire in admittendo habitu scientiae et fidei simul de eodem objecto et in eodem intellectu.

[3] *III p.,* q. 7, a. 3.

[4] **Capreolus,** *In III Sent.,* dist. 25, q. 1, a. 3; **Cajetanus,** *In II-II,* q. 175, a. 5.

[5] *II-II,* q. 175, a. 3 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

2) Actus scientificus potest aliquando produci a lumine transeunte, et tunc habitus fidei permanenter exsistens in intellectu non obstat, quominus intellectus lumine transeunte perfusus eliciat actum scientiae, et viceversa.

QUAESTIO XXIV

DE LIBERTATE FIDEI

ARTICULUS I

UTRUM ADSENSUS FIDEI SIT OMNINO LIBER LIBERTATE EXERCITII

452. Status quaestionis. 1) Adsensus fidei elicitur ab intellectu sub imperio voluntatis. Unde nequit esse liber elicitive ad modum actus amoris, qui elicitur a voluntate, bene tamen imperative, sicut plures actus, qui eliciuntur a potentiis sub imperio voluntatis. Solet dici actus liber *denominative*.

2) Imperium voluntatis in actus intellectus respectu actuum fidei potest esse *remotum*, ut cum movet intellectum ad consideranda motiva credibilitatis, vel *proximum*, ut cum movet eum ad eliciendum actum fidei.

3) Ex alibi dictis colligimus actum humanum posse esse liberum *quoad exercitium* vel *quoad specificationem* [1]. Est liber *quoad exercitium*, quando voluntas habet facultatem ponendi vel non ponendi actum, ut amandi vel non amandi. Est liber *quoad specificationem*, quando voluntas habet facultatem ponendi unum actum vel ejus contrarium, ut amandi vel odiendi.

453. Error. Circa libertatem actus fidei erravit *Hermesius*, cujus doctrinam exposuerunt theologi vaticani his verbis: «In doctrina hermesiana distinguitur imprimis *fides cognitionis* (ut ipsi appellant), hoc est, fides, qua adsensus praestatur veritati; et deinde *fides cordis*, hoc est, fides, quae per caritatem operatur. Illa prior dicitur etiam *fides passiva*, et consistit in consensu necessario, qui inducitur per argumenta pro veritatibus religionis christianae, et in necessaria (coacta) persuasione de veritate demonstrata» [2].

454. THESIS I. **Adsensus fidei semper est liber quoad exercitium.** *(Est de fide.)*

1) *In S. Scriptura* promittitur praemium credenti, praenuntiatur autem poena aeterna non credenti. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* [3]. Sed nemini datur praemium vel poena nisi per actum liberum. Ergo.

2) *Concilium Vaticanum* statuit: «Si quis dixerit adsensum fidei

[1] Cfr. *De Deo uno*, n. 341.
[2] *Coll. Lac.*, 7, 529.
[3] *Marc.*, 16, 16.

christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci... a. s.» [1].

3) *S. Irenaeus:* «Non tantum in operibus, sed etiam in fide, liberum et suae potestatis arbitrium hominis servavit Deus» [2]. *S. Augustinus:* «Credere non potest nisi volens» [3].

4) *S. Thomas:* «Adsensus autem scientiae non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad adsentiendum per efficaciam demonstrationis. Sed consideratio actualis rei scitae subjacet libero arbitrio: est enim in potestate hominis considerare vel non considerare... Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio» [4].

5) *Ratio idem suadet.* Sola enim evidentia objecti extorquet necessario adsensum intellectus. Positis autem omnibus, quae ad actum fidei requiruntur, id est, accepta et cognita revelatione, probata veracitate Dei, ac demonstrata credibilitate rei credendae, nondum producitur evidentia objecti. Unde, his omnibus positis, intellectus manet indifferens ad adsentiendum, et voluntas potest imperare vel non imperare adsensum mentis.

ARTICULUS II

UTRUM ADSENSUS FIDEI SIT LIBER QUOAD SPECIFICATIONEM

455. Status quaestionis. 1) Facultas eliciendi unum actum vel ejus contrarium non est de essentia libertatis. Unde, quamvis supponatur adsensum fidei non esse liberum quoad specificationem, erit perfecte liber quoad exercitium. Sed explicandum est, quousque se extendat libertas in casu.

2) Quaestio igitur est, an homo, qui evidenter cognoscit veracitatem Dei, motiva credibilitatis et factum revelationis, ita ut prudenter de his dubitare nequeat, libere libertate exercitii tantum vel etiam libertate specificationis credat.

456. Opinio. Cl. *Van Noort* [5] existimat hominem in hoc casu credere libere libertate exercitii tantum non libertate specificationis.

457. Sententia probabilior. Probabilius crediderim intellectum humanum, etiamsi evidenter cognoscat veracitatem Dei, objecti credibilitatem et factum revelationis ejusdem, esse liberum libertate specificationis ad credendum vel non credendum.

Ratio est, quia, his omnibus positis, objectum in se manet obscurum, et non convincit intellectum ad credendum, adeo ut oporteat determinari a voluntate [6]. Nihil autem prohibet, quominus in hoc casu voluntas imperet adsensum bene merendo, vel dissensum peccando.

[1] *Sess.* 3, *De fide*, can. 5; **Denz-Bannw.**, 1814.
[2] *Adv. haer.*, lib. 4, c. 37, n. 5; MG **7**, 1102.
[3] *In Joan.*, tr. 26, n. 2; ML **35**, 1607.
[4] *II-II*, q. 2, a. 9 ad 2.
[5] *De fide*, n. 316.
[6] «Determinatur autem (intellectus), ait **Angelicus**, per voluntatem, quae eligit adsentire uni parti determinate et praecise propter aliquid, quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur vel conveniens huic parti adsentire: et ita est dispositio credentis». *De veritate*, q. 14, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

458. Scholion. Imperium voluntatis, quo intellectus determinatur ad adsentiendum veritatibus revelatis, est certe supernaturale, quia voluntas in casu agit sub influxu gratiae supernaturalis. Unde initium fidei dicitur tribuendum esse gratiae Dei.

QUAESTIO XXV

DE NECESSITATE FIDEI

ARTICULUS I

UTRUM FIDES PROPRIE DICTA SIT NECESSARIA AD SALUTEM

459. Status quaestionis. 1) Fides proprie dicta est virtus supernaturalis, qua adhaeremus veritatibus a Deo revelatis ob auctoritatem Dei revelantis, non fiducia promissionum Christi, ut voluerunt reformatores. Potest esse habitualis vel actualis, et exercetur in re vel in voto.

2) Necessarium ad salutem consequendam potest aliquid esse dupliciter, necessitate *medii* et necessitate *praecepti*. Est necessarium necessitate *medii*, quod ex natura sua vel ex institutione divina ita conducit ad vitam, ut sine eo, etiamsi inculpabiliter omittatur, salus obtineri non possit; ut gratia ex natura sua et baptismus in infantibus ex divina institutione sunt elementa necessaria ad sanctificationem. Necessarium necessitate *praecepti* dicitur, quod ex praecepto Dei vel Ecclesiae ita conducit ad vitam, ut si inculpabiliter omittatur, possit aliis mediis salus obtineri, ut sanctificatio festorum ex praecepto divino-ecclesiastico est necessaria, sed, si inculpabiliter omittatur, potest sine illa obtineri vita.

3) Salutis nomine potest intelligi sanctificatio animae vel beatitudo aeterna. Sed, cum ea, quae sunt necessaria ad justificationem, sufficiant ad vitam aeternam consequendam, promiscue loquimur de fide necessaria ad utrumque finem.

Quaerimus, an et quomodo sit adsensus fidei necessarius ad salutem sive spiritualem sive aeternam obtinendam.

460. Errores. 1) *Pelagius* saeculo V negavit necessitatem actus fidei ad salutem.

2) *Reformatores* saeculi XVI docuerunt fiduciam promissionum Christi, quae non est vera fides, sufficere ad justificationem et salutem aeternam [1].

3) *Andreas Vega* et alii pauci voluerunt fidem latam seu cognitionem Dei ex creaturis comparatam sufficere ad salutem [2].

4) Recentiores *naturalistae* et *rationalistae*, qui ordinem supernaturalem inficiantur, negant omnino actum fidei proprie dictae esse necessarium ad salutem adipiscendam [3].

[1] Cfr. **Lutherus,** *Comment. in c. 2 ad Galatas*, «Hic observandum est»; **Melanchthon,** *Apol. Confessionis aug.*, «Quid sit fides justificans».

[2] *In Concilium Trid.*, lib. 6, cc. 17 et 21.

[3] **Rousseau** ajebat: «Les plus grandes idées de la divinité nous viennent par la raison seule». *Emile*, liv. 4.

461. THESIS I. **Fides habitualis est omnibus sive infantibus sive adultis necessaria necessitate medii ad salutem.**

1) Nemo potest justificari sine fide, quia «in ipsa justificatione, ut ait Concilium Tridentinum, cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et caritatem» [1].

Concilium Vaticanum: «Quoniam vero sine fide... impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire, ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam adsequetur» [2].

2) Necessitas igitur fidei habitualis ad salutem enascitur, non ex aliquo praecepto adimplendo, sed ex necessitate vitae supernaturalis, quam sine fide nemo adquirere valet.

Haec fides habitualis infantibus et perpetuo amentibus infunditur a Deo in baptismate.

462. THESIS II. **Sola fiducia in promissiones Christi in sensu reformatorum et fides lata, quae dicitur cognitio Dei ex contemplatione rerum creatarum hausta, non sufficiunt adultis ad salutem.**

Pars 1.ª

Fiducia in promissiones Christi, quam ponunt reformatores, non est vera fides, quae juxta Concilium Vaticanum est *virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus... propter auctoritatem ipsius Dei revelantis* [3]. Vera autem fides ad salutem omnino requiritur.

Pars 2.ª

Cum media debeant esse ad finem proportionata, ad salutem aeternam, quae excedit omnes vires naturales hominis, requiritur fides supernaturalis. Sed fides lata, quae consistit in cognitione Dei naturali, non est supernaturalis. Ergo [4].

Innocentius XI merito ad rem damnavit sequentem propositionem: «Fides late dicta, ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit» [5].

[1] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 800.

[2] *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.,** 1793.

[3] *Sess.* 3, c. 3; **Denz-Bannw.,** 1789.

[4] Cfr. **Raymundus M. Martin,** Opusc. *De necessitate credendi et credendorum*, part. 1, c. 3, § 4 (Lovanii, 1906).

[5] *Prop.* 23. Decret. S. Officii, 2 Mart. 1679; **Denz-Bannw.,** 1173; **Viva** in «Trutina» expresse docet in hac propositione damnari doctrinam quae dicit cognitionem supernaturalem Dei remuneratoris ex creaturis haustam sufficere ad salutem. Cfr. **Franzelin,** *De trad. et script., app.*, c. 3, § 4, p. 580 (ed. 1896).

http://www.obrascatolicas.com

463. THESIS III. **Adsensus formalis et explicitus fidei proprie dictae est omnibus adultis necessarius necessitate medii ad salutem.**

Nota. Est sententia communis et certa [1]. Contrariam sententiam aliqui vocant *haereticam*, alii *erroneam*, alii *temerariam*, alii *falsam*.

1) *S. Scriptura* hoc testatur dicens: *Justus autem meus ex fide vivit* [2]. *Sine fide autem impossibile est placere Deo* [3]. *Qui vero non crediderit, condemnabitur* [4].

2) *Concilium Tridentinum:* «Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire» [5].

3) *SS. Patres* constanter hoc docuerunt.

S. Irenaeus: «Sic et homo non adsumens per fidem spiritus insertionem, perseverat hoc esse quod erat ante: caro et sanguis exsistens, regnum Dei haereditate possidere non potest» [6].

S. Fulgentius: «Fides est humanae salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertinere, quia sine ipsa nec in hoc saeculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam» [7].

4) *Ratio* item hoc suadet, quia minime decet, ut homo ad amicitiam Dei vel etiam ad supernam beatitudinem admittatur, quin prius supernaturalem Dei notitiam adipiscatur.

464. Scholion. Quidam theologi dixerunt ad salutem consequendam sufficere votum fidei seu propositum credendi, sed falluntur. Vix enim concipi potest fides supernaturalis in voto, quin statim occurrat obligatio adsentiendi veritatibus revelatis, cui obligationi satisfaciendum est.

ARTICULUS II

QUAE SINT EXPLICITE CREDENDA NECESSARIO NECESSITATE MEDII AD SALUTEM

465. Status quaestionis. 1) Explicite credere nihil aliud est, quam actu expresso intellectus sub imperio voluntatis adsentire veritati revelatae.

2) Diximus articulo superiori adsensum formalem et explicitum fidei supernaturalis esse necessarium ad salutem. Nunc autem declarandum est, circa quae versari debeat hic adsensus explicitus.

---

1 Cfr. **S. Thomas,** *II-II*, q. 2, a. 3; *De veritate*, q. 14, a. 10; *Contra Gent.*, lib. 1, c. 5; et lib. 3, c. 118.
2 *Hebr.*, 10, 38.
3 *Hebr.*, 11, 6.
4 *Marc.*, 16, 16.
5 *Sess.* 6, c. 8; **Denz-Bannw.,** 801. Cfr. *Concilium Vaticanum*, sess. 3, c. 3; **Denz-Bannw.,** 1789.
6 *Adv. haer.*, lib. 5, c. 10, n. 2; MG **7,** 1148.
7 *De fide ad Petrum*, n. 1; ML **65,** 671.

466. THESIS I. **Omni tempore et statu necessarium fuit necessitate medii ad salutem credere Deum exsistere et bonorum operum remuneratorem esse.**

1) Hoc geminum fidei objectum explicite credere esse necessarium ad salutem diserte manifestavit Apostolus dicens: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [1]. Hunc locum exponens merito ait *Angelicus:* «Dicendum quod Apostolus posuit illa, quae oportuit credi explicite a quolibet homine in quocumque statu» [2]. Iterum: «Illa duo explicite credere de Deo omni tempore et quoad omnes necessarium fuit» [3].

2) Ratio theologica plene hoc confirmat. Homo enim, dum in terris vivit, per solam fidem accedit ad Deum, de quo pronum est aliquid explicite credendum esse. Objectum ita explicite credendum, velut necessarium ad salutem, oportet esse tale, ut alia credenda contineat saltem implicite. In Deo autem sub duplici conceptu exsistentis et remunerantis continentur implicite omnia credenda; quia in Deo exsistente includuntur omnes perfectiones et attributa Dei, et in Deo remuneratore continetur ordo providentiae cum omnibus gratiis, auxiliis, mediisque, quae nos ducunt ad finem [4].

Objicies. Ad justificationem sufficit actus perfectae caritatis seu dilectio Dei super omnia. Sed ad actum perfectae caritatis non requiritur fides in Deum remuneratorem, sed sufficit fides in Deum summe bonum. Ergo.

Resp. Graviter aliqui sese implicant in solutione hujus difficultatis [5].

Nonnulli, ut *Wirceburgenses* [6], defendunt ad justificationem requiri fidem in Deum remuneratorem, ut producatur amor amicitiae, qui proprie ex natura sua est justificativus animae et expulsivus peccati.

Sed alii verius dicunt fidem in Deum summe bonum sufficere, ut fidelis eliciat actum caritatis et justificetur; et fidem in Deum remuneratorem esse quidem ita necessariam ad salutem, ut, quidquid dicat in contrarium cl. *Pesch* [7], suppleri possit per actum perfectiorem, ut est fides in Deum summe bonum, et per eum possit justificari [8].

467. Scholion. *Quomodo Deus in se exsistens et bonorum operum remunerator sit objectum fidei explicitae.*

In explicatione hujus gemini objecti fidei non conveniunt theologi.

1) *Quoad primum* plures volunt articulum *Deum esse* constituere objectum nostrae fidei, quatenus est auctor ordinis naturalis, qui a philosophis per rationem naturalem cognoscitur. Ita *Suarez, Lugo* et alii [9].

Alii contendunt in hoc articulo praescindendum esse ab ordine natutali vel supernaturali, et credendum esse Deum ut supremum ens ab omni creatura distinctum. Ita *Pesch* [10].

---

1 *Hebr.*, 11, 6.
2 *In III Sent.*, dist. 25, q. 2, a. 2, sol. 4 ad 1.
3 *II-II*, q. 2, a. 8 ad 1.
4 Cfr. **S. Thomas,** *In ep. ad Hebr.*, c. 11, lect. 2.
5 Vide **Lugo,** *De virtute fid. div.*, disp. 12, n. 109.
6 *De fide*, n. 118.
7 *De fide*, n. 444.
8 Cfr. **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 6, n. 90.
9 **Suarez,** *De fide*, disp. 12 sect. 3, n. 4; **Lugo,** *De virtute fid. div.*, disp. 12, 123.
10 *De fide theolog.*, n. 445.

http://www.obrascatolicas.com

Thomistae tamen communiter et alii plures verius docent primum omnium, quod necessario credendum est ad salutem aeternam adipiscendam, esse exsistentiam Dei, ut auctoris ordinis supernaturalis, tum quia objectum hujus fidei debet implicite includere alios articulos fidei, tum quia homo per fidem convertitur in Deum ut auctorem suae justificationis, tum demum quia philosophis, qui ratione naturali demonstrant exsistentiam Dei, impossibile est credere Deum exsistere [1]. Unde *S. Thomas:* «Per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum est objectum beatitudinis et justificationis causa; unde talis cognitio non sufficit ad justificationem» [2]. Et iterum: «Ex quo patet, quod in justificatione impii requiritur actus fidei quantum ad hoc, quod homo credat Deum esse justificatorem hominum per mysterium Christi» [3].

2) *Quoad articulum Dei remuneratoris* docuerunt aliqui apud *Lugo* [4] de necessitate medii ad salutem sufficere fidem in Deum remuneratorem, praescindendo a conceptu supernaturali.

Sed alii merito requirunt ad hoc fidem in Deum remuneratorem supernaturalem, juxta illud Apostoli: *Qui reddet unicuique secundum opera ejus: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio* [5]. Haec sane fides est adsensus et accessus ad Deum ultimum finem, qui est remunerator supernaturalis.

468. THESIS II. **Ante promulgationem Evangelii requirebatur et sufficiebat de necessitate medii ad salutem fides implicita in Christum Redemptorem et Trinitatem personarum.**

Nota. Aliqui docuerunt fidem explicitam in Christum Redemptorem fuisse necessariam necessitate medii ad salutem in Veteri Testamento. Ita *Philippus a SS. Trinitate*, et alii [6].

Alii fere communiter admittunt necessitatem tantummodo fidei implicite.

Pars 1.ª Requirebatur fides implicita.

1) *Sacra Scriptura* ait: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* [7].

2) *S. Augustinus:* «Sine fide ergo incarnationis et mortis et resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari et Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat» [8].

3) *S. Thomas* loquens de antiquis Patribus ait: «Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris; quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos» [1].

Ratio idem suadet. Omnibus quippe fuit necessaria Christi redemptio. Ergo omnibus pariter fuit necessaria fides saltem implicita in Christum

Pars 2.ª Sufficiebat antiquis ad salutem fides implicita in Christum.

1) Hoc innuere videtur Apostolus, cum ait: *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quae revelanda erat* [2].

2) *Angelicus Doctor* id ipsum confirmat dicens: «Post peccatum ante adventum Christi quidam habebant fidem explicitam de Redemptore, quibus revelatio facta erat, qui majores dicebantur. Quidam autem, ut minores, fidem implicitam habebant in fide majorum» [3].

469. THESIS III. **Non constat fidem explicitam incarnationis Verbi et trinitatis personarum esse necessariam necessitate medii ad salutem in lege gratiae.**

Nota. 1) «Mysterium incarnationis Christi, ait apposite *S. Thomas*, explicite credi non potest sine fide trinitatis; quia in mysterio incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem adsumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, et iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit» [4]. Utriusque igitur mysterii credendi eadem est necessitas ac obligatio.

2) Quatuor invenio in hac materia sententias:

Prima sententia docet fidem explicitam incarnationis Verbi et trinitatis personarum post praedicationem Evangelii esse necessariam necessitate medii ad salutem. Ita *Valentia, Philippus a SS. Trinitate, Joannes a S. Thoma, Billuart*, et alii [5].

Secunda sententia admittit necessitatem fidei explicitae horum mysteriorum ad salutem aeternam, non vero ad primam justificationem. Ita *Cano* et *Banez* [6].

Tertia sententia absolute negat fidem explicitam horum mysteriorum esse necessariam necessitate medii ad salutem post divulgatum in orbe Evangelium. Ita *Lugo, Pesch, Van Noort, Sola* et alii [7].

Quarta sententia docet fidem explicitam in Christum Redemptorem et trinitatem personarum per se esse necessariam necessitate medii ad salutem, per accidens tamen fieri posse ut aliqui salventur sola fide implicita. Ita *Suarez, Lezana, Salmanticenses, Mendive* et alii [8].

---

1 Cfr. **Cano,** *De locis theol.*, lib. 12, c. 4; **Philippus a SS. Trinit.,** *De fide*, disp. 4, dub. 3; **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 6, 73.
2 *I-II*, q. 113, a. 4 ad 2.
3 *I-II*, q. 113, a. 4 ad 3.
4 *De virtute fidei div.*, disp. 12, n. 128.
5 *Rom.*, 2, 6 sqq.
6 *De fide*, disp. 4, dub. 4.
7 *I Cor.*, 15, 22.
8 *De peccato orig.*, lib. 2, c. 24, n. 28; ML **44**, 398.

1 *II-II*, q. 2, a. 7 ad 3.
2 *Gal.*, 3, 23.
3 *In III Sent.*, dist. 25, q. 2, a. 2, quaest. 2.
4 *II-II*, q. 2, a. 8.
5 **Valentia,** *In II-II*, disp. 1, q. 2, pp. 4 et 5; **Philippus a SS. Trinit.,** *De fide*, disp. 4, dub. 6; **Joannes a S. Thom.,** *De fide*, disp. 4, a. 1; **Billuart,** *De fide*, diss. 3, a. 2.
6 **Cano,** *Relectio de Sacram. in genere*, p. 2, concl. 3; **Banez,** *In II-II*, q. 2, a. 8, «Quaeritur denique».
7 **Lugo,** *De virtute fid. div.*, disp. 12, n. 91 sqq.; **Pesch,** *De fide*, n. 448; **Van Noort,** *De fide*, n. 329; **Sola,** *De fide*, n. 766.
8 **Suarez,** *De fide*, disp. 12, sect. 4, n. 18; **Lezana,** *De fide*, tr. 1, disp. 3, q. 6, «Tertia sententia docet»; **Salmanticenses,** *De fide*, disp. 6, n. 77; **Mendive,** *De fide*, n. 278 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

Si res bene perpendantur, haec quarta sententia reducitur ad tertiam, quia, si quis aliquando per accidens, ex eo quod invincibiliter ignoraverit mysteria incarnationis et trinitatis, potest sanctificari sine eorum fide explicita, jam fides explicita non est necessaria necessitate medii ad salutem.

His praelibatis, probatur thesis.

1) Apostolus certe, cum indicavit media necessaria ad accedendum ad Deum, tradidit prima credibilia, quae necessitate absoluta oportebat credi, et in quibus caetera credenda implicite continebantur. Fidem autem explicitam incarnationis Verbi et trinitatis personarum non indicavit, sed tantummodo in Deum auctorem gratiae et remuneratorem supernaturalem.

2) Testimonia S. Scripturae, quae in contrarium adducuntur non amplius docent quam necessitatem absolutam fidei implicitae, vel ad summum obligationem fidei explicitae de praecepto, facta semel praedicatione.

3) Nihil prohibet, quominus aliquando missionarius inter praedicandum catechumeno proponat primo Deum ut auctorem gratiae et remuneratorem supernaturalem munificentissimum. Catechumenus autem hac praedicatione instructus et gratia interna motus, potest, antequam missionarius ad ulteriora procedat, actum contritionis elicere ac justificari sine adsensu explicito fidei in incarnationem Verbi et trinitatem personarum.

470. De mente S. Thomae. Ob auctoritatem *S. Thomae* aliqui admiserunt necessitatem absolutam fidei explicitae ad salutem in lege gratiae, sed mens *S. Thomae* non est ita clara, ut nos moveat ad mutandam sententiam.

Textus favens necessitati fidei explicitae: «Post tempus autem gratiae revelatae tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, praecipue quantum ad ea, quae communiter in Ecclesia solemnizantur, et publice proponuntur, sicut sunt articuli incarnationis, de quibus supra dictum est» [1].

Textus favens sufficientiae fidei implicitae: «Ante baptismum Cornelius consecutus est et alii similes consequuntur gratiam et virtutes *per fidem Christi et desiderium baptismi implicite* vel explicite» [2].

Sensus hic manet obscurus. Quae cum ita sint, quando in primo textu diserte ait: «Tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi», innuere videtur necessitatem fidei explicitae de praecepto, tum quia loquitur *de mysteriis Christi*, quae non sunt credenda necessitate medii ad salutem; tum quia obligationem extendit ad ea praecipue, *quae communiter solemnizantur in Ecclesia*, id est, ad ea, quae sunt credenda ex praecepto.

In secundo autem loco aperte docet *Angelicus* sufficientiam fidei implicitae in Christum ad justificationem.

---

[1] *II-II*, q. 2, a. 7.
[2] *III p.*, q. 69, a. 4 ad 2.

ARTICULUS III

UTRUM DETUR PRAECEPTUM CREDENDI ALIQUOS ARTICULOS FIDEI

471. THESIS. **Datur praeceptum tum divinum tum ecclesiasticum credendi aliquos articulos fidei.**

Pars 1.ª Praeceptum divinum.

1) *Ex S. Scriptura* constat fidem esse ex constitutione divina necessariam ad salutem. Unde datur praeceptum divinum credendi articulos fidei.

2) *S. Joannes* testatur dari praeceptum credendi in Jesum. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi* [1].

Pars 2.ª Praeceptum ecclesiasticum.

1) Ecclesia praecipit instruere catechumenos in rebus fidei.

2) Mandat insuper recipere sacramenta, audire sacrum, etc., quae nequeunt rite fieri nisi emisso formali actu fidei.

Si tamen objicias Ecclesiam non posse praecipere actus mere internos, respondendum est hoc verum esse, si agatur de praecipiendo directe actus mere internos ratione sui, non vero, si agatur de praecipiendo actus internos indirecte et ratione alterius. Hinc Ecclesia potest praecipere directe actus externos, ad quorum executionem requiruntur actus interni. Sic, cum praecipit sacrum audire, implicite praecipit credere praesentiam Christi in Eucharistia.

472. Scholion I. *Credenda ex praecepto divino.* Ex praecepto divino tenentur omnes fideles explicite credere: 1) *symbolum apostolorum* saltem quoad substantiam (exceptis juxta plures his, quae dicuntur de Pontio Pilato, de communione sanctorum, de sessione ad dexteram Patris, de perpetua Virginitate beatae Mariae Virginis, de descensu ad inferos, et circumstantiis quibusdam, quae subtiliorem considerationem requirunt) [2]; 2) *decalogum;* 3) *orationem dominicam*, et 4) *doctrinam sacramentorum*, eorum saltem, quae quis recipere debet.

Non videtur dari gravem obligationem addiscendi memoriter haec, quae explicite credenda dicuntur, nequidem orationem dominicam, sed, qui ea cognoscit ac credit quoad substantiam, ex hac parte non peccat mortaliter.

De tempore, quo urget obligatio credendi, non loquimur, quia id spectat ad moralistas [3].

473. Scholion II. *De actu externo fidei.* 1) Actus externus fidei dicitur *confessio*, et est quaelibet externa manifestatio fidei, quam quis interne profitetur.

2) Haec externa confessio videtur esse actus elicitus fidei, sicut

---

[1] *I Joan.*, 3, 23.
[2] Cfr. **Palmieri**, *Opus theol. morale Ballerini*, tr. 5, n. 22; **Lehmkuhl**, *Theol. mor.*, t. 1, n. 394.
[3] **Lehmkuhl**, n. 397.

http://www.obrascatolicas.com

amor est actus caritatis, ut defendunt *Banez, Philippus a SS. Trinitate,* et *Billuart* [1] contra *Valentiam, Lezanam* et alios [2]; quia, licet organis externis proferatur, a fide immediate regulatur ac dirigitur.

3) Datur duplex praeceptum de actu externo fidei, unum divinum et alterum ecclesiasticum, quae patent ex terminis.

De praecepto ecclesiastico emittendi professionem fidei agunt canonistae et moralistae.

4) Praeceptum divinum confessionis externae fidei iterum est duplex, unum *affirmativum,* alterum *negativum.*

a) Ex praecepto divino affirmativo tenemur certe ad externam fidei confessionem, ut communiter tenent doctores. *Qui confitebitur me,* ait Jesus, *coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* [3]. *Corde enim,* addit Apostolus, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [4]. Unde *S. Augustinus* lepide ait: «Illi, qui verum, quod credunt, non loquuntur, merito reprobantur... Non enim perfecte credunt, qui, quod credunt, loqui nolunt» [5].

Circa tempus et circumstantias hujus obligationis fidei confitendae, vide moralistas.

b) Ex praecepto pariter divino et gravi tenemur nunquam, ne quidem mortis vitandae causa, externe fidem negare.

Hoc didicimus ex ore Christi: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo* [6].

Hujus etiam praecepti circumstantias et applicationes disce a moralistis.

QUAESTIO XXVI

DE HABENTIBUS FIDEM

ARTICULUS I

IN QUIBUS CREATURIS INVENIATUR FIDES DIVINA

474. Breviter hanc materiam expendere curabimus.

I. *Angeli et primus homo, dum erant viatores, habuerunt fidem divinam.*

Ita docent *Angelicus* et fere omnes theologi [7] contra *Durandum,* qui contendit angelos non habuisse fidem, «si quid eis revelatum fuit a principio suae conditionis» [8].

---

1 **Banez,** *In II-II,* q. 3, a. 3; **Philippus a SS. Trinitate,** *De fide,* disp. 4, dub. 8; **Billuart,** *De fide,* diss. 3, a. 4.
2 **Valentia,** *In II-II,* disp. 1, q. 3, p. 1; **Lezana,** *De fide,* disp. 4, q. 1.
3 *Matth.,* 10, 32.
4 *Rom.,* 10, 10.
5 *Enarrat. in ps.* 115, nn. 1-2; ML **37,** 1491 sq.
6 *Matth.,* 10, 33.
7 Cfr. **S. Thomas,** *II-II,* q. 5, a. 1; **Cajetanus,** *In II-II,* q. 5, a. 1.
8 *In III Sent.,* dist. 23, q. 9.

Ratio est, quia, ut suis locis diximus, angeli et primus homo in instanti suae creationis conditi fuerunt in gratia sanctificante, et acceperunt revelationem mysteriorum Dei, sed nondum erant beati per visionem beatificam. Unde ex prima sua conditione debuerunt accedere ad Deum et tendere ad beatitudinem supernaturalem. Sed accedentem ad Deum oportet credere, ut dicit Apostolus. Ergo.

Non obstat fundamentum *Durandi* in contrarium, quia diximus supra evidentiam divinae revelationis posse cohaerere cum fide divina.

475. II. *Peccatores, qui non commiserunt peccatum infidelitatis, habent fidem divinam.*

Constat ex Concilio Tridentino: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem... a. s.* [1].

Ratio est manifesta, quia non omne peccatum opponitur fidei.

476. III. *Animae in purgatorio exsistentes habent fidem theologicam.*

Animae siquidem in purgatorio exsistentes sunt adhuc in via, sperant recipere beatitudinem, et adsentiunt veritatibus revelatis tanquam objectis non visis.

477. IV. *Doemones et damnati non habent fidem theologicam divinitus infusam, sed naturalem tantum et acquisitam.*

Nota. Est fere communis contra *Alensem, Durandum* aliosque paucos [2] contendentes fidem, quae habita fuit ab hominibus in via, remanere in inferno.

Pars 1.ª De fide theologica.

Fides theologica infunditur a Deo creaturis eo solo fine, ut creaturae moveantur ad Deum, et adipiscantur aeternam beatitudinem. Sed doemones et homines damnati, utpote aversi a Deo et obstinati in malo, non moventur ad Deum, nec sperant recipere beatitudinem. Ergo.

Pars 2.ª De fide naturali.

Doemones, ait S. Jacobus, *credunt et contremiscunt* [3]. Hic autem locus nequit intelligi nisi de eorum fide naturali et acquisita, ut explicant commentatores [4].

Doemones ac damnati notitiam veritatum, quam in via adepti sunt, retinent in inferno; eamque saepe signis ac evidentia credibilitatis moti, non quidem pia motione et in ordine ad vitam aeternam sed motivis naturalibus quodammodo coacti, reducunt ad actum, adsentientes veritatibus divinis. Hinc *S. Thomas* ait: «Doemonum fides est quodammodo coacta ex signorum evidentia» [5], non quidem coactione absoluta, quae omnino auferat eorum libertatem, sed coactione secundum quid.

478. V. *Beati in patria non habent fidem.*

---

1 *Sess.* 6, can. 28; **Denz-Bannw.,** 838.
2 **Alensis,** *III p.,* q. 64, membro 7; **Durandus,** *In III Sent.,* dist. 23, q. 9.
3 *Jac.,* 2, 19.
4 Cfr. **Alapide,** *In Jacobum,* 2, 19.
5 *II-II,* q. 5, a. 2 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

1) *Cum autem venerit,* ait Apostolus, *quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est* [1].

2) Graphice hoc statuit *S. Augustinus* dicens: «Neque enim jam (in caelo) fides erit, qua credantur, quae non videntur; sed species, qua videantur, quae credebantur» [2].

3) Rationem adsignat *S. Thomas* his verbis: «Fides autem in sui ratione habet imperfectionem, quae est ex parte subjecti, ut scilicet credens non videat id, quod credit; beatitudo autem de sui ratione habet perfectionem ex parte subjecti, ut scilicet beatus videat id, quo beatificatur... Unde manifestum est, quod impossibile est, quod fides maneat simul cum beatitudine in eodem subjecto» [3].

ARTICULUS II

UTRUM HAERETICUS, QUI PERTINACITER NEGAT UNUM ARTICULUM FIDEI, HABEAT FIDEM THEOLOGICAM CIRCA ALIAS VERITATES, QUAS ADMITTIT

479. Status quaestionis. Hic agitur de universalitate fidei divinae.

Saepe enim contingit, ut homines, spiritu rebellionis ducti, negent cum pertinacia unam vel plures veritates a Deo revelatas atque ab Ecclesia propositas, dum aliis gratiae mysteriis sine difficultate adsentiunt.

Disputatur, an hujusmodi homines habeant fidem divinam circa mysteria, quae admittunt.

480. Opinio particularis. *Durandus* [4] censuit haereticum in uno posse probabiliter habere fidem divinam circa alia mysteria. Sed id caret fundamento.

481. THESIS. **Haereticus, qui negat unum articulum fidei, non habet fidem infusam circa mysteria, quae admittit.**

1) Concilium Tridentinum expresse adserit ipsam fidem per infidelitatem amitti [5].

2) *S. Augustinus:* «Qui in Evangelio, quod vultis creditis, quod vultis, non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis» [6].

3) *S. Thomas:* «Manifestum est, quod talis haereticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem» [7].

4) Ratio efficaciter hoc demonstrat. Destructo namque objecto formali et specificativo habitus et actus, necessario cessant habitus et actus

---

1 *I Cor.*, 13, 10.
2 *De Trinitate*, lib. 14, c. 2; ML **42**, 1038.
3 *I-II*, q. 67, a. 3.
4 *In III Sent.*, dist. 23, q. 9.
5 *Sess.* 6, c. 15; **Denz-Bannw.**, 808.
6 *Contra Faustum*, lib. 17, c. 3; ML **42**, 342.
7 *II-II*, q. 5, a. 3.

in subjecto. Sed haereticus negans unum articulum fidei, destruit objectum formale et specificativum fidei etiam circa ea mysteria gratiae, quae admittit. Ergo. Objectum formale et specificativum fidei est auctoritas infallibilis Dei revelantis, quod pro haeretico, sicut non habet vim circa articulum quem negat, ita pariter caret vi circa alia mysteria, quae admittit. Si enim haereticus putat auctoritatem Dei falli in articulo, quem negat, quomodo putabit eam infallibilem esse in aliis mysteriis testificandis? Si in uno fallitur, potest falli in omnibus. Et sic, destructo objecto formali fidei, necesse est ipsam fidem destrui.

QUAESTIO XXVII

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS

ARTICULUS I

DE INFIDELITATE

482. Praenotamen. Tria sunt vitia, quae praecipue fidei opponuntur, *infidelitas*, nempe, *haeresis* et *apostasia*, de quibus breviter totidem articulis loquemur.

I. Infidelitas in genere, quod ad praesens attinet, nihil est aliud quam *carentia fidei*.

Potest esse *negativa* vel *positiva*. Infidelitas *negativa* est carentia fidei in iis, qui penitus ignorant res fidei. *Positiva* est carentia fidei in iis, qui fidei sufficienter propositae resistunt vel resistere pergunt, sive adsensum negando sive actus contrarios exercendo [1].

483. II. *Dicendum est dari de facto in aliquibus infidelitatem negativam inculpabilem*, quidquid in contrarium docuerint *Hugo a S. Victore* vel quisquis fuerit auctor libri «De sacramentis», *Guillermus Parisiensis*, *Altisiodorensis*, *Alensis* et alii [2].

Barbari siquidem et illi, quibus nondum sufficienter fides proposita est, imo ipsi, qui, dum essent infantes, baptizati sunt, et nihil deinde vel parum de fide audierunt, possunt ignorantia invincibili laborare, et quousque in fide instruantur, ab omni peccato circa fidem excusari.

Unde damnata est *Baji* propositio: «Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est» [3].

---

1 Aliqui dicunt carentiam fidei in eo, qui renuit adsensum praestare fidei sufficienter propositae, esse *privativam*, et in eo qui post fidem sufficienter propositaem pergit positive contradicere, esse *positivam*, sed melius crediderim omnem infidelitatem privativam esse simul positivam, quia qui fidei sufficienter sibi propositae adsensum denegat, transgreditur praeceptum negativum non resistendi verae fidei, et committit peccatum commissionis.

2 **Hugo a S. Victore**, *De sacramentis*, lib. 2, p. 6, c. 5; ML **176**, 451; **Guillermus Parisiensis**, *De fide*, c. 2; et *De Legibus*, c. 21; **Altisiodorensis**, *Summa*, lib. 3, tr. 3, c. 2, q. 3, in fine; **Alensis**, *II p.*, q. 112, m. 8; et q. 153, m. 3.

3 *Prop.* 68; **Denz-Bannw.**, 1068.

http://www.obrascatolicas.com

484. III. *Infidelitas positiva est in intellectu tanquam in subjecto, et est ex genere suo gravissimum peccatum, imo, excepto odio Dei, caeteris peccatis gravius.*

Pars 1.ª *Est in intellectu tanquam in subjecto.* Ratio id ostendit, quia fides est in intellectu, ergo et infidelitas ejus vitium oppositum residet in intellectu. Hinc, licet *Suarez* et alii dixerint «malitiam moralem, quae moraliter constituit infidelitatem, in ratione peccati intrinsece esse tantum in voluntate, in intellectu vero per solam denominationem ab actu voluntatis» [1], verius tamen dicendum est actum infidelitatis, quatenus est in intellectu et elicitur ab intellectu, esse vitiosum et habere malitiam intrinsecam. Minime tamen dubitandum est actum infidelitatis sic ab intellectu elicitum gaudere intrinsece libertate necessaria, quatenus movetur et applicatur a voluntate.

Pars 2.ª *Est ex genere suo gravissimum peccatum.* Peccata hominis eo sunt graviora, quo magis a Deo avertant. Unde peccata contra virtutes theologicas, quae magis directe versantur circa Deum, sunt ex genere suo graviora quam alia peccata. Et inter peccata, quae virtutibus theologicis adversantur, infidelitas, excepto odio Dei, magis quam alia peccata avertit hominem a Deo, quia tendit destruere Deum sub conceptu primae ac summae veritatis.

Dixi 1) *excepto odio Dei caeteris peccatis gravius*, quia odium, utpote oppositum virtuti nobiliori, magis quam infidelitas avertit hominem a Deo, et tendit destruere Deum sub conceptu summi boni. Importat igitur majorem malitiam quam omnia alia peccata.

Dixi 2) *ex genere suo*, quia ex circumstantiis subjecti, intensitatis, etc., possunt alia peccata esse graviora quam infidelitas.

485. IV. *Non omnia infidelium opera sunt peccata.* Infideles enim nunquam omnino exstinctum habent bonum naturae, ut nequeant aliquando exsequi opera ethice bona. Hinc damnata est *Baji* propositio: «Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia» [2].

486. V. *Infideles nunquam ad fidem conversi, non sunt vi compellendi ad amplectendam fidem.*

1) «De judaeis autem, ait Concilium Toletanum IV (a. 633), hoc praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre... Non vi sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi» [3].

2) Nemo sane in Ecclesia potest ab infidelibus vi exigere fidem. Non auctoritas ecclesiastica, quia non habet jurisdictionem in infideles; non potestas saecularis, quia principes civiles non gubernant subditos in rebus spiritualibus sed in temporalibus tantum ac politicis.

Coerceri tamen possunt a qualibet auctoritate, ne fidem aliorum impediant, neve blasphemiis et facetiis eam irrideant. Imo impelli possunt ac debent, ut legem naturae servent.

3) Haeretici et apostatae possunt a principibus christianis compelli, ut ad fidem iterum redeant et promissa fideliter adimpleant. Apposite ad rem *S. Thomas:* «Sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis, ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis. Et ideo haeretici sunt compellendi, ut fidem teneant» [1].

[1] *De fide*, disp. 16, sect. 3, n. 4.

[2] *Prop.* 25; **Denz-Bannw.**, 1025.

[3] *Can.* 57; **Mansi**, 10, 633. Successus, qui in Hispania ante et post Concilium Toletanum IV locum habuerunt circa judaeos et judaizantes, expositi sunt ac expensi a **Menéndez y Pelayo**, *Historia de los heterodoxos españoles*, vol. 3, p. 187 (ed. 1917); et a **Paschale Boronat**, *Los moriscos españoles y su expulsión*, vol. 1 per totum.

ARTICULUS II

DE HAERESI

487. I. *Haeresis*, graece αἵρεσις, vi vocis significat sectam, in qua quisque habet facultatem eligendi eas opiniones, quae sibi magis arrideant. Per derivationem hujus significationis haeresis applicatur ad electionem doctrinae contra veritates revelatas.

Unde haeresis recte definitur: *Error pertinax catholicae fidei manifeste contrarius in eo, qui Christi fidem professus est.*

Dicitur 1) *error*, id est, judicium intellectus aliquid adserens vel negans contra veritatem.

2) *Pertinax*, quo significatur hoc judicium mentis esse voluntarium et tenax, id est, adsensum vel dissensum cum obstinatione contra auctoritatem Dei dicentis et propositionem Ecclesiae declarantis.

3) *Catholicae fidei manifeste contrarius;* quia, sicut fides est adsensus mentis ad veritates revelatas atque ab Ecclesia propositas, ita haeresis est judicium mentis contra easdem veritates manifeste sibi notas. Quod si haereticus nesciat propositionem Ecclesiae, non erit formaliter haereticus.

4) *In eo qui Christi fidem professus est;* error quippe contra fidem in eo, qui nunquam fidem suscepit, vocatur *paganismus;* in eo, qui fidem in figura suscepit, dicitur *judaismus;* et in eo qui fidem Christi re suscepit, nuncupatur *haeresis*.

488. II. *Disputari solet, an dubius in fide sit haereticus.*

Resp. 1) Qui involuntarie dubitat de aliquo mysterio, seu experitur tentationes contra fidem, quin dubitationi consentiat, ut ipsi sancti non semel experti sunt, non est haereticus, sed potius bene meretur apud Deum.

2) Qui ex ignorantia culpabili dubitat de aliquo mysterio, paratus semper credere, ubi propositio Ecclesiae sibi innotescat, peccat magis vel minus propter negligentiam, non peccato haereseos.

3) Qui, constito sibi articulo fidei ab Ecclesia proposito, negligit adsentire, sed suspendit omnem actum, alio se divertendo, non est proprie haereticus ob defectum erroris vel pertinaciae, sed potest de facili peccare ob negligentiam deponendi dubium.

4) Qui, constito sibi articulo fidei ab Ecclesia sufficienter proposito, positive dubitat de illa veritate, v. gr., de incarnatione Christi, judi-

[1] *II-II*, q. 10, a. 8 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

cando illam veritatem esse dubiam, est formaliter haereticus, quia propriae sententiae tantum fidens pergit dubitare de veritate a Deo revelata et ab Ecclesia proposita.

489. III. 1) Haeresis potest esse *formalis* vel *materialis*. *Formalis* est error voluntarius et pertinax contra veritatem a Deo revelatam et ab Ecclesia propositam in eo, qui religionem Christi professus est; *materialis* est idem error in eo, qui ignorat revelationem Dei vel propositionem Ecclesiae et non habet pertinaciam. Formalis destruit fidem non materialis.

2) Potest iterum esse *interna* vel *externa*, quae ex terminis patent. Externa autem aliquando est *occulta*, quae nemini vel paucis innotescit; et aliquando *manifesta*, quae pluribus patet.

490. IV. *Haeretici ab Ecclesia puniri possunt et aliquando puniendi sunt.*

Poenae, quibus haeretici puniuntur, aliae sunt spirituales, ut excommunicatio, suspensio, et privatio beneficii, aliae civiles, ut confiscatio bonorum, privatio honoris, etc.

Caetera apud canonistas et moralistas.

ARTICULUS III

DE APOSTASIA

491. I. *Apostasia* est vox graeca, quae idem significat ac discessio seu retrocessio.

Potest esse discessio a bono vel malo, sed usu communi ecclesiastico dicitur retrocessio totalis a Deo.

II. Cum tripliciter homo conjungatur Deo, scilicet per fidem, ordinem sacrum et vota religiosa, triplex est pariter apostasia, discessio nempe a fide, ab ordine sacro et a religione. Sola apostasia a fide per se destruit fidem.

III. Apostasia a fide non distinguitur essentialiter ab haeresi, sed est ipsa haeresis universalis. Dum enim apostasia est totalis ac pertinax recessio a fide Christi, haeresis est quilibet error pertinax contra veritatem a Deo revelatam.

«Post receptum baptismum, ait *Codex Juris canonici*, si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, *haereticus;* si a fide christiana totaliter recedit, *apostata;* si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subjectis communicare recusat, *schismaticus* est» [1].

Est majus peccatum quam haeresis intra eamdem speciem.

Apostatae a fide incurrunt easdem poenas ac haeretici.

IV. *Apostasia ab ordine sacro* est retrocessio clerici in ordine majore constituti ad statum saecularem auctoritate propria.

Qui ab ordinibus minoribus propria auctoritate, vel a majoribus interveniente legitima dispensatione, retrocedit, non est apostata.

[1] *Codex Juris canonici*, can. 1325, § 2.

Haec apostasia est peccatum mortale, quia apostata, relinquens statum magis perfectum, redit ad statum minus perfectum. Huic optime competit illa Servatoris nostri sententia: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* [1].

V. «*Apostata a religione* dicitur professus a votis perpetuis, sive solemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo, ut religiosae obedientiae sese subtrahat» [2].

Committit grave peccatum, et «ipso jure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori majori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus suae religionis privatus; et, si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum» [3].

QUAESTIO XXVIII

DE MUTUIS FIDEI ET RATIONIS RELATIONIBUS

ARTICULUS I

UTRUM FIDES ET RATIO SUOS HABEANT LIMITES

492. Status quaestionis. Ex quo scientiae naturales penitius excultae sunt, novae quaestiones moventur in theologia circa habitudinem fidei et rationis. Quidam enim, progressu scientiarum supra modum elati, dixerunt fidem non utilem sed perniciosam esse progressui, atque rationi naturali adversari.

Haec cum ita sint, oportet de relationibus fidei et rationis sermonem instituere. Atque imprimis operae pretium duximus limites fidei et rationis statuere.

493. Errores. 1) Juxta rationalistas nullum restat amplius objectum pro fide, sed «humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit» [4].

2) *Semirationalistae* cum *Hermes*, *Günther* et *Frohschamer* dixerunt intrinsecam evidentiam esse unicum criterium certitudinis circa veritates tum naturales tum supernaturales [5], adeo ut nulla sit veritas supernaturalis, quam ratio naturalis rite exculta propriis principiis nequeat demonstrare [6].

[1] *Luc.*, 9, 62.
[2] *Codex Juris canonici*, can. 644.
[3] *Codex Juris canonici*, can. 2385.
[4] *Syllabus*, prop. 3; **Denz-Bannw.**, 1703. Cfr. **Benoit**, *La ciudad anticristiana*, vol. 1, n. 370 sqq.
[5] **Hermes**, *Introd. phil. ad theol.*, praef.
[6] **Pius IX**, ep. *Gravissimas inter* ad Archiep. Monaco-Frising., 11 Dec. 1862; **Denz-Bannw.**, 1669.

http://www.obrascatolicas.com

494. THESIS. **Fides et ratio humana habent sua objecta cognoscenda, atque ideo diversum habent ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum.**

Est de fide definitum in Concilio Vaticano.

1) *Contra rationalistas:* «*Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit, a. s.*» [1].

2) *Contra semirationalistas:* «Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s.» [2].

3) Id ipsum penitius explicuit idem Concilium dicens: «Perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed objecto etiam distinctum; principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt» [3].

4) Apposite ad rem ait *Angelicus:* «Regula humanorum actuum est ratio humana et lex aeterna... Lex autem aeterna excedit naturalem rationem. Et ideo cognitio humanorum actuum, secundum quod regulatur a lege aeterna, excedit naturalem rationem, et indiget supernaturali lumine doni Spiritus Sancti» [4].

495. Corollarium. Ex hoc sequitur: 1) Alia esse objecta, quae nonnisi per revelationem Dei nobis innotescunt, alia naturalia, quae rationis naturalis provinciam non excedunt.

2) Alia cognosci per adsensum obscurum fidei auctoritati Dei praestitum, alia per demonstrationem rationis.

3) Fidem esse scientia praestantiorem ratione saltem principii et objecti.

ARTICULUS II

UTRUM SIT ALIQUA DISSENSIO INTER FIDEM ET SCIENTIAM

496. Status quaestionis. Dissensio doctrinarum est contradictio unius ad aliam, adeo ut una sit vera, altera falsa.

Cum interdum videatur, saltem apparenter, doctrinam revelatam non posse conciliari cum conclusionibus scientiarum, examinandum est, an aliquando possit esse dissensio inter fidem et scientiam.

Loquimur de doctrina fidei certe revelata et per organum Ecclesiae ad credendum nobis proposita, et quaerimus, an hujusmodi doctrina possit aliquando repugnare verae scientiae.

---

1 *Sess.* 3, can. 1, *De fide;* **Denz-Bannw.,** 1810.
2 *Sess.* 3, can. 1, *De fide et ratione;* **Denz-Bannw,** 1816.
3 *Sess.* 3, c. 4; **Denz-Bannw.,** 1795.
4 *II-II,* q. 8, a. 3 ad 3.

497. Error. Hodierni increduli et rationalistae totis viribus buccinant clamantes doctrinas fidei esse scientiae ac rationi oppositas; et cum scientiae falli nequeant, contendunt doctrinas fidei esse aliquando erroneas [1].

498. THESIS. **Inter fidem et scientiam nunquam potest esse vera dissensio.**

1) Concilium Vaticanum hoc expresse docet his verbis: «Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare se ipsum non possit nec verum vero unquam contradicere» [2].

Et canonem statuit dicens: *Si quis dixerit disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum adsertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri neque ab Ecclesia proscribi possint, a. s.* [3].

2) Rationem hujus doctrinae sapientissime tetigit concilium verbis relatis. Cum enim Deus sit auctor fidei et rationis et non possit se ipsum negare, nec verum vero valeat contradicere, pronum est fidem non posse opponi rationi.

Luculenter hoc exponit *Angelicus* dicens: «Ea enim, quae naturaliter rationi sunt indita, verissima esse constat in tantum, ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id, quod fide tenetur, quum jam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est..., impossibile est illis principiis, quae ratio naturaliter cognoscit, praedictam veritatem fidei contrariam esse».

«Illud idem, quod inducitur in animum discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, quum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium; non ergo a Deo esse potest. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria.»

«Contrariis rationibus intellectus noster ligatur, ut ad veri cognitionem procedere nequeat. Si igitur contrariae cognitiones nobis a Deo immitterentur, ex hoc a veritatis cognitione intellectus noster impediretur, quod a Deo esse non potest» [4].

Doctrina igitur a Deo revelata et ab Ecclesia infallibili suo magisterio ad credendum proposita nullatenus potest adversari verae scientiae, quia objectum a Deo revelatum nequit adversari objecto scientiae a Deo pariter condito, nec adsensus fidei a Deo inditus se opponit scientiae conclusionibus.

---

1 Cfr. **Laurent,** *Historia de la humanidad* (hisp. versa), parte 12. Nunquam satis mirari potui contradictionem, quam in hac parte incurrunt rationalistae. Contendunt auctoritati Dei revelantis nihil esse deferendum, sed omnia esse rationi subjicienda; et, ubi agitur de auctoritate humana, garrulis diariorum compilatoribus omnia credunt.
2 *Sess.* 3, c. 4; **Denz-Bannw.,** 1797.
3 *Sess.* 3, can. 2, *De fide et ratione;* **Denz-Bannw.,** 1817.
4 *Contra Gent.,* lib. 1, c. 7.

http://www.obrascatolicas.com

Si quando, uti solet, offendatur inter fidem et scientiam apparens contradictio, «inde potissimum oritur, ut optime ait Concilium Vaticanum, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur» [1].

499. Corollarium I. Doctrinae et effata, quae saepe defenduntur in theologia, vel exponuntur in praedicatione evangelica, sicut applicationes S. Scripturae, quae fiunt a commentaristis, si nondum fuerint ab infallibili Ecclesiae magisterio propositae ut fide divina credendae, non sunt doctrina fidei, ut misere videntur increduli non semel confundere. Veritates dicuntur esse objectum fidei divinae, quando sunt a Deo revelatae et ab Ecclesia ad credendum propositae.

500. Coroll. II. Speculationes e contra philosophorum, et conclusiones, quas naturalistae deducunt sive ex principiis astronomiae et physicae, sive ex conjecturis geologiae, cosmologiae, psychologiae, etc., non semper merentur nomen scientiae.

Qui sapientes hodie se ipsos nominant, ex tripode negant exsistentiam Dei personalis, creationem materiae, spiritualitatem animae rationalis, etc. Hoc autem non scientia sed audacia est et impudentia.

Theoriae, quas imaginatione fingunt, millies in decursu temporum mutantur, ab aliis scientiarum cultoribus refutantur, et non scientiae sed conjecturae sunt omni fundamento destitutae [2].

ARTICULUS III

UTRUM FIDES ET SCIENTIA SIBI INVICEM OBSTENT IN RERUM COGNITIONE ADQUIRENDA

501. Increduli hodierni accusationibus, quas congerunt contra fidem divinam, addunt aliud inconveniens dicentes fidem catholicam et obedientiam intellectus ad auctoritatem Dei non parum impedire profectum scientiarum et incrementum virium rationis. Sed immerito.

502. THESIS. **Fides et ratio nunquam sibi invicem obstant, sed potius opem sibi mutuam ferunt in rerum cognitione acquirenda.**

I. Concilium Vaticanum accusationes rationalistarum rejicit et mutua fidei rationisque officia explicat dicens: «Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat» [3].

---

[1] *Sess.* 3, c. 4; **Denz-Bannw.**, 1797.

[2] «Le vast champs de la science, ait apposite ad rem **Duilhé De Saint Projet**, est jouché d'hypothèses en ruine, encombré d'hypothèses en construction: affirmations téméraires, conclusions prématurées, synthèses aventureuses, c'est un veritable contagion dans la science moderne enivrée de son succés». *Apologie scientifique de la foi chrétienne*, prem. p., ch. 3, § 1.

[3] *Sess.* 3, c. 4; **Denz-Bannw.**, 1799.

II. **Munera rationis erga fidem.**

1) *Recta ratio fidei fundamenta demonstrat.* Fidei fundamenta appellat concilium ea, quae sunt praeambula ad fidem, et quae per modum praeparationis ante actum fidei cognoscuntur. Hinc recta ratio demonstrat exsistentiam ac veracitatem Dei, factum revelationis, credibilitatem veritatum revelatarum, etc., et sic viam parat ad actum fidei eliciendum.

2) *Ratio, fidei lumine illustrata, rerum divinarum scientiam excolit.* Scientia rerum divinarum est theologia, cujus est veritates in articulis fidei contentas legitime deducere. Ratio etenim, acceptis fidei articulis, innumeras conclusiones speculativas et practicas ex eis eruit, et totum aedificium theologicum exstruit. Neminem autem latet, quam sit utilis ac praestans theologia ad fidem servandam atque corroborandam.

Unde recta ratio fovet fidem.

III. **Munera fidei erga rationem.**

1) *Fides rationem ab erroribus liberat.* Philosophia appellata fuit ab Angelico Doctore *ancilla theologiae*, et sicut ancilla non semel indiget dirigi a domina, ita pariter philosophia aliaeque scientiae naturales indigent auxilio theologiae. Theologia non impedit, quin potius juvat et promovet profectum scientiarum. Ratio sane sibi relicta periculo se exponit amplectendi errores crassissimos, ubi praecipue agitur de materiis ad religionem moresque spectantibus.

2) *Fides multiplici rerum notitia rationem instruit.* Plurima nos docet fides, quae rationem naturalem superant, ut sunt mysteria cuncta in Deo abscondita; alia vero, quae, licet objectum naturalis scientiae non transcendant, lumine tamen fidei clariora fiunt, et certius nobis innotescunt.

Hinc homines scientifici fidem non rejicere sed humiliter amplecti debent, et religiosi ardenter scientias colere ac promovere.

http://www.obrascatolicas.com

SECTIO II

DE SPE

QUAESTIO XXIX

DE NATURA ET OBJECTO SPEI THEOLOGICAE

ARTICULUS I

QUID SIT SPES THEOLOGICA

503. I. 1) Spes aliquando latissime sumitur pro exspectatione futuri eventus sive boni sive mali, sed hoc improprie dicitur; quia spes non potest esse nisi bonarum rerum futurarum [1].

2) Potest esse in appetitu irascibili, quatenus est motus hujus appetitus in bonum sensibile et arduum; et in voluntate, quatenus est habitus vel actus voluntatis in rem bonam futuram etiam arduam.

3) Spes in voluntate residens una est *naturalis*, motus scilicet voluntatis in bonum naturale; alia *supernaturalis* a Deo indita, quae etiam theologica dicitur.

4) Spes supernaturalis aliquando sumitur *objective* pro bono quod speramus, et interdum *formaliter* pro habitu eliciente actum spei vel etiam pro ipso actu sperandi.

5) Habitus et actus spei supernaturalis mutuo sese explicant. Hinc ex definitione habitus spei, quam dabimus, caetera sponte fluent.

Spes igitur supernaturalis seu theologica est: *Habitus supernaturalis a Deo voluntati nostrae inditus, quo per auxilium divinum firmiter exspectamus consequi bona sempiterna.*

Aliquando conjungitur caritati et dicitur *spes formata*, non semel dissociatur a caritate, et vocatur *spes informis*.

504. II. *Spes est virtus theologica a fide et caritate realiter distincta.*

Ratio fundamentalis est, quia spes perficit voluntatem humanam ad actum bonum supernaturalem, et respicit immediate ipsum Deum tanquam objectum proprium, sub ratione Dei nos auxiliantis et adjuvantis.

1) Perficit voluntatem humanam ad actum bonum supernaturalem, quia erigit voluntatem ad adipiscendam beatitudinem aeternam, excedentem vires naturales hominis. Unde est virtus.

---

[1] Cfr. **S. Augustinus**, *Enchiridion*, c. 8; ML **40**, 235.

http://www.obrascatolicas.com

2) Respicit immediate Deum ut objectum *quod* proprium, et est virtus theologica.

3) Fertur in Deum sub ratione Dei nos adjuvantis, et distinguitur a fide et caritate, quae respiciunt Deum sub ratione respective veri et boni.

505. III. In definitione spei theologicae dictum est *firmiter exspectamus* [1]. Unde Apostolus adserit nos habere spem *sicut anchoram animae tutam ac firmam* [2]. Hoc certe innuit spem theologicam habere aliquam certitudinem.

Quae est haec certitudo?

Sane, qui per auxilium divinum sperat fore, ut bona increata sibi conferantur, non habet talem certitudinem de consequenda aeterna beatitudine, ut possit dicere: *Certo salutem consequar;* sed habet certitudinem ab intellectu voluntati derivatam, qua possit dicere: *Confido ac praesumo per divinum auxilium me salutem consecuturum.*

ARTICULUS II

QUID SIT OBJECTUM SPEI THEOLOGICAE

506. Status quaestionis. Constat ex alibi saepe dictis objectum potentiae vel habitus esse materiale vel formale, et in formali duplicem rationem inveniri, rationem *quae* (objectum formale *quod*), et rationem sub *qua* (objectum formale *quo*). Horum definitiones vide in theologia fundamentali, n. 4.

Interest hic explicare, in quo consistat objectum materiale, objectum formale *quod* et formale *quo* spei theologicae.

507. THESIS I. **Objectum materiale spei theologicae est aeterna beatitudo objectiva et omne bonum quod ad eam conducit.**

Objectum siquidem materiale habitus vel potentiae est omne illud, quod attingitur ab habitu vel potentia sub ratione motivi formalis ejusdem. Sed beatitudo objectiva et omnia bona, quae ad eam conducunt, attinguntur a spe theologica sub ratione formali Dei auxiliantis. Ergo. «Quaecumque alia bona, ait *S. Thomas*, non debemus a Deo petere nisi in ordine ad beatitudinem aeternam. Unde et spes principaliter quidem respicit beatitudinem aeternam. Alia vero, quae petuntur a Deo, respicit secundario in ordine ad beatitudinem aeternam» [3].

508. THESIS II. **Solus Deus, quatenus complectitur omnes suas perfectiones et est beatitudo hominis objectiva connotans beatitudinem formalem seu visionem, est objectum formale «quod» spei theologicae.**

1) Objectum formale *quod* habitus est illud, quod principaliter attingit ipse habitus et primario cadit sub motivo formali ejusdem. Deus

[1] Alii dicunt: *Certa cum fiducia exspectamus.*
[2] *Hebr.*, 6, 19.
[3] *II-II*, q. 17, a. 2 ad 2.

autem, non ut est sola essentia, sed quatenus complectitur infinitas perfectiones et constituit beatitudinem objectivam, attingitur principaliter a spe theologica, et cadit primario sub motivo Dei auxiliantis. Ergo. Spe enim erigimur ad consequendam beatitudinem, quae in possessione Dei consistit.

2) Objectum formale *quod* spei in via est id, quod futurum est objectum fruitionis in patria, quia fruitio succedit spei. Sed objectum formale *quod* fruitionis in patria erit Deus complectens omnes suas perfectiones. Ergo.

Consulto diximus: *Beatitudo hominis objectiva connotans beatitudinem formalem seu visionem.* Licet enim *Ripalda* et *Pesch* [1] defenderint beatitudinem subjectivam esse de ratione formali, saltem per modum partis, objecti spei, melius dicendum videtur beatitudinem formalem requiri ad objectum formale *quod* spei theologicae per modum connotati seu conditionis, ut Deus dicatur nobis possidendus. Sane Deus possidendus est objectum formale *quod* spei, sed ut noster fiat, «concurrunt bonitas ut forma, et possessio ut conditio» [2].

509. Corollarium. Communiter docent theologi ea, quae in philosophia dicuntur de passione spei, proportionaliter applicanda esse spei theologicae. Objectum autem passionis spei dicitur *arduum*, possibile adipisci. Ut hoc ipsum salvetur in spe theologica, dicendum est contra *Suarez* et *Ripalda* [3] objectum formale *quod* spei theologicae esse pariter arduum; quae arduitas non consistit in excellentia et magnitudine boni adipiscendi, ut aliqui minus recte dixerunt, sed in difficultate adipiscendi objectum [4]. «Requiritur, ait *S. Thomas*, quod sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile» [5]. Et alibi: «In objecto spei quatuor considerantur. *Primo* quidem, quod sit bonum, per quod spes differt a timore. *Secundo*, quod sit boni futuri, per quod differt a gaudio vel delectatione. *Tertio*, quod sit boni ardui, per quod differt a desiderio. *Quarto*, quod sit boni possibilis, per quod differt a desperatione» [6].

510. THESIS III. **Objectum formale «quo» spei theologicae est auxilium Dei adjuvantis nos per omnipotentiam, connotando misericordiam et fidelitatem ejus in promissis.**

1) *S. Scriptura* passim hoc significat. *Nos autem in omnipotente Domino... confidimus* [7]. *Potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis* [8].

2) *Concilium Tridentinum* ait: «In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent» [9].

[1] **Ripalda,** *De spe*, disp. 23, sect. 4, n. 30; **Pesch,** *De spe*, n. 481.
[2] **Salmanticenses,** *De spe*, disp. 1, n. 20.
[3] **Suarez,** *De spe*, disp. 1, sect. 3; **Ripalda,** *De spe*, disp. 21, sect. 4.
[4] Nihil interest, an haec difficultas graves vel leves molestias afferat.
[5] *I-II*, q. 40, a. 1.
[6] *Quaest. disp. De spe*, q. un., a. 1.
[7] *II Machab.*, 8, 18.
[8] *Eph.*, 3, 20.
[9] *Sess.* 6, c. 13; **Denz-Bannw.,** 806

http://www.obrascatolicas.com

3) *S. Thomas:* «Spes adipiscendi vitam aeternam habet duo objecta, scilicet ipsam vitam aeternam, quam quis sperat, et auxilium divinum, a quo sperat... Unde et spes habet rationem virtutis ex hoc ipso, quod homo inhaeret auxilio divinae potestatis ad consequendum vitam aeternam... Sic igitur, sicut formale objectum fidei est veritas prima, per quam, sicut per quoddam medium adsentit his, quae creduntur, quae sunt materiale objectum fidei; ita etiam formale objectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quae sunt materiale objectum spei» [1].

4) Objectum formale *quo* spei oportet esse id, quo firmiter speramus beatitudinem adepturum. Hoc autem est auxilium divinum operans per omnipotentiam. Ergo. Sane, quando innitimur auxilio Dei omnipotentis connotantis misericordiam et fidelitatem in promissis, certi sumus de facultate et voluntate Dei conferendi nobis aeternam beatitudinem.

511. Scholion I. Aliqui theologi dixerunt auxilium divinum, quatenus constituit objectum formale *quo* spei theologicae, aeque formaliter et in recto complecti omnipotentiam, qua nos juvat, misericordiam, qua miseretur de nostra infirmitate, et fidelitatem, qua adimplet promissa, et ideo haec attributa aeque pertinere ad objectum formale *quo* spei theologicae. Ita ex recentioribus *Pesch* [2].

Hoc tamen minus recte dictum esse videtur.

Quare probabilius existimo auxilium Dei, quod nos adjuvat et constituit motivum formale spei theologicae, supponere quidem et connotare misericordiam, fidelitatem, aliaque Dei attributa, sed formaliter et in recto importare omnipotentiam auxiliantem, qua erigimur, et in quam ultimo resolvitur spes theologica.

Scholion II. Benemeriti quidam theologi, ut *Suarez, Mazzella, Pesch* et alii [3], adserunt spem esse amorem concupiscentiae, vel amorem spei in Deum esse amorem concupiscentiae, et sub hoc adspectu defendunt motivum formale spei esse bonitatem Dei respectivam.

Satius ego dixerim amorem imperfectum concupiscentiae, de quo hic est sermo, non esse actum spei, sed praesupponi ad spem, et elici vel auxilio quodam transeunte, ut aliqui volunt, vel ab habitu piae affectionis tendentis in bonum commodum, ut aliis placet [4].

Scholion III. Spes, utpote residens in voluntate, pertinet ad partem affectivam, ejus tamen actus non sunt amor, desiderium, fruitio et gaudium, quae pertinent ad partem concupiscibilem, sed est *sperare* aeternam beatitudinem. Actus siquidem spei est ille, quo tendimus in beatitudinem ut quid arduum et futurum sub ratione auxilii Dei adjuvantis. Hoc autem est sperare.

Scholion IV. Absolute loquendo, nemo potest sperare alteri beatitudinem, quia motus appetitus nequit per se terminari nisi in bonum

[1] *De spe*, q. 1, a. 1.
[2] *De spe*, n. 500.
[3] **Suarez,** *De spe*, disp. 1, sect. 3, n. 4; **Mazzella,** *De virtutibus inf.*, n. 1099 sqq.; **Pesch,** *De spe*, n. 471 sqq.; et n. 492.
[4] Cfr. **Joannes a S. Thoma,** *In II-II*, disp. 10, a. 1, «Ad hanc difficultatem»; **Salmanticenses,** *De spe*, disp. 1, nn. 40 et 88.

proprium. Unde *S. Augustinus* ait: «Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur» [1].

Quia tamen amantium omnia bona sunt communia, qui alteri caritate perfecta, vel etiam caritate supernaturali imperfecta [2], conjungitur, potest ei sperare beatitudinem.

Ratio est, quia amantes fiunt unus, et sperans amico beatitudinem, repellensque ab eo mala aut quaerens ipsi bona, sibi quodammodo beatitudinem ut rem arduam sperat. «Ex vero parte sperantis, ait ad rem *Angelicus*, principale objectum est, quod aliquis beatitudinem speret sibi, secundarium vero est, quod speret eam aliis, in quantum sunt quodammodo unum cum ipso, et bonum eorum desiderat, et sperat sicut et suum» [3].

QUAESTIO XXX

DE SUBJECTO SPEI THEOLOGICAE

ARTICULUS I

UTRUM SPES SIT IN VOLUNTATE

512. THESIS. **Spes theologica est in voluntate tanquam in subjecto.**

«Habitus, ait *S. Thomas*, per actus cognoscuntur. Actus autem spei est quidam motus appetitivae partis, cum sit ejus objectum bonum. Cum autem sit duplex appetitus in homine, scilicet appetitus sensitivus, qui dividitur per irascibilem et concupiscibilem, et appetitus intellectivus qui dicitur voluntas, ut in I habitum est, quaest. 82, a. 5; illi motus, qui sunt in appetitu inferiori, sunt cum passione, in superiori autem sine passione, ut ex supra dictis patet... Actus autem virtutis spei non potest pertinere ad appetitum sensitivum, quia bonum, quod est objectum principale hujus virtutis, non est aliquod bonum sensibile, sed bonum divinum. Et ideo spes est in appetitu superiori, qui dicitur voluntas, sicut in subjecto» [4].

ARTICULUS II

IN QUIBUS CREATURIS REMANEAT SPES THEOLOGICA

513. I. *Spes theologica reperitur praesertim in omnibus justis viatoribus.* Justi enim, cum fide et caritate ferantur in Deum, et omnia praecepta divina et ecclesiastica adamussim adimplere satagant, divino

[1] *Enchiridion*, c. 8; ML **40**, 235; **Billuart,** *De spe*, diss. 1, a. 2, § 2.
[2] **Billuart,** *De spe*, diss. 1, a. 2, § 2, putat ad hoc sufficere amorem naturalem, sed verius existimo cum aliis requiri saltem unionem amoris supernaturalis benevolentiae. Cfr. **Joannes a S. Th.,** *In II-II*, disp. 10, a. 2, «Ex dictis solvitur».
[3] *Quaestiones disputatae, De spe*, q. un., a. 4.
[4] *II-II*, q. 18, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

freti auxilio sperant sibi beatitudinem collatum iri, et eriguntur ad difficultates superandas.

II. *Infideles et haeretici certe non habent spem theologicam.* Fundamentum siquidem spei theologicae est fides, qua carent infideles et haeretici.

III. *In omnibus fidelibus peccatoribus non desperantibus reperitur spes theologica.* Spes in fidelibus viatoribus solum destruitur directe per desperationem et indirecte per defectum fidei. Ergo in omnibus fidelibus peccatoribus non desperantibus remanet spes theologica. Sane gratia et caritas non requiruntur ad spem theologicam, sed peccatores, dum fidem habent, et desperationis laqueis non irretiuntur, possunt sperare, ut auxilio Dei omnipotentis aliquando ferantur in beatitudinem.

IV. *Spes theologica erat in animabus Patrum, quae ante Christum receptae sunt in sinu Abrahae, et est in animabus purgatorii.* In animabus sanctorum post hanc vitam non destruitur spes, nisi per possessionem beatitudinis in patria. Animae autem Patrum ante Christum in sinu Abrahae nondum erant, nec animae nunc in purgatorio detentae sunt in possessione beatitudinis. Ergo.

V. *Damnati in inferno non habent spem theologicam.* Est de fide. Graphice hoc expressit auctor Proverbiorum dicens: *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes* [1].

Objectum spei, quod est beatitudo, est adeptu possibile habentibus spem. Sed futura beatitudo non est possibilis damnatis. Ergo. Damnati sane non eriguntur per spem ad obtinendam beatitudinem.

VI. *In beatis nulla est spes, neque quoad actum neque quoad habitum.*

1) Apostolus ait: *Spes autem, quae videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat* [2].

2) Subtracto objecto principali et adaequato, a quo spes habet naturam et speciem, necesse est ipsam spem corrui. Sed objectum principale et adaequatum spei, quod est beatitudo sub ratione futuri et possibilis, subtrahitur beatis, quibus jam beatitudo non est futura sed praesens. Ergo [3].

3) Habitus et actus, qui essentialiter important subjecti imperfectionem, adveniente perfectione cessant, sicut motus adveniente termino cessat. Sed spes essentialiter importat subjecti imperfectionem, id est, defectum possessionis objecti, quia respicit suum objectum sub ratione futuri. Ergo, adveniente Dei possessione ac fruitione, necessario cessat.

4) Cessato objecto spei principali et adaequato, objecta ejus secundaria evanescunt. Unde beati, quibus evacuata est spes in caelo, non sperant aliis beatitudinem spe theologica, sed desiderant eam potius amore caritatis.

514. Scholion I. 1) Haec, si intelligantur de actu principali spei, qui est sperare beatitudinem, admittuntur a theologis, qui communiter docent actum spei non posse conjungi cum statu beatitudinis.

---

[1] *Prov.*, 11, 7.
[2] *Rom.*, 8, 24.
[3] Cfr. **S. Thomas,** *II-II*, q. 18, a. 2.

2) Quoad habitum et actus secundarios spei non ita conveniunt doctores.

Suarez, Becanus, Ripalda et alii [1] docent spem theologicam quoad habitum et quoad actus secundarios reperiri in beatis.

Sed omnes thomistae et alii theologi communius tenent spem neque quoad habitum neque quoad actum remanere aut remanere posse in beatis. Ita *Cajetanus, Banez, Valentia, Joannes a S. Thoma, Gonet, Salmanticenses, Billuart, Mancini* et alii [2].

Hujus sententiae fundamentum est, quia actus spei, ut bene probat *Ripalda* [3], nullatenus potest exerceri sine ejus habitu recepto in voluntate, et habitus spei nequit conservari, sublato ejus objecto primario et formali *quod*, id est, sublata ratione futuri in beatitudine.

Scholion II. *De necessitate spei theologicae.*

1) Habitus spei theologicae est omnibus viatoribus necessarius necessitate medii ad salutem. Ratio est, quia spes semper comitatur gratiam sanctificantem, ut diserte docuit Concilium Tridentinum [4]. Gratia autem sanctificans est necessaria necessitate medii ad salutem, ut satis expresse diximus alibi.

2) Quantum ad necessitatem actus spei, idem proportionaliter dicendum est ac de necessitate actus fidei. Unde, quae supra n. 463 diximus de obligatione eliciendi actus fidei, proportione servata, applicanda sunt actui spei theologicae. Unde explicite sperare debemus consequi Deum objectum nostrae beatitudinis.

QUAESTIO XXXI

DE VITIIS SPEI THEOLOGICAE OPPOSITIS

ARTICULUS I

DE DESPERATIONE

515. I. Desperatio proprie dicta est actus voluntatis, quo quis ob impossibilitatem aestimatam adipiscendi beatitudinem refugit vel recedit ab ea obtinenda. «Desperatio, ait *Angelicus*, non importat solam privationem spei, sed importat quemdam recessum a re desiderata propter aestimatam impossibilitatem obtinendi» [5].

Desperatio, utpote immediate ac directe opposita spei theologicae, quae residet in voluntate, est actus voluntatis.

---

[1] **Suarez,** *De spe*, disp. 1, sect. 8, n. 5 sqq.; **Becanus,** *De virtutibus theologicis*, c. 17, q. 6; **Ripalda,** *De spe*, d. 27, sect. 3, n. 20.
[2] **Cajetanus,** *In II-II*, q. 18, a. 2; **Banez,** *In II-II*, q. 18, a. 2; **Valentia,** *In II-II*, disp. 2, q. 1, p. 3; **Joannes a S. Thoma,** *In II-II*, disp. 11, a. 1; **Gonet,** *De spe*, disp. 9, a. 4; **Salmant.,** *De spe*, disp. 3, n. 12; **Billuart,** *De spe*, diss. un., a. 3; **Mancini,** *De spe*, q. un., a. 3.
[3] *De spe divina*, disp. 27, sect. 3, n. 17.
[4] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 800.
[5] *I-II*, q. 40, a. 4 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

II. *Potest esse sine infidelitate*, quia impossibilitas aestimata, propter quam desperans refugit a beatitudine obtinenda, potest apprehendi per judicium practicum, sine ullo errore speculativo in fide. Hinc, qui credit Deum esse omnipotentem, et in Ecclesia dari potestatem remittendi peccata, potest aliquando ita animo frangi, ut aestimet cum judicio practico erroneo sibi esse impossibile adipisci salutem [1].

III. *Est ex genere suo peccatum mortale*, quia est actus positivus voluntatis contra grave praeceptum non recedendi a consequendo ultimo fine, et derogat omnipotentiae ac misericordiae divinae. Unde *S. Thomas:* «Sicut motus spei, qui conformiter se habet ad existimationem veram, est laudabilis et virtuosus, ita oppositus motus desperationis, qui se habet conformiter existimationi falsae de Deo, est vitiosus et peccatum» [2].

Est majus peccatum quam peccata contra virtutes morales, quia opponitur spei theologicae, quae versatur immediate circa Deum. Est tamen minus grave quam infidelitas et odium Dei, quia infidelitas negans veritatem Dei in se ipsa, et odium Dei destruens quantum est de se bonum divinum, majorem important ex objecto malitiam, quam desperatio, quae refugit a Deo nobis possidendo.

IV. *Desperatio principaliter oritur ex acedia, sed potest oriri ex luxuria.* Diximus supra objectum spei esse bonum arduum, possibile adipisci; et ex duplici capite potest homo recedere ab eo obtinendo, quatenus aestimat objectum spei non esse bonum arduum, vel apprehendit beatitudinem esse impossibilem. *Luxuria* imprimis facit, ut homo delectetur venereis. Homo autem delectationibus carnis deditus «fastidit bona spiritualia et non sperat ea quasi quaedam bona ardua» [3]. *Acedia* vero est quaedam tristitia dejectiva spiritus, et inducit hominem ad judicandum beatitudinem esse impossibilem.

ARTICULUS II

DE PRAESUMPTIONE

516. I. Praesumptio proprie dicta, quatenus opponitur spei, est nimia confidentia de divina virtute et misericordia, qua quis exspectat beatitudinem mediave ad illam obtinendam inordinate sibi datum iri.

II. Potest homo praesumere: 1) *Innitendo nimis propriae virtuti* ex hoc, quod aliquis tendit in beatitudinem ut sibi possibilem propriis viribus, et est haereticalis. 2) *Innitendo inordinate virtuti divinae* ex hoc, quod aliquis tendat in beatitudinem per virtutem et misericordiam divinam eo modo, quo non est possibile, «sicut cum aliquis sperat se veniam obtinere sine poenitentia et gloriam sine meritis» [4].

III. Est ex genere suo peccatum mortale, quia magnam injuriam irrogat Deo, cujus praecepta contemnit.

[1] Cfr. **Billuart,** *De spe*, diss. un., a. 5, § 1.
[2] *II-II*, q. 20, a. 1.
[3] **S. Thomas,** *II-II*, q. 20, a. 4.
[4] **S. Thomas,** *II-II*, q. 21, a. 1.

SECTIO III

DE CARITATE

QUAESTIO XXXII

DE CARITATE SECUNDUM SE

ARTICULUS I

QUID SIT CARITAS

517. I. Caritas aliquando sumitur pro habitu, non semel pro actu

Caritas ut habitus est *virtus supernaturalis divinitus infusa inclinans voluntatem ad amandum Deum propter se et proximum propter Deum.*

Caritas ut actus est *amor seu actus voluntatis, quo diligimus Deum propter se et proximum propter Deum.*

Nomine caritatis, nisi verbis vel ex contextu aliud insinuetur, designamus habitum, et vocabulo amoris intelligimus caritatem ut actum.

II. Quamvis *Petrus Lombardus* suo tempore dixerit caritatem habitualem esse Spiritum Sanctum in nobis manentem [1], hodie tamen theologi defendunt caritatem habitualem esse aliquid creatum in anima.

1) Juxta Apostolum *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* [2]. Si diffusa est per Spiritum Sanctum, non est Spiritus Sanctus vel aliquid creatum in anima.

2) Caritas recipitur in voluntate per modum formae accidentalis, ut eam disponat et elevet ad eliciendos actus supernaturales, qui excedunt vires naturales ipsius voluntatis. Sed, quae recipiuntur in voluntate per modum formae, sunt entia creata. Ergo.

3) Unde «in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem» [3].

III. *Caritas est virtus specialis.*

1) *Est virtus*, quia est bona qualitas perficiens voluntatem ad eliciendum actum amoris Dei, ac proinde est principium actus boni attin-

[1] *I Sent.*, dist. 17, n. 2; ML **192,** 564.
[2] *Rom.*, 5, 5.
[3] *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 800.

http://www.obrascatolicas.com

gentis supremam regulam rationis in ordine ad Deum. Ergo habitus caritatis est virtus.

2) *Est virtus specialis*, quia, ut mox videbimus, habet objectum formale speciale scilicet Deum sub ratione divinae bonitatis.

ARTICULUS II

UTRUM CARITAS SIT VERA AMICITIA INTER DEUM ET HOMINES

518. Status quaestionis. 1) Amicitia, sicut et caritas, potest sumi pro habitu et pro actu.

2) Amicitia, ut habitus, est *virtus, qua voluntas elicit amorem mutuae benevolentiae fundatum in alicujus boni communicatione.*

Amicitia, ut actus, est ipse *amor benevolentiae in alicujus boni communicatione fundatus.*

3) Ex his, quae supra n. 242 et sqq. diximus, haec pro praesenti breviter accipe. Ad veram et strictam amicitiam requiruntur tres conditiones essentiales: a) Ut producat benevolentiam erga personam amici, qua velit ei bonum honestum propter ipsam personam, non propter utilitatem propriam neque propter voluptatem, quae inde capiatur. b) Ut producat redamationem, id est, amorem mutuum et manifestum. Amor quippe differt a benevolentia, quatenus importat «quandam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans aestimat amatum quodammodo ut unitum sibi vel ad se pertinens» [1]. Ad strictam amicitiam oportet amorem esse redamantem, id est, mutuum et manifestum, ut amicus sit amico amicus, et sciat redamari ab amico. c) Ut eliciat *amorem fundatum in alicujus boni communicatione.* Nequit profecto dari inter duos amor mutuus, nisi fundetur in aliquo bono.

4) Ubi hae conditiones servantur, amicorum omnia bona merito dicuntur esse communia, et amicus se habet ad amicum sicut ad se ipsum.

5) Animadvertendum tamen est plura esse genera bonorum, in quibus amici sese communicant. Aliqui sunt consanguinei, et communicant in bonis naturae; alii sunt domestici, et communicant in re familiari; alii sunt cives, et communicant in bonis temporalibus multiplici ratione, et diversimode vocantur amici; alii sunt filii Dei per gratiam spiritualem, et communicant in donis supernaturalibus, ac conjunguntur et vocantur amici per caritatem et amorem amicitiae.

519. Opinio Durandi. «Ad Deum, ait *Durandus*, non est amicitia proprie, non solum propter inaequalitatem, sed quia benevolentia proprie non est ad illum, cui nihil potest acquiri, et qui nihil potest amittere; per amorem enim benevolentiae volumus amicis bona, quae non habent, et gaudemus, quando eis adveniunt» [2].

---

[1] S. Thomas, *II-II*, q. 27, a. 2.
[2] *In IV Sent.*, dist. 49, q. 4, n. 16.

520. THESIS. **Caritas est stricta et supernaturalis amicitia inter Deum et homines.** *(Est communis.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Clarissima sunt verba Sapientis: *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei* [1]. Psaltes: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus* [2]. Jacobus: *Credidit Abraham Deo... et amicus Dei appellatus est* [3].

2) Omnes conditiones ad strictam amicitiam requisitae reperiuntur in caritate. Nam caritas: a) est mutua benevolentia, qua homo diligit Deum propter se ipsum, et Deus vult homini bonum aeternae beatitudinis; b) producit amorem mutuum, quo Deus et homo justus amicabili consortio diliguntur et redamantur, juxta illud S. Joannis: *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum* [4]; c) fundatur in communicatione naturae divinae per gratiam, quam comitantur alia dona supernaturalia in via, et sequitur gloria caelestis in patria.

Enodantur difficultates.

521. Obj. 1.° Vera et stricta amicitia non potest salvari nisi inter aequales. Unde diversitas in virtute, vel in vitio, vel in divitiis, aufert amicitiam, ut docet *Stagirita* [5]; dum e contra «amicitia, ut adserit *S. Hieronymus*, pares aut accipit aut facit: ubi inaequalitas est, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia quam adulatio est» [6]. Ergo inter Deum et homines non datur amicitia.

Resp. Aequalitas est duplex, una *absoluta*, quae invenitur inter personas ejusdem conditionis, quaeque fundat amicitiam absolutae aequalitatis, in qua jura, officia et obsequia sunt paria inter amicos; et de hac amicitia loquitur *S. Hieronymus;* alia *proportionis*, quae invenitur inter quaslibet personas in eodem bono communicantes, et fundat amicitiam *excellentiae*, qualis est inter patrem et filium, inter principes et subditos, inter Deum et homines. Unde nihil obstat, quominus vera amicitia excellentiae, fundata in aequalitate proportionis inveniatur inter Deum et homines [7].

Obj. 2.° Amicitia importat benevolentiam. De ratione autem benevolentiae est velle bonum alteri propter se ipsum. Sed Deus nihil potest velle homini propter ipsum hominem, quia homo nequit esse terminus actus divini, et quia *universa propter semetipsum operatus est Dominus* [8]; nec homo vult aliquod bonum Deo, cui nihil deest.

Resp.—Dist. min. quoad primam partem: Nihil potest Deus velle homini propter ipsum hominem, tanquam fini *cujus gratia* et objecto motivo actionis divinae, **conc.;** tanquam fini *cui* beneficiorum, **neg.** Sane objectum motivum volitionis divinae est ipse Deus, sed objectum, cui vult aliquod bonum, potest esse homo. Homo autem nihil vult Deo, quod ipsi deficiat, sed complacet in eo quod Deus est infinite perfectus ac bonus.

Obj. 3.° Vera amicitia producit amorem mutuum et manifestum seu conspicuum. Nemo autem scit, an amore vel odio dignus sit. Ergo.

---

[1] *Sap.*, 7, 14.
[2] *Ps.* 138, 17.
[3] *Jacobi*, 2, 23.
[4] *Joan.*, 14, 21.
[5] *Ethic.*, lib. 8, c. 7.
[6] *In Michaeam*, lib. 2, c. 7; ML **25**, 1219.
[7] «Aliud autem amicitiae genus est, ait Aristoteles, secundum excellentiam: veluti quae patri intercedit cum filio, seni cum juvene, viro cum uxore, omni denique qui praeest cum eo, qui imperio parere debet». *Ethic.*, lib. 8, c. 7.
[8] *Prov.*, 16, 4.

http://www.obrascatolicas.com

Resp.—Dist. maj.: Vera amicitia producit amorem *moraliter* manifestum seu conspicuum, **conc.;** *physice* manifestum, **neg.** Plures sunt amici in mundo, quibus certitudine physica non constat de redamatione amicorum.

522. Scholion. Inter homines et Deum non datur in praesenti statu, nec posset dari in statu naturae integrae, amicitia pure naturalis, quia, ut expresse docet *Angelicus*, «amicitia esse non potest nisi inter eos, qui eamdem vitam participant» [1], et amore mutuo ita conjunguntur, ut unus aestimet alterum quasi unum sibi. Hoc autem inter Deum et homines solum fieri potest per gratiam et caritatem, qua homo participat divinam naturam ac vitam, et affectus Dei et hominis intime conjunguntur etiam in hac vita. Per dona vero naturalia homo non participat divinam naturam, nec communicat cum Deo in eadem vita, nec Deus conjungitur dilectione amicabili non habentibus gratiam.

QUAESTIO XXXIII

DE OBJECTO CARITATIS

ARTICULUS I

QUODNAM SIT OBJECTUM TUM MATERIALE TUM FORMALE CARITATIS

523. THESIS I. **Objectum materiale primarium caritatis est Deus, secundarium vero omnis creatura rationalis capax aeternae beatitudinis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus Jesus ait jure perito: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum* [2]. His verbis Christus non solum adsignavit objectum materiale adaequatum caritatis, cum Deum et proximum esse diligendos edocuit, verum etiam objectum primarium et secundarium caritatis distinxit, cum primum et secundum mandatum dilectionis commendavit.

2) Objectum materiale caritatis est omne id, circa quod versatur caritas. Sed caritas, utpote fundata in communicatione vitae rationalis ac aeternae beatitudinis, versatur primario circa Deum, qui confert hominibus beatitudinem, et secundario circa omnes creaturas rationales capaces participandi beatitudinem. Ergo.

524. Corollarium I. Creaturae irrationales non sunt objectum caritatis, tanquam «amicus ad quem amicitiam habemus, et cui bona volumus» [3], quia non communicant nobiscum in vita humana, quae est secundum rationem, nec sunt capaces aeternae beatitudinis. «Non autem

[1] *In III Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 3.
[2] *Matth.*, 22, 37 sqq.
[3] **S. Thomas,** *II-II*, q. 25, a. 2.

omnia, ait *S. Augustinus*, quibus utendum est, diligenda sunt, sed ea sola, quae aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum» [1]. Improprie tamen amamus creaturas irrationales tanquam bonum quod amico volumus, «in quantum scilicet ex caritate volumus eas conservari ad honorem Dei et utilitatem hominum» [2]; vel etiam quatenus habent entitatem et perfectionem a Deo acceptam, et sub hac ratione ad Deum pertinent.

Coroll. II. Nec doemones nec damnati sunt proprie objectum caritatis, quia bonum aeternae vitae, quod caritas respicit, non possumus damnatis ex caritate velle.

Coroll. III. Quatuor ergo juxta *S. Augustinum* et juxta *S. Thomam* sunt diligenda: «Unum quod supra nos est» Deus; «alterum quod nos sumus; tertium quod juxta nos est» proximus; «quartum quod infra nos est» corpus [3].

1) *Deum* diligimus, in quantum est objectum primarium caritatis, et est causa aeternae beatitudinis creaturarum.

2) *Nos ipsos* amamus, quia communicamus cum Deo in bono vitae spiritualis et futurae beatitudinis aeternae.

3) *Proximos* etiam diligimus, quia nobiscum sunt consociati in participatione beatitudinis. Proximi nomine veniunt non solum homines etiam peccatores, qui attenta eorum natura sunt capaces beatitudinis, sed etiam angeli, qui praesentia Dei fruuntur. «Proximus, ait *Angelicus*, non solum dicitur communicatione speciei, sed etiam communicatione beneficiorum pertinentium ad vitam aeternam, super qua communicatione amicitia caritatis fundatur» [4].

4) *Corpus denique nostrum* amamus, quia licet corpus Deo frui non possit «cognoscendo et amando ipsum, tamen per opera, quae per corpus agimus, ad perfectam Dei fruitionem possumus venire. Unde ex fruitione animae redundat quaedam beatitudo ad corpus» [5], et ideo corpus proprium potest dilectione caritatis amari.

525. THESIS II. **Objectum formale «quod» caritatis est Deus ipse secundum bonum absolutum.**

Arg. Objectum formale *quod* habitus vel facultatis est id, quod per se et ratione sui attingitur in objecto materiali, et ratione cujus caetera attinguntur. Sed caritas in objecto suo materiali attingit per se Deum summum bonum, et caetera attingit propter Deum. Ergo.

Dixi *bonum absolutum*, ut rejicerem opinionem *Vincentii Bolgeni*, qui in opere *Della carità o amor di Dio* [6] defendit objectum formale *quod* caritatis esse Deum, prout est bonum nostrum, non prout est bonum in se. Caritas siquidem est vera amicitia, cujus actus est diligere ami-

[1] *Doctrina christiana*, lib. 1, c. 23; ML **34,** 27.
[2] **S. Thomas,** *II-II*, q. 25, a. 3.
[3] **S. Augustinus,** *De doctrina christiana*, lib. 1, c. 23; ML **34,** 27.
[4] *II-II*, q. 25, a. 10 ad 1.
[5] *II-II*, q. 25, a. 5 ad 2.
[6] Romae, 1788. Cfr. **Josephus Chantre Herrera,** *Tract. theol. de Caritate*, c. 1.

http://www.obrascatolicas.com

cum propter se ipsum, quia «caritas, ut ait *S. Thomas*, facit hominem Deo inhaerere propter se ipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris» [1]. *Bolgeni* certe confundit amorem amicitiae, qui est actus primarius caritatis, cum amore concupiscentiae, qui est actus secundarius ejusdem vel alterius habitus.

526. THESIS III. **Objectum formale «quo» seu ratio «sub qua» caritatis est bonitas divina increata in se cognita per fidem.**

Arg. Objectum formale *quo* seu ratio *sub qua* caritatis est illud motivum seu ratio propter quam caritas attingit suum objectum materiale. Sed caritas, utpote virtus affectiva, attingit suum objectum materiale ratione divinae bonitatis, quae per fidem nobis innotescit. Ergo bonitas divina per fidem cognita est objectum formale *quo* caritatis.

Dixi *cognita per fidem*, ut innuerem bonitatem Dei, quam philosophus naturaliter detegit, non esse objectum formale *quo* caritatis, quia oportet objectum formale *quo* caritatis esse supernaturale.

527. Scholion. Non conveniunt theologi in adsignanda ratione formali, qua bonitas divina dicitur motivum formale caritatis.

1) Aliqui dixerunt bonitatem peculiarem solius naturae divinae, virtualiter distinctae ab aliis attributis, esse objectum formale *quo* caritatis. Ita *Gonet* [2].

2) Alii contendunt bonitatem divinam tum communem, quatenus involvit essentiam et attributa, tum peculiarem essentiae, tum etiam peculiarem cujuslibet singillatim attributi distincti ab essentia et aliis attributis, esse rationem formalem *sub qua* caritatis. Ita *Ripalda*, cui recenter subscripsit cl. *Pesch* [3].

3) Alii denique defendunt, non bonitatem solius naturae divinae ut virtualiter ab attributis distinctae, nec solam bonitatem attributorum Dei ab essentia distinctorum, sed bonitatem divinam, quae complectitur essentiam, attributa ac personas Dei, esse objectum formale *quo* caritatis. Ita *Salmanticenses*, *Billuart*, *Mendive* et alii [4].

Haec sententia magis mihi probatur, quia

a) Objectum formale *quo* caritatis est summa bonitas, qua Deus constituitur summe bonus. Sed summa Dei bonitas est, non bonitas solius naturae vel unius aut alterius attributi, sed illa, quae transcendit omnem Dei perfectionem, quaeque complectitur naturam, attributa ac personas Dei. Ergo.

b) Ratio formalis *sub qua* caritatis est illa ratio, quae constituit complementum nostrae beatitudinis. Sed bonitas divina, quatenus transcendit omnem Dei perfectionem et complectitur naturam, attributa et personas Dei, constituit complementum nostrae beatitudinis. Ergo.

---

[1] *II-II*, q. 17, a. 6.
[2] *Tract.* 10, a. 3, concl. 2.
[3] **Ripalda,** *De caritate*, disp. 35, sect. 1, et 10; **Pesch,** *De caritate theologica*, n. 554.
[4] **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 2, n. 14; **Billuart,** *De caritate*, diss. 1, a. 3, § 1; **Mendive,** *De caritate*, n. 408 sqq.

ARTICULUS II

UTRUM EADEM CARITATE, QUA DILIGIMUS DEUM, DILIGAMUS ETIAM PROXIMUM

528. Status quaestionis. Diximus supra objectum materiale primarium caritatis esse Deum, secundarium autem proximum.

Nunc autem declarandum est, an una eademque virtute caritatis diligamus objectum primarium et secundarium.

Vazquez docet, «quoties proximo volumus bonum ut bonum ipsius, non diligi tunc ex speciali caritate, quae ponitur virtus theologica erga Deum, sed ex speciali quadam caritate et amore, qui, quatenus ad proximos extenditur, beneficentia dici potest» [1].

529. THESIS. **Una eademque specie caritatis diligimus Deum propter se et proximum propter Deum.**

1) Quaelibet virtus specificatur ab objecto suo formali *quo*. Sed caritatis erga Deum et proximum est idem objectum formale *quo*. Ergo. Caritas siquidem fertur in Deum et proximum sub ratione divinae bonitatis, propter quam diligimus Deum in se et proximum in relatione ad Deum.

2) Amor Dei in se et amor proximi propter Deum sunt ejusdem speciei. Ergo habitus caritatis, quo eliciuntur amor Dei et proximi est idem. Audi *Angelicum:* «Habitus non diversificantur, nisi ex hoc quod variant species actus. Omnis enim actus unius speciei ad eumdem habitum pertinet. Cum autem species actus ex objecto sumatur secundum formalem rationem ipsius, necesse est quod idem specie sit actus, qui fertur in rationem objecti, et qui fertur in objectum sub tali ratione; sicut eadem est specie visio, qua videtur lumen, et qua videtur color secundum luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum Deus est. Hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus caritatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi» [2].

530. Corollarium. Ex his colliges altruismum et philantropiam, quibus homo ejusque perfectiones ac qualitates naturales aestimantur, nulla facta in Deum relatione, non esse veram caritatem, quia deest ipsis ratio formalis caritatis, quae est bonitas divina.

Hodierni naturalistae et rationalistae, omnem ideam religionis et ordinis supernaturalis e medio tollere et caritatis christianae jura, quibus homines in Deo conjunguntur, proterere volentes, excogitarunt altruismum et philantropiam, ut amorem naturalem humanitatis sine Deo praedicarent, et non amorem sed discordias inseruerunt, et seditiones undique collegerunt atque bella.

---

[1] *De adoratione*, lib. 1, disp. 6, c. 2, «Facilior multo».
[2] *II-II*, q. 25, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

Amor proximi nunquam potest habere rationem caritatis, nisi quodammodo referatur in Deum, diligendo ipsum ratione bonitatis divinae, vel saltem amando perfectiones proximi ut participationes divinae perfectionis.

531. Scholion I. Disputatur inter doctores, an caritas erga proximum habeat rationem verae amicitiae, et quousque se extendat, an scilicet ad solos justos et amicos, vel etiam ad peccatores et inimicos.

1) Clarissimi theologi *Vazquez, Lessius, Ripalda* et alii [1] negant «amorem proximi propter Deum elicitum a caritate esse omni proprietate et formalitate amicitiam cum proximo» [2].

2) Verius tamen ac communius docent theologi caritatem, qua diligimus proximum, sive justum sive peccatorem et etiam inimicum, esse veram, strictam ac formalem amicitiam. Ita *Cajetanus, Banez, Valentia, Salmanticenses*, aliique bene multi [3].

a) *Caritas erga proximum justum.* Caritas sane, qua diligimus proximum justum, est vera ac mutua, atque conspicua benevolentia, fundata in communicatione bonorum supernaturalium, quia, cum diligimus proximum justum propter Deum, volumus simul ei augmentum gratiae et aeternam beatitudinem propter ipsum proximum. Unde diligere proximum propter Deum includit volitionem bonorum ipsi proximo dilecto.

Justus vicissim communicat nobiscum in gratia et facit societatem, redamando omnes justos; quia sancte viventibus una est societas et unus amor mutuus, etiamsi separentur distantia.

b) *Caritas erga proximum peccatorem.* Eadem caritate, qua diligimus Deum in se, volumus proximo peccatori sanctificationem animae et aeternam beatitudinem. Haec autem nostra erga peccatorem benevolentia est vera amicitia, qua simul volumus gloriam Dei et peccatoris utilitatem.

Peccatores communicant etiam quodammodo nobiscum in bonis supernaturalibus, vel in fide, si credentes sint, vel in potentia saltem et capacitate ad habendam fidem, gratiam et beatitudinem, si infideles sint [4].

c) *Caritas erga inimicos.* Praeceptum est Domini, ut etiam inimicos diligamus. *Diligite*, ait Jesus, *inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* [5].

Quomodo hic amor habeat rationem amicitiae, egregie explicat *Angelicus* dicens: «Amicitia se extendit ad aliquem dupliciter. Uno modo ratione ipsius, et sic amicitia nunquam est nisi ad amicum. Alio modo se extendit ad aliquem respectu alterius personae, sicut si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione cujus diligit homines ad illum hominem pertinentes, sive servos sive filios. Et tanta potest esse dilectio amici, ut propter amicum amentur ii, qui ad ipsum pertinent,

[1] **Vazquez,** *De adoratione*, lib. 1, disp. 6, c. 2; et lib. 3, disp. 1, c. 3; **Lessius,** *De jure et justitia*, c. 36, dub. 3, n. 18; **Ripalda,** *De caritate div.*, disp. 32, sect. 1, n. 5.

[2] **Ripalda,** *De caritate divina*, disp. 32, sect. 1, n. 5.

[3] **Cajetanus** et **Banez,** *In II-II*, q. 25, a. 1; **Valentia,** *In II-II*, disp. 3, q. 1, p. 2; **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 2, n. 36.

[4] Cfr. **Pesch,** *De caritate theologica*, n. 614.

[5] *Matth.*, 5, 44.

etiamsi nos offendant et odiant; et hoc modo amicitia caritatis se extendit ad inimicos, quos diligimus ex caritate in ordine ad Deum, ad quem principaliter habetur amicitia caritatis» [1]. Quantum ad redamationem ait *S. Thomas:* «quamvis (peccatores) actu non redament, tamen nati sunt redamare, et praecipue in vita futura, cujus vitae conjunctionem praecipue attendit caritas; unde bene potest esse etiam inter eos, qui se in hac vita non cognoscunt» [2].

Scholion II. Praestantissimi theologi *Vazquez, Lessius* et *Ripalda* supra citati [3] dixerunt caritatem theologicam, qua nos diligimus Deum et proximum non esse proprio et stricto sensu amicitiam erga proximum, eo quod motivum amandi in caritate theologica non sit bonitas interna amici. Ne autem viderentur negare amicitiam hominibus sese mutuo diligentibus, dixerunt praeter caritatem theologicam dari inter homines aliam caritatem infusam ac supernaturalem, qua proximum diligimus propter dona supernaturalia ei inhaerentia, eamque esse proprie et stricte amicitiam.

Sed doctrina traditionalis, qua docemur unam esse caritatem eamque vocari theologicam, qua Deum propter se et proximum propter Deum vera amicitia diligimus, est communior et certe verior.

Caritas siquidem supernaturalis et infusa, qua diligimus justos propter dona supernaturalia ipsis inhaerentia, quamque auctores citati vocant amicitiam erga proximum, est eadem caritas theologica fundata in communicatione bonorum gratiae et donorum supernaturalium, quorum bonitas est solum amabilis in ordine ad bonitatem Dei increatam, non propter intrinsecam et naturalem entitatem.

QUAESTIO XXXIV

DE ORDINE CARITATIS

ARTICULUS I

UTRUM DEUS SIT SUPER OMNIA DILIGENDUS

532. Status quaestionis. 1) Ordo caritatis in eo consistit, quod unum magis quam alium diligamus.

2) Porro unum possumus magis quam alium diligere: a) *objective*, quando ei volumus majus bonum; b) *appretiative*, quando eum anteponimus aliis, et magis refugimus eum quam alios perdere; c) *intensive*, quando eum diligimus majori conatu et intensiori affectu quam alium [4].

[1] *II-II*, q. 23, a. 1 ad 2.

[2] *In III Sent.*, dist. 28, q. 1, a. 4 ad 4.

[3] **Vazquez,** *De adoratione*, lib. 1, disp. 6, c. 2; **Lessius,** *De jure et justitia*, c. 36; **Ripalda,** *De caritate divina*, disp. 32, sect. 2.

[4] «Potest contingere, ait **Valentia,** ut quod magis diligitur intensive, diligatur minus appretiative vel objective, et e contrario, ut quod magis objective vel appretiative diligitur, diligatur minus intensive». *In II-II*, d. 3, q. 4, p. 1

http://www.obrascatolicas.com

3) Hic venit discutiendum, an et quomodo Deus sit super omnia diligendus.

533. THESIS I. **Deus diligendus est super omnia objective et appretiative.** *(Est communis.)*

1) *Objective.* Ex caritate tenemur Deo velle bonum infinitum, quod habet, et gloriam extrinsecam, quam omnes creaturae ei debent. Bonum autem infinitum Dei superat omnia bona creata, et gloria extrinseca ipsi a creaturis debita excedit omnem gloriam creatam. Ergo.

2) *Appretiative.* Diligere Deum super omnia appretiative est anteponere ipsum omnibus aliis rebus, et praeferre omnia potius quam ipsum perdere. Sed Deus anteponendus est omnibus creaturis, et omnia potius sunt amittenda quam ipse. Ergo. Hoc diserte nos docuit Christus, cum ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum* [1].

Egregie ad rem *S. Thomas:* «Secundum quod bonum alicujus rei est vel aestimatur magis bonum ipsius amantis, hoc amans magis salvari vult in ipsa re amata. Bonum autem ipsius amantis magis invenitur, ubi perfectius est. Et ideo, quia pars quaelibet imperfecta est in se ipsa, perfectionem autem habet in suo toto, ideo etiam naturali amore pars plus tendit ad conservationem sui totius quam sui ipsius. Unde etiam naturaliter animal opponit brachium ad defensionem capitis, ex quo pendet salus totius. Et inde est etiam quod particulares homines se ipsos morti exponunt pro conservatione communitatis, cujus ipsi sunt pars. Quia ergo bonum nostrum in Deo perfectum est, sicut in causa universali prima et perfecta bonorum, ideo bonum in ipso esse magis naturaliter complacet quam in nobis ipsis; et ideo etiam amore amicitiae naturaliter Deus ab homine plus se ipso diligitur. Et quia caritas naturam perficit, ideo etiam secundum caritatem Deum supra se ipsum homo diligit, et supra omnia alia particularia bona» [2].

534. THESIS II. **Potest homo intensius amare creaturas quam Deum tum amore naturali imperato a caritate, tum amore supernaturali elicito formaliter a caritate.**

1) *Amore naturali imperato a caritate.* Objecta sensibilia, quae nobis proximiora et magis conspicua sunt quam spiritualia, majorem possunt amicitiam naturalem in nobis producere erga creaturas, quam sit habitus caritatis a Deo infusus. Sic mater habens caritatem erga Deum ut duo, potest habere amicitiam naturalem ut quatuor ad filium suum unicum, et intensiorem elicere actum amoris erga filium suum quam actum amoris erga Deum. Actus autem amoris honesti erga creaturas imperantur a caritate, quia caritas est forma omnium virtutum imperans earum actus. Ergo amor naturalis imperatus a caritate potest esse intensior erga creaturas quam amor supernaturalis erga Deum.

2) *Amore supernaturali elicito formaliter a caritate.* Ad voluntatem

[1] *Matth.*, 22, 37 sq.
[2] *In III Sent.*, dist. 29, a. 3.

spectat elicere actum intensum vel remissum amoris circa objecta materialia caritatis, et sicut nihil obstat, quominus nunc intensius nunc remissius feratur in Deum, ita nihil impedit, quominus aliquando intensius diligat creaturas quam Deum, dummodo ipsum amorem intensum creaturarum virtualiter ordinet in Deum [1].

Praeceptum ergo caritatis, quo tenemur Deum diligere super omnia, refertur ad amorem objectivum et appretiativum, non ad intensivum, quo licet intensius amare creaturas.

ARTICULUS II

UTRUM HOMO MAGIS DEBEAT EX CARITATE SE DILIGERE QUAM PROXIMUM

535. Status quaestionis. Homo potest se proximo comparare: 1) secundum suam naturam spiritualem; 2) secundum corpus. Utroque modo solvenda est quaestio.

536. THESIS I. **Homo secundum naturam spiritualem debet se magis diligere quam proximum.**

1) Constat ex praecepto Christi dicentis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* [2]. Haec verba exponens ait *Angelicus:* «Ex quo videtur, quod dilectio hominis ad se ipsum est sicut exemplar dilectionis, quae habetur ad alterum. Sed exemplar potius est quam exemplatum. Ergo homo ex caritate magis debet diligere se ipsum quam proximum» [3].

2) Ordo caritatis postulat, a) ut homo Deum super omnia diligat, quia Deus est principium boni, super quo fundatur dilectio caritatis; b) ut se ipsum diligat immediate post Deum, quia est directe particeps illius boni; et c) ut deinde diligat proximum, qui est socius in communicatione praedicti boni [4].

537. THESIS II. **Homo tenetur magis diligere proximum secundum animam quam proprium corpus.**

Proximus secundum animam est diligibilis, quatenus communicat nobiscum in bono beatitudinis ratione societatis, et corpus nostrum, quatenus participat beatitudinem per redundantiam. Major autem est ratio diligendi participationem boni per societatem quam per redundantiam. Ergo proximus secundum animam magis est diligendus quam proprium corpus.

Applicationes hujus doctrinae quoad obligationem succurrendi pro-

[1] «Licet pater, ait **Philippus a SS. Trinitate,** sentiat in ordine ad filium magis intensum amorem formaliter et explicite, tamen appretiative, virtualiter et implicite habet majorem amorem in ordine ad Deum, cum debeat amare filium propter Deum». *In II-II*, disp. 11, dub. 7 ad 2.
[2] *Matth.*, 22, 39.
[3] *II-II*, q. 26, a. 4.
[4] Cfr. **S. Thomas,** *II-II*, q. 26, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

ximo cum vitae propriae bonorumque periculo, cum ille laborat necessitate extrema, gravi vel communi, relinquimus moralistis [1].

538. Corollarium. Quilibet homo magis diligit proprium corpus, quam corpus alienum, quia proprium corpus magis sibi conjunctum habet.

ARTICULUS III

QUALIS SIT ORDO SERVANDUS IN DILIGENDIS PROXIMIS

539. I. *Amore objectivo magis sunt diligendi sanctiores quam imperfectiores.* Ratio est, quia ordo caritatis postulat, ut unicuique velimus illa bona, quae ipsi debentur. Sanctioribus autem debentur majora bona quam imperfectioribus, major scilicet participatio beatitudinis donorumque supernaturalium. Ergo.

II. *Amore intensivo magis diligendi sunt carne nobis conjunctiores quam meliores.* Tum quia carne conjunctiores sunt aliquid nostrum, et sicut nosmetipsos intensius diligimus quam proximos sanctiores, ita etiam eos qui nobis carne conjunguntur; tum etiam, quia proximiora magis diligimus quam remotiora.

III. *Consanguinei secundum gradus propinquitatis intensius diligendi sunt quam affines,* quia, qui magis nobis conjunguntur, magis diligendi sunt.

IV. *Vir et mulier intensius sese diligunt quam caeteros consanguineos et affines,* quia sunt sibi invicem una caro.

Caetera apud moralistas.

QUAESTIO XXXV

DE ACTU ET EFFECTIBUS CARITATIS

ARTICULUS I

IN QUO CONSISTAT ACTUS CARITATIS

540. I. Declarandum est imprimis, quid importet amor seu dilectio, ut deinde explicari queat, quomodo sit actus solius caritatis.

II. Amor caritatis seu dilectio 1) non est proprie amor concupiscentiae, 2) nec sistit in pura benevolentia, sed 3) addit unionem amantis ad amatum, ut illum reputet quasi unum sibi.

1) *Non est amor concupiscentiae,* quia amans ex caritate suum objectum non quaerit directe sibi mercedem tanquam objectum dilectionis et finem ultimum, quamvis secundario possit quaerere mercedem ordinabilem ad ultimum finem.

2) *Non sistit in simplici benevolentia,* quia, licet benevolentia, quae est velle alicui bonum, pertineat ad naturam dilectionis, non explicat totam rationem dilectionis seu amoris caritatis, ad quam requiritur inhaesio affectus ad amatum.

[1] Cfr. **Salmanticenses morales,** tr. 21, c. 6, p. 3; **S. Alphonsus M. de Ligorio,** *Theol. moralis,* lib. 2, tr. 3, c. 2, dub. 1.

3) *Addit unionem amantis ad amatum,* quia amans, simul ac vult bona amico, «aestimat amatum quodammodo, ut unitum sibi, vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum... Sic ergo in dilectione, secundum quod est actus caritatis, includitur quidem benevolentia; sed dilectio sive amor addit unionem affectus» [1].

ARTICULUS II

QUI SINT EFFECTUS AMORIS CARITATIS

541. 1) Egregia sunt quae *Angelicus* dixit circa effectus amoris. «Ex hoc enim quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati, et e contra; ut nihil amati amanti remaneat non unitum... Et ideo amans quodammodo penetrat in amatum, et secundum hoc amor dicitur acutus... Et similiter amatum penetrat amantem, ad interiora ejus perveniens, et propter hoc dicitur, quod amor vulnerat, et quod transfigit jecur».

«Sed quia nihil potest in alterum transformari, nisi secundum quod a sua forma quodammodo recedit, quia unius una est forma, ideo hanc divisionem penetrationis praecedit alia divisio, qua amans a se ipso separatur, in amatum tendens. Et secundum hoc dicitur amor extasim facere et fervere, quia quod fervet, extra se bullit et exhalat.»

«Quia vero nihil a se recedit, nisi soluto eo quod intra se ipsum continebatur..., ideo oportet, quod ab amante terminatio illa, qua intra terminos suos tantum continebatur, amoveatur. Et propter hoc amor dicitur liquefacere cor, quia liquidum suis terminis non continetur; et contraria dispositio dicitur cordis duritia» [2].

2) *Alter caritatis effectus est gaudium.* Ex praesentia enim amicabili Dei in anima oritur ineffabile gaudium, quo sancti vitam feliciorem ducunt etiam in terris quam mundi amatores.

3) *Pax denique est alius praestantissimus effectus caritatis.* Per caritatem enim continentur tumultus et agitationes passionum, necnon colliguntur divagationes potentiarum, et voluntas placide tendit in Deum [3]. Imo, diligendo homo proximum sicut se ipsum, habet pacem in societate.

ARTICULUS III

UTRUM DILECTIO SIT ACTUS CARITATIS

542. Status quaestionis. 1) Principium *quod* dilectionis seu amoris est proculdubio persona seu homo, quia actiones sunt suppositorum. Principium *quo* proximum amoris est certe caritas, quatenus est virtus supernaturalis informans voluntatem, et influens in eam, ut actus supernaturales dilectionis eliciat.

[1] **S. Thomas,** *II-II,* q. 27, a. 2.

[2] *In III Sent.,* dist. 27, q. 1, a. 1 ad 4.

[3] **S. Joannes a Cruce** merito canit felicitatem animae, quae extinctis affectionibus appetituum pacatoque potentiarum rumore, consurgit ad superna, dicens: «Salí sin ser notada, estando ya mi casa sosegada». *Noche oscura,* canción primera.

http://www.obrascatolicas.com

2) Sed, supposito quod amor seu dilectio procedat a caritate tanquam a principio *quo* proximo, movetur difficultas, an possit procedere sive a Spiritu Sancto sive ab aliquo auxilio actuali tanquam a principio activo *quo*.

543. Error. *Magister Sententiarum* putans caritatem esse ipsum Spiritum Sanctum in nobis manentem [1], docuit actum amoris seu dilectionis procedere a Spiritu Sancto. Sed hoc tanquam error relinquitur a theologis.

Opiniones. 1) Aliqui putant voluntatem humanam sine habitu caritatis posse virtute Dei in ratione principii *quo* moveri, ut qua instrumentum eliciat actum dilectionis. Ita *Scotus, Suarez* et alii [2].

2) Alii contendunt voluntatem humanam auxilio Dei actuali supernaturali suffultam posse de potentia saltem Dei extraordinaria sine gratia et habitu caritatis elicere actum amoris Dei super omnia. Ita *Capreolus, Ferrariensis, Cajetanus* et alii [3].

544. THESIS. **Voluntas humana sine gratia sanctificante et habitu caritatis nullatenus potest elicere actum amoris Dei super omnia.**

Ratio fundamentalis, ad quam reducuntur alia argumenta, est conspicua. Actus etenim amoris Dei super omnia in ratione finis ultimi et summi boni est meritorius de condigno vitae aeternae seu aeternae beatitudinis. Sed voluntas humana sine gratia sanctificante et habitu caritatis, solo influxu Dei vel auxilio actuali supernaturali suffulta, nullatenus potest elicere actum meritorium de condigno vitae aeternae. Ergo. Sane contradictionem implicare videtur hominem sine gratia sanctificante et habitu caritatis, privatumque amicitia Dei supernaturali, elicere actum amoris meritorium de condigno vitae aeternae.

Haec ratio sicut et tota quaestio late et profunde expenditur a *Salmanticensibus*, qui omnino consulendi sunt [4].

QUAESTIO XXXVI

DE AUGMENTO CARITATIS

ARTICULUS I

AN ET QUOMODO CARITAS AUGERI POSSIT

545. Status quaestionis. 1) Cum augmentum sit species alterationis, quae dicitur intensio, de augmento caritatis loquendum est juxta regulas alterationis.

2) Porro nullum praedicamentum suscipit magis et minus nisi qualitas, et idcirco sola qualitas potest augeri [5].

[1] *I Sent.*, dist. 17, n. 2; ML **192**, 564.

[2] **Scotus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 3, n. 27, «Ad primum»; et n. 29; **Suarez,** *In III p.*, disp. 31, sect. 6.

[3] **Capreolus,** *In II Sent.*, dist. 28, q. un.; **Ferrariensis,** *Contra Gent.*, lib. 3, c. 150; **Cajetanus,** *In I-II*, q. 113, a. 8.

[4] *De caritate*, disp. 4, n. 46 sqq.

[5] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *Summa phil., II-II*, q. 11, a. 3.

3) Docemur autem ab *Angelico* non omnes qualitates posse alterari, sed illas tantum, quae specificantur ab aliquo extrinseco. «Si igitur, ait *S. Doctor*, aliqua forma vel quaecumque res secundum se ipsam, vel secundum aliquid sui sortiatur rationem speciei, necesse est, quod secundum se considerata habeat determinatam rationem, quae neque in plus excedere, neque in minus deficere possit; et hujusmodi sunt calor et albedo, et aliae hujusmodi qualitates, quae non dicuntur in ordine ad aliud, et multo magis substantia, quae est per se ens. Illa vero, quae recipiunt speciem ex aliquo, ad quod ordinantur, possunt secundum se ipsa diversificari in plus vel in minus, et nihilominus sunt sub eadem specie propter unitatem ejus ad quod ordinantur» [1].

4) Qualitates, quae specificantur ab extrinseco, dupliciter possunt augeri: *extensive* ex eo, quod attingant novas partes objecti, quas prius non attingebant, ut scientia, procedendo ad ulteriora, cognoscit novas conclusiones; et *intensive*, quatenus radicatur magis in eodem subjecto et explet subjecti potentiam, necnon subdit sibi subjectum et recipit majorem actualitatem intra propriam lineam [2].

5) Investigari oportet, an et quomodo caritas augeri possit in nobis sine termino.

546. Errores. 1) *Beguardi* et *beguinae* dicebant justum in hac vita attingere ultimum gradum caritatis ultra quem non sit possibile progredi [3].

2) *Jovinianus* defendebat omnes homines esse in gratia et caritate pares, ac proinde neminem in caritate proficere posse [4].

547. Placita theologorum. 1) Aliqui dixerunt caritatem ex se non posse augeri in infinitum syncategorematice, sed habere terminum, quem transgredi non valeat. Ita *Richardus, Scotus, Durandus, Cajetanus* et alii [5].

2) Alii multo communius et, ut videtur, verius defenderunt caritatem nostram posse augeri in infinitum, dum sumus in hac vita. Ita *S. Thomas, Ockam, Capreolus, Banez, Valentia, Lezana, Rhodes, Salmanticenses, Billuart* et alii [6].

548. THESIS I. **Caritas viae potest augeri in infinitum syncategorematice.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo* [7]. *Oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet* [8].

[1] *I-II*, q. 52, a. 1. Cfr. **Complutenses,** *De generatione*, disp. 4, q. 6, § 2, n. 59 sqq.; **Joannes a S. Th.,** *Phil. nat.*, p. 2, q. 4, a. 1.

[2] Cfr. **Philippus a SS. Trinit.,** *Summa phil., II-II*, q. 11, a. 5.

[3] Cfr. **Denz-Bannw.,** 471.

[4] Cfr. **S. Hieronymus,** *Adv. Jovinianum*, lib. 2, n. 4; ML **23,** 301; et **S. Augustinus,** *De haeresibus*, haer. 82; ML **42,** 45.

[5] **Richardus,** *In III Sent.*, dist. 17; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 4; **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 1; **Cajetanus,** *In II-II*, q. 24, a. 7.

[6] **S. Thomas,** *II-II*, q. 24, a. 7; et *In I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 4; **Ockam,** *In III Sent.*, q. 7; **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 1, a. 2; **Banez,** *In II-II*, q. 24, a. 7, dub. 3-5; **Valentia,** *In II-II*, disp. 3, q. 2, p. 3; **Lezana,** *De caritate*, disp. 2, q. 6; **Rhodes,** *De virtutibus theologicis*, disp. 4, q. 5, sect. 2, § 2; **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, n. 1 sqq.; **Billuart,** *De caritate*, diss. 2, a. 1.

[7] *Ephes.*, 4, 15.

[8] *Phil.*, 1, 9.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex Concilio Tridentino.* «Hoc vero justitiae incrementum petit Sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum» [1].

3) *Ex S. Augustino,* qui ait: «Ut perficiatur (caritas) nascitur, cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur» [2].

4) *Ex ratione.* a) Fundamentum hujus doctrinae est, quia potentia obedientialis subjecti, quae commensuratur omnipotentia Dei, nunquam potest exhauriri, et idcirco caritas potest sine termino in voluntate radicari.

b) Dum versamur in hac vita, possumus semper viam, quae nos ducit ad terminum, sine mora prosequi. Sed caritas est via, quae nos ducit ad terminum vitae aeternae. Ergo.

549. Corollarium. Consulto diximus *caritatem viae* augeri posse. Caritas enim patriae, cum sit in termino, de lege Dei ordinaria non potest augeri, quamvis per potentiam Dei extraordinariam seu secundum aliam Dei providentiam non repugnet illam sine termino augeri.

550. THESIS II. **Caritas viae non augetur extensive seu ex parte objecti.**

Ratio est, quia caritas, quantumvis minima ac remissa, cum Deum diligat propter se et creaturas propter Deum, attingit saltem implicite omnia objecta diligibilia, et nihil restat diligendum, ad quod de novo se extendere possit.

551. THESIS III. **Caritas augetur in nobis intensive, non quidem per additionem caritatis ad caritatem, sed per majorem sui ipsius radicationem in subjecto.**

Nota. 1) Caritas per hanc majorem radicationem in subjecto, subdit magis sibi subjectum; magis explet potentiam subjecti; educitur de imperfecto ad perfectum, redditurque magis in actum atque ideo perficitur et augetur.

2) Quoad modum hujus augmenti caritatis diversae sunt doctorum sententiae:

a) *Gandavensis* docuit augmentum caritatis fieri per extractionem partium virtualium substantiae caritatis in actum, quarum quaelibet educta de potentia partis praecedentis ponit augmentum [3].

b) Alii dixerunt augmentum caritatis fieri per additionem graduum, id est, per additionem partium individualium, quae sunt ejusdem essentiae cum caritate praeexsistenti. Ita *S. Albertus Magnus, Scotus, Ariminensis, Vazquez, Lychetus* et alii [4].

c) Alii denique defenderunt caritatem augeri in nobis per majorem radicationem in subjecto. Ita *S. Thomas, Complutenses, Philippus a SS. Trinitate, Gabriel a S. Vincentio, Billuart* et alii [5].

[1] *Sess.* 6, c. 10; **Denz-Bannw.,** 803.
[2] *In ep. Joannis,* tr. 5, n. 4; ML **35,** 2014.
[3] Apud **Scotum,** *In I Sent.,* dist. 17, q. 6: «Hic dicit unus Magister».
[4] **S. Albertus M.,** *In I Sent.,* dist. 17, a. 10; **Scotus,** *In I Sent.,* dist. 17, q. 6, «Dico ergo»; **Ariminensis,** *In I Sent.,* dist. 17, q. 4, a. 1; **Vazquez,** *In I-II,* disp. 82, cc. 3 et 4; **Lychetus,** *In Comment. ad Scotum, In I Sent.,* dist. 17, q. 6.
[5] **S. Thomas,** *II-II,* q. 24, a. 5; Opusc. *De virtutibus,* q. 11; et *In I Sent.,* dist. 17, q. 2, a. 2; **Complutenses,** *De generatione,* disp. 4, a. 8; **Philippus a SS. Trinitate,** *Summa phil., II-II,* q. 11, a. 5; **Gabriel a S. Vincentio,** *De caritate,* disp. 16, dub. 1; **Billuart,** *De caritate,* diss. 2, a. 1.

Pars 1.ª Caritas augetur in nobis intensive,

id est, per ordinem ad subjectum, quatenus una et eadem in se ipsa manens crescit, adquirendo majorem actualitatem in eadem linea. Hoc enim est augmentum, alioquin esset mutatio.

Pars 2.ª Non fit per additionem caritatis ad caritatem vel gradus caritatis ad gradum.

Quae enim hoc modo per additionem unius ad alterum uniuntur, necesse est, ut realiter distinguantur. Quae autem realiter distinguuntur, si uniantur, non augentur, sed congregantur. Caritas vero, quae prius erat remissa, retenta eadem essentia, id est, sub eodem genere et differentia intenditur seu augetur. Unde *Angelicus:* «Relinquitur ergo, quod nullo modo caritas augeri potest per additionem caritatis ad caritatem, sicut quidam ponunt» [1].

Pars 3.ª Caritas augetur per majorem radicationem in nostra voluntate.

Per hanc majorem radicationem subjectum magis participat caritatem, et ipsa caritas habet novum modum adhaesionis et intensionis, accipitque majorem actualitatem in eadem linea. Unde caritas ipsa, quae prius intendebatur ad tria, per majorem radicationem in voluntate intenditur ad sex, et dicitur major, quia intensior.

ARTICULUS II

UTRUM QUOLIBET ACTU REMISSO CARITATIS MEREAMUR DE CONDIGNO AUGMENTUM IPSIUS CARITATIS

552. Status quaestionis. 1) Causa efficiens caritatis sicut et augmenti ipsius est solus Deus, qui caelitus eam infundit hominibus. Unde nunquam potest homo efficienter physice producere caritatis augmentum, quod est continuata ejus productio.

2) Potest tamen homo, quidquid dicant in contrarium *Suarez* et *Vazquez* [2], actibus suis per modum dispositionis physicae concurrere ad augmentum caritatis, ut diserte docet *Angelicus* et strenue probant thomistae. «Quilibet actus (caritatis), ait *S. Thomas,* disponit ad caritatis augmentum, in quantum ex uno actu caritatis homo redditur promptior ad agendum iterum secundum caritatem; et, habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conatur ad caritatis profectum; et tunc caritas augetur in actu» [3].

[1] *II-II,* q. 24, a. 5.
[2] **Suarez,** *De gratia,* lib. 8, c. 5; **Vazquez,** *In I-II,* disp. 220, c. 8.
[3] *II-II,* q. 24, a. 6.

http://www.obrascatolicas.com

Ratio est, quia eodem modo loquendum est de augmento gratiae et caritatis. Actus autem nostri concurrunt per modum dispositionis physicae ad augmentum gratiae.

3) Compertum est nos posse quibusdam actibus caritatis mereri de condigno augmentum gratiae, caritatis et gloriae, sicut diximus in tractatu *De gratia*, et affirmat *Angelicus* his verbis: «Actus enim, qui est ex caritate, ordinatur ad augmentum caritatis et per modum dispositionis et per modum meriti» [1].

4) Sed non parum disputatur, an omnibus actibus etiam remissis caritatis mereamur de condigno hoc augmentum caritatis.

Pro quo sedulo notandum est actus humanos, qui procedunt a caritate, posse esse in triplici differentia respectu habitus caritatis. Supposito enim, quod habeamus habitum caritatis ut quatuor, si eliciamus actus ut duo, vocantur *remissi;* si eliciamus actus ut quatuor, sunt *aequales;* si eliciamus actus ut octo, nuncupantur *intensiores.*

Difficultas est, an actibus remissis, qui non attingunt perfectionem habitus caritatis, in voluntate exsistentis, mereamur de condigno augmentum ipsius habitus caritatis.

553. Auctorum placita. 1) Negaverunt *Durandus* et alii pauci [2].
2) Alii multo communius et verius affirmant.

554. THESIS. **Justus quolibet actu etiam remisso, sive elicito sive imperato, caritatis meretur de condigno augmentum caritatis.**

Probatur. Veritas hujus theseos constat ex S. Scriptura, ex conciliis, ex Angelico Doctore et ex ratione theologica.

1) *Ex S. Scriptura.* Dominus ait in Evangelio: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* [3].

2) *Concilium Tridentinum* expresse declaravit hominem justum bonis operibus vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et augmentum gloriae [4].

3) *S. Thomas:* «Quilibet actus caritatis meretur vitam aeternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus caritatis meretur caritatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum» [5].

4) *Ratio theologica* idem persuadet. Actus siquidem caritatis, quicumque ille sit, etiam remissus, conjungitur titulis praecedentibus in anima, et auget proculdubio valorem et jus operantis. Habenti enim solummodo habitum gratiae et caritatis adjungitur actus bonus, cujus valor, utpote additus meritis praecedentibus, importat jus et condignitatem ad gradum excedentem gradum caritatis praeexsistentis, et sic meretur augmentum caritatis.

---

1 *In I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 3.
2 **Durandus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 8, n. 7.
3 *Matth.*, 10, 42.
4 *Sess.* 6, can. 32; **Denz-Bannw.,** 842.
5 *II-II*, q. 24, a. 6 ad 1.

Objicies. *S. Thomas* contradicit huic doctrinae dicens: «Quilibet actus caritatis, in quantum est informatus tali habitu, ordinatur ad praemium substantiale, non tamen ad augmentum praemii, sed nec ad augmentum caritatis» [1].

Resp. *S. Thomas* in loco citato vel loquitur de primo actu caritatis, quo homo disponitur ad primam gratiam, et quo non meretur augmentum caritatis nondum exsistentis, vel solum docuit actum remissum caritatis non ordinari ad augmentum caritatis illico conferendae.

555. Corollaria. Quatuor corollaria maximi momenti pro vita spirituali merito deducunt ex hoc *Salmanticenses* [2]:

1) *Unum justum perfectum magis Deo placere quam plures justos tepidos ac imperfectos.* Quia, sicut unus actus caritatis ferventissimus est tum physice tum moraliter melior ac majoris valoris coram Deo quam plures actus remissi, ita pariter unus justus perfectus exercens actus ferventissimos caritatis magis Deo placet et plus Deum glorificat quam plures justi tepidi.

Hujus corollarii alia etiam adducitur potissima ratio. «Cum amor Dei erga creaturas non sit affectivus sed effectivus, eo magis diligere creaturam dicitur, plusque in ea complacere, quo majus bonum ipsi communicat. Sed una gratia perfecta et valde intensa est majus bonum quam plures gratiae remissae... Ergo Deus magis diligit justum perfectum... quam plures justos tepidos et imperfectos» [3].

2) «Conversionem unius peccatoris ad magnam perfectionem magis Deo placere, ipsumque magis glorificare, quam conversiones plurium peccatorum ad justitiam tepidam et imperfectam» [4].

3) «Magis Deo placere magisque Deum glorificare concionatorem et magistrum spiritualem, qui unum aliquem peccatorem convertit, perducendo ipsum ad statum perfectionis, quam qui plures convertit, quos tepidos et imperfectos relinquit» [5].

4) «Melius quid facere, et magis Deum glorificare praedicatorem sive magistrum spiritualem, qui doctrina sua vitaeque exemplo unum justum imperfectum ad magnam perfectionem perducit, quam qui plures a peccato convertit, tepidos et imperfectos relinquens» [6].

Haec consectaria magnum certe afferre debent solatium animarum directoribus, qui, dum dotibus careant ad concionandum, in silentio student animas fidelium oratione et consiliis ad perfectionem et ad unionem Dei perducere.

---

1 *In I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 3 ad 2.
2 *De caritate*, disp. 5, n. 76 sqq.
3 **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, n. 76.
4 **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, n. 80.
5 **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, n. 85.
6 **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, n. 93.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS III

QUANDO PHYSICE CONFERATUR ANIMAE AUGMENTUM CARITATIS ACTIBUS REMISSIS PROMERITUM

556. Status quaestionis. 1) Facile concedunt theologi augmentum caritatis actibus habitu intensioribus promeritum statim homini physice conferri, quia adest ex parte merentis dispositio necessaria ad ejus receptionem.

2) Difficultas est, quo tempore vel momento conferatur homini physice augmentum caritatis, quod meruerat actibus remissis.

557. Theologorum placita. 1) Aliqui volunt statim ac opera remissa ponuntur, conferri physice homini augmentum caritatis ipsis debitum. Ita *S. Albertus Magnus, Biel, Major, Suarez, Vazquez, Mastrius, Arriaga, Becanus, Lezana* et alii [1].

2) Alii docent augmentum caritatis operibus remissis debitum conferri physice homini justo, quando hic elicit actum habitu praecedenti intensiorem, adeo ut duplex augmentum ipsi in illo momento conferatur, unum pro actu remisso praecedente et aliud pro actu intenso praesente. Ita *Banez, Sylvius, Contenson* et alii [2].

3) Alii denique defendunt augmentum caritatis actibus remissis debitum non in hoc mundo sed in altera vita physice a Deo hominibus conferri. Sic *Cajetanus, Joannes a S. Thoma, Gonet, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses, Billuart* et alii [3].

558. THESIS. **Augmentum caritatis operibus remissis debitum non confertur physice justis statim ac opera remissa ponuntur, neque quando exercentur opera intensiora, sed in altera vita in primo glorificationis momento.**

Pars 1.ª Non confertur statim, ac opera remissa ponuntur.

S. Thomas ad rem: «Non quolibet actu caritatis caritas actu augetur. Sed quilibet actus caritatis disponit ad caritatis augmentum» [4].

Sane ad caritatis augmentum physice recipiendum requiritur dispositio physica ex parte subjecti. Actus autem remissi caritatis, cum non adaequent habitum praecedentem, non important dispositionem physicam sufficientem ad illud augmentum recipiendum.

---

[1] **S. Albertus M.,** *In I Sent.*, dist. 17, a. 10; **Biel,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 4, a. 3, dub. 2; **Major,** *In IV Sent.*, dist. 22, q. 1; **Suarez,** *Relectio de reviviscentia meritorum*, disp. 2, sect. 3, n. 21; **Vazquez,** *In I-II*, disp. 220, c. 5; **Mastrius,** *In II Sent.*, disp. 7, q. 11, a. 1; **Arriaga,** *In I-II*, disp. 51, sect. 2, subs. 5; **Becanus,** *De caritate*, c. 22, q. 3; **Lezana,** *De caritate*, tr. 3, disp. 2, q. 5, «Dico 5».

[2] **Banez,** *In II-II*, q. 24, a. 6, dub. 2, concl. 4; **Sylvius,** *In II-II*, q. 24, a. 6, concl. 4; **Contenson,** *De caritate*, lib. 8, diss. 4, c. 2, spec. 1.

[3] **Cajetanus,** *In II-II*, q. 24, a. 6; **Joan. a S. Th.,** *In II-II*, disp. 15, a. 4; **Philippus a SS. Trinit.,** *De gratia Dei*, disp. 7, dub. 4; **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 5, n. 185 sqq.; **Billuart,** *De caritate*, diss. 2, a. 3.

[4] *II-II*, q. 24, a. 6.

Pars 2.ª Non confertur simul cum actibus ferventioribus sequentibus.

Actus siquidem ferventiores, qui post actus remissos exercentur, non habent dispositionem ad recipiendum nisi augmentum caritatis ipsis debitum; et oportet, ut actus remissi suum praemium non alieno sed proprio titulo aliquando recipiant.

Nec credi potest hominem, qui ultimos actus elicuit remissiores, fraudatum iri praemio horum actuum.

Pars 3.ª Confertur in altera vita, in primo scilicet momento glorificationis animae.

Justus siquidem in primo ingressu ad gloriam creditur emissurus actum ferventissimae caritatis, qui sit dispositio superabundans ad recipiendum augmentum caritatis omnibus actibus remissioribus anteactae vitae debitum.

QUAESTIO XXXVII

DE DIMINUTIONE ET AMISSIONE CARITATIS

ARTICULUS I

UTRUM HABITUS CARITATIS DIMINUATUR

559. Status quaestionis. Dupliciter potest concipi habitum caritatis diminui; *directe*, quatenus amittit aliquid de essentia vel gradibus; et *indirecte*, quatenus frigescit fervor caritatis vel bene agendi ratio in subjecto.

Quaerimus, an et quomodo minui possit habitus caritatis.

560. Placita theologorum. 1) *Altisiodorensis* docet habitum caritatis non posse remitti quantum ad essentiam, bene tamen quantum ad radicationem, fervorem, motum et exteriorem operationem [1].

2) *Dionysius Carthusianus* absolute defendit habitum caritatis quoad essentiam diminui non posse [2]. Hanc sententiam probabilem vocat *Victoria*, quamvis contrariam sententiam longe probabiliorem et veriorem esse existimet [3].

3) Alii contendunt habitum caritatis directe diminui non posse, bene tamen indirecte. Ita *Guillermus Parisiensis, S. Thomas, Cajetanus, Banez, Salmanticenses, Lezana, Billuart, Josephus a Matre Dei* et alii [4].

---

[1] *Summa*, tr. 6, c. 5, q. 1.

[2] *In I Sent.*, dist. 17, q. 9.

[3] *Relectio de augmento caritatis et diminutione*, inter opera **Banez,** *In II-II*, q. 24, a. 7.

[4] **Guillermus Parisiensis,** *De virtutibus*, circa finem (fol. 96; ed. Parisiensis, 1516); **S. Thomas,** *II-II*, q. 24, a. 10; **Cajetanus** et **Banez,** *In II-II*, q. 24, a. 10; **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 6, n. 1 sqq.; **Lezana,** *De caritate*, tr. 3, disp. 3, q. 3; **Billuart,** *De caritate*, diss. 2, a. 4, § 4; **Josephus a Matre Dei,** *Cursus triennalis*, tr. 14, disp. 3, dub. 3.

http://www.obrascatolicas.com

561. THESIS. **Habitus caritatis nequit diminui directe, bene tamen indirecte.**

Pars 1.ª

Cum peccatum mortale totaliter destruat caritatem, tota quaestio in hoc volvitur, an per peccatum veniale directe diminuatur habitus caritatis.

1) Porro, ut acutissime arguit *Guillermus Parisiensis*, si per peccatum veniale diminueretur directe habitus caritatis, peccatum veniale aliquid detraheret de praemio essentiali sanctorum, et pro culpa veniali infligeretur poena aeterna, qualis esset diminutio praemii essentialis. Hoc autem est contra doctrinam sanctorum.

2) Si peccata venialia diminuerent directe caritatem, possent pluries repetita eam tandem extinguere. Quid fieret de anima, quae, nullo commisso peccato mortali, careret gratia et caritate?

Pars 2.ª

Diximus habitum caritatis indirecte diminui, quando frigescit ejus fervor vel generatur in voluntate tepida agendi ratio. Hoc autem saepe fit in homine, qui multiplicat peccata venialia [1]. Peccata enim venialia faciunt, ut augeantur vires partis inferioris, et demereantur auxilia divina ad bene agendum.

ARTICULUS II

UTRUM QUODLIBET PECCATUM MORTALE EXPELLAT CARITATEM

562. Nota. Aliqui haeretici, ut *Jovinianus*, *beguardi* ac *beguinae*, et *Calvinus*, docuerunt hominem justum non posse amplius peccare, neque gratiam et caritatem amittere. Contra eos edita est a Concilio Tridentino sequens definitio: *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum... a. s.* [2].

Caritas profecto viae, quae non replet totam capacitatem voluntatis, amissibilis est per adhaesionem voluntatis ad illicita.

Haec cum ita sint, quaeritur, an et quomodo caritas destruatur per peccatum mortale.

563. THESIS. **Per quodlibet peccatum mortale amittitur caritas.**

1) Est definitum in Concilio Tridentino: «Adserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti» [3].

[1] Cfr. **Bachonus,** *In I Sent.*, dist. 47, q. un., aa. 1-3; et **Lezana,** *De caritate, In II-II*, tr. 3, disp. 3, q. 3.
[2] *Sess.* 6, can. 23; **Denz-Bannw.,** 833.
[3] *Sess.* 6, c. 15; **Denz-Bannw.,** 808.

2) Praeiverat *Angelicus* dicens: «Unde relinquitur, quod si caritas diminuatur, quod causa diminutionis ejus sit peccatum vel effective vel meritorie. Neutro autem modo peccatum mortale diminuit caritatem, sed totaliter corrumpit ipsam; et effective, quia omne peccatum mortale contrariatur caritati..., et etiam meritorie, quia, cum peccando mortaliter aliquis contra caritatem agit, dignum est, ut Deus ei subtrahat caritatem» [1].

Unde sequitur per peccatum mortale non solum expelli caritatem per modum prohibentis, sed vere destrui effective, avertendo voluntatem a Deo, et convertendo ad creaturas.

QUAESTIO XXXVIII

DE PERFECTIONE CARITATIS

ARTICULUS I

UTRUM CARITAS SIT PRAESTANTIOR QUAM ALIAE VIRTUTES

564. Status quaestionis. 1) Perfectio virtutis est duplex, in esse moris et in esse entis.

Perfectio virtutis *in esse moris* attenditur penes rectitudinem, quam imprimit subjecto, et eo dicitur major, quo magis subjiciat hominem regulis actuum humanorum, et magis eum approximet Deo. Perfectio virtutis *in esse entis* consistit in nobilitate objecti, et eo dicitur perfectior, quo melius habeat objectum.

2) Compertum est caritatem esse perfectiorem omnibus virtutibus moralibus et spe, tum in esse moris tum in esse entis, quia magis quam virtutes morales et spes nos subjicit regulis morum et appropinquat Deo, et habet nobilius objectum, scilicet Deum in se bonum.

3) Difficultas tantummodo versatur circa perfectionem caritatis respectu perfectionis fidei, et quaerimus, an caritas sit perfectior fide.

565. Theologorum placita. 1) Caritatem esse perfectionem fide in *esse moris* facile concedunt theologi unanimi consensu.

2) Caritatem esse fide perfectiorem etiam *in esse entis* defendunt *Cajetanus, Banez, Suarez, Gonet, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Becanus, Lezana, Billuart* et alii [2], contra *Vazquez* et alios paucos [3].

[1] *II-II*, q. 24, a. 10.
[2] **Cajetanus,** *In II-II*, q. 23, a. 6; **Banez,** *In II-II*, q. 23, a. 6; **Suarez,** *De caritate*, disp. 3, sect. 1, concl. 3; **Gonet,** *De caritate*, disp. 10, a. 5, concl. 2; **Philippus a SS. Trinit.,** *In II-II*, disp. 5, dub. 6; **Salmanticenses,** *De caritate*, disp. 7, n. 23 sqq.; **Becanus,** *De virtutibus theol.*, c. 18, q. 1; **Lezana,** *De caritate*, tr. 3, disp. 1, q. 5; **Billuart,** *De caritate*, diss. 1, a. 4.
[3] *In I-II*, disp. 11, c. 8, n. 45.

http://www.obrascatolicas.com

566. THESIS. **Caritas est perfectior fide tum in esse moris tum in esse entis.**

Pars 1.ª In esse moris.

1) Quoad esse moris certissima sunt, quae dicit Apostolus de caritate: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec: major autem horum est caritas* [1]. *Super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* [2].

2) Virtutes eo dicuntur perfectiores in esse moris, quo perfectius reddant subjectum. Sed caritas perfectiorem reddit hominem quam fides; quia conjungit nos Deo per amicitiam, et facit nos haeredes regni caelestis. Unde fides ipsa, si non est conjuncta caritati, dicitur mortua ac informis, si vero adsocietur caritati nuncupatur viva.

Pars 2.ª In esse entis.

1) *S. Thomas:* «Semper autem id, quod est per se, majus est eo, quod est per aliud. Fides autem et spes attingunt quidem Deum secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni; sed caritas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo caritas est excellentior fide et spe, et per consequens omnibus aliis virtutibus» [3].

2) Virtutes in esse entis et secundum speciem eo dicuntur perfectiores, quo respiciunt majus et nobilius objectum primarium. Sed caritas respicit objectum primarium nobilius ac perfectius quam fides; quia objectum primarium caritatis, quod est summa Dei bonitas in se ipsa, majorem perfectionem explicat, quam objectum fidei, quod est summa Dei veritas aliquid nobis revelans.

3) Denique caritas intimius nos Deo conjungit quam fides, caritas scilicet immediate per amorem, et fides mediate per speciem. Unde praeclare *Angelicus*: «Cum autem tres virtutes theologicae respiciant Deum sicut proprium objectum, non potest una earum dici major altera ex hoc, quod sit circa majus objectum, sed ex eo, quod una se habeat propinquius ad objectum quam alia; et hoc modo caritas est major aliis; nam aliae important in sui ratione quamdam distantiam ab objecto, est enim fides de non visis, spes autem de non habitis. Sed amor caritatis est de eo, quod jam habetur; est enim amatum quodammodo in amante, et etiam amans per affectum trahitur ad unionem amati, propter quod dicitur *I Joannis*, 4, 16: *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*» [4].

---

1 *I Cor.*, 13, 13.
2 *Col.*, 3, 14.
3 *II-II*, q. 23, a. 6
4 *I-II*, q. 66, a. 6.

ARTICULUS II

QUOMODO CARITAS SIT FORMA ALIARUM VIRTUTUM

567. Status quaestionis. 1) Nullatenus dubitandum est caritatem esse aliquo modo formam caeterarum virtutum, quidquid in contrarium dixerint novatores saeculi XVI.

Id expresse docuerunt *Petrus Lombardus, Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus* et omnium scholarum patroni [1].

Ratio est, quia omnes virtutes accipiunt esse, perfectionem et valorem, non quidem essentialem, quam habent ab objecto, sed accidentalem, a fine. Caritas autem exsistens in voluntate refert omnes virtutes habitualiter ad Deum ultimum finem. Unde virtutes, quae ita ad Deum referuntur, dicuntur formatae a caritate [2].

2) Hoc supposito, discutiendum restat quomodo caritas informet caeteras virtutes.

Ex variis modis, quibus auctores hoc explicare conantur, excogitatur et defenditur probabilior sententia thesi sequenti.

568. THESIS. **Caritas est forma omnium virtutum, quatenus suo imperio ordinat eas in finem, et ex hac ordinatione derivatur et passive recipitur in actibus virtutum modus quidam realis ac intrinsecus, quo tum virtutes tum earum actus perficiuntur ac dignificantur.**

Angelicus hoc docuisse videtur dicens: «Caritas dicitur esse forma aliarum virtutum, non quidem exemplariter aut essentialiter, sed magis effective, in quantum scilicet omnibus formam imponit secundum modum praedictum» [3], scilicet per ordinationem aliarum virtutum in finem.

Haec *Angelici* verba optime explicat *Cajetanus* his verbis: «Non solum caritas informat effective, quia imperat et ordinat; hoc enim commune est omni imperanti et ordinanti; sed quia participatio passiva imperii et ordinationis suae est velut forma constituens actus alios in esse virtuoso simpliciter» [4].

Caritas sane informans voluntatem hominis imperat et ordinat omnes actus virtutum ad Deum ultimum finem supernaturalem. Ex vi hujus ordinationis actus virtutum procedunt intrinsece modificati, sicut ex vi libertatis humanae actus potentiarum procedunt intrinsece modificati. Unde actus aliarum virtutum non dicuntur perfecti, nisi moveantur et dirigantur a caritate. Quatenus ergo participant passive ordinationem caritatis in Deum, dicuntur perfici ac dignificari a caritate.

Actus virtutum ita perfecti ac dignificati a caritate, sicut ipsaemet virtutes, quae eos eliciunt, dicuntur informari a caritate.

Dignetur Dominus hac caritate omnes actiones nostras in ultimum finem dirigere, et virtutes nostras perfectius in diem informare.

---

1 **Petrus Lombardus,** *III Sent.*, dist. 23; **Alensis,** *III p.*, q. 64, m. 3; **S. Thomas,** *II-II*, q. 23, a. 8; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 23, a. 2, q. 5; et dist. 26 a. 1, q. 6; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 23, q. un.
2 Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *In II-II*, disp. 11, dub. 5.
3 *II-II*, q. 23, a. 8 ad 1. 4 *In II-II*, q. 23, a. 8.

http://www.obrascatolicas.com

TRACTATUS III

DE VERBO INCARNATO

569. Auctores Consulendi. 1) **Symbola:** *a)* Apostolorum **(Denz-Bannw.,** 6); *b)* Nicaeno-Cpolitanum **(Denz-Bannw.,** 54); *c)* Formula Libellus in modum Symboli **(Denz-Bannw.,** 19), et *d)* Athanasianum **(Denz-Bannw.,** 39).

2) **Acta Conciliorum** praesertim: a) *Ephesini* (a. 431) contra Nestorium; b) *Chalcedonensis* (a. 451) contra Eutychetem; c) *Cpolitani II* (a. 553) contra Theodorum Mopsuestenum; d) *Lateranensis* (a. 649) contra monophysitas et monothelitas.

3) **SS. Patres. S. Clemens Romanus,** *ep. ad Corinthios,* MG **1,** 200; **S. Ignatius,** *Epistolae variae,* MG **5,** 614 sqq.; **S. Justinus,** *Apologiae,* MG **6,** 328, et **Dialogus cum Tryphone,** MG **6,** 472; **S. Irenaeus,** *Adv. haereses,* MG **7,** 437; **Clemens Alex.,** *Cohortatio,* MG **8,** 49, *Paedagogus,* MG **8,** 247, *Stromata,* MG **8,** 685; **Origenes,** *Contra Celsum,* MG **11,** 641, *De principiis,* MG **11,** 115; **Tertullianus,** *Adv. Praxeam,* ML **2,** 177; *Adv. Marcionem,* ML **1,** 268; *De carne Christi,* ML **2,** 797; **S. Cyprianus,** *Testim. adv. judaeos,* ML **4,** 706 sqq.; **S. Athanasius,** *Lib. de incarnatione Verbi,* MG **25,** 96; **S. Cyrillus Hierosolymitanus,** *Catecheses* 10-15, MG **33,** 917 sqq.; **S. Gregorius Nazianzenus,** *Orationes 5 de Theologia,* MG **36,** 12 sqq.; **S. Epiphanius,** *Adv. haereses,* MG **41,** 173; *Expositio fidei,* MG **42,** 773; **S. Gregorius Nyss.,** *Oratio catechetica magna,* MG **45,** 10 sqq.; **S. Joannes Chrysostomus,** *Contra jud. et gent. quod Christus sit Deus,* MG **48,** 813; **S. Hilarius,** *De Trinitate,* ML **10,** 26; *De Synodis,* ML **10,** 479; **S. Ambrosius,** *De incarnationis dominicae sacramento,* ML **16,** 853; **S. Cyrillus Alex.,** *De incarnatione Unigeniti,* MG **75,** 1189, *Liber quod unus sit Christus,* MG **75,** 1253; *Scholia de incarnatione,* MG **75,** 1369; **S. Joannes Damascenus,** *De fide orth.,* MG **94,** 789; **S. Bernardus,** *Sermones,* ML **185,** 115 sqq.

4) **Scriptores mediae aetatis. S. Anselmus,** *De fide trinitatis et de incarnatione Verbi,* ML **158,** 259; *Cur Deus homo,* ML **158,** 359; **Rupertus abbas,** *De victoria Verbi,* ML **169,** 1217; **Hugo a S. Victore,** *De sacramentis christianae fidei,* ML **176,** 183; **Guibertus,** *Tractatus de incarnatione,* ML **156,** 489.

5) **Scholastici. Petrus Lombardus,** *III Sent.,* ML **192,** 757 sqq.; **Richardus a S. Victore,** *Liber de Verbo incarnato,* ML **196,** 995; **Bandinus,** *III Sent.,* ML **192,** 1071; **Alensis,** O. M., *Summa theologica,* p. III; **S. Albertus M.,** O. P., *in III Sent.;* **S. Thomas,** O. P., *Summa theologica,* p. III, q. 1 sqq.; *in III Sent.; Summa contra gentiles,* lib. 4, cc. 27-55;

http://www.obrascatolicas.com

S. Bonaventura, O. M., *in III Sent.;* **Scotus,** O. M., *in III Sent.;* **Bachonus,** O. C., *in III Sent.;* **Durandus,** O. P., *in III Sent.;* **Biel,** O. M., *in III Sent.;* **Paludanus,** *in III Sent.;* **Capreolus,** O. P., *in III Sent.;* **Argentina,** O. S. A., *in III Sent.;* **Altisiodorensis,** *in III Sent.;* **Dionysius Carthusianus,** O. Cart., *in III Sent.*

6) **Scholastici recentiores. Cajetanus,** O. P., *Comment. in III p. S. Thomae;* **Ferrariensis,** O. P., *Comment. in Summam contra gentiles,* lib. 4, c. 27 sqq.; **Medina,** O. P., *Comment. in III p. S. Thomae;* **Valentia,** S. J., *in III p.*, q. 1 sqq.; **Cornejo,** O. C., *Comment. in III p. S. Thomae;* **Vazquez,** S. J., *Comment. in III p. S. Thomae;* **Suarez,** S. J., *De incarnatione;* **Lugo,** S. J., *De mysterio incarnationis;* **S. Bellarminus,** S. J., *De Christo Capite Ecclesiae;* **Alvarez,** O. P., *Disp. theol. de incarnatione;* **Joannes a S. Thoma,** O. P., *Comment. in III p. S. Thomae;* **Thomas Waldensis,** O. C. C., *Doctrinale Antiquitatum fidei,* lib. 1; *De invocatione Sanctorum; De cultu et reliquiis Sanctorum; De cultu imaginum.* **Gonet,** O. P., *De Deo incarnato;* **Rodhes,** S J., *De incarnatione;* **Petavius,** S. J., *De incarnatione;* **Philippus a SS. Trinitate,** C. Exc., *De mysterio incarnationis;* **Salmanticenses,** C. Exc., *De incarnatione;* **Laurentius a S. Theresia,** C. Exc., *Spicilegium,* t. 5, *De incarnatione;* **Gabriel a S. Vincentio,** C. Exc., *De incarnatione;* **Paulus a Conceptione,** C. Exc., *De incarnatione;* **Liberius a Jesu,** C. Exc., *Controversiae,* t. 2, *De Christo;* **Thomasinus,** Sac. Orat., *De incarnatione;* **Gotti,** O. P., *De incarnatione;* **Billuart,** O. P., *De incarnatione;* **Frassen,** O. M., *Scotus academicus;* **Poncius,** O. M., *Theologiae cursus integer,* tr. de incarnatione; **Henno,** O. M., *Tractatus de incarnatione;* **Liebermann,** *De generis humani redemptione;* **Perrone,** S. J., *De incarnatione;* **Franzelin,** S. J., *De Verbo incarnato;* **Kleutgen,** S. J., *Theologie der Vozeit,* vol. 3; **Billot,** S. J., *De Verbo incarnato;* **Pesch,** S. J., *De Verbo incarnato;* **Muncunill,** S. J., *De divini Verbi incarnatione;* **Mendive,** S. J., *Institutiones theol., De incarnatione;* **Janssens,** O. S. B., *De Deo homine;* **Tanquerey,** *De Verbo incarnato;* **Van Noort,** *De Deo redemptore;* **Hugon,** O. P., *Le mystère de l'Incarnation;* **Paquet,** *De incarnatione;* **Basilius a S. Anna,** C. Exc., *De Verbo incarnato;* **Castro,** *De Deo incarnato;* **Honoratus del Val,** O. S. A., *De Verbo incarnato;* **P. Chrysostomus,** O. M. I., *Le motif de l'Incarnation.*

SECTIO I

DE CHRISTOLOGIA
SEU
DE VERBI INCARNATIONE IN SE CONSIDERATA

QUAESTIO XXXIX

DE NOTIONE, POSSIBILITATE, CONVENIENTIA, NECESSITATE ET EXSISTENTIA INCARNATIONIS VERBI

ARTICULUS I

NOTIO INCARNATIONIS VERBI

570. I. **Nomina hujus mysterii.** Incarnatio Verbi a SS. Patribus appellata est aliquando *Exinanitio,* quia Verbum «semetipsum exinanivit» [1]; quandoque *Apparitio,* quia Filius Dei apparuit in carne; interdum *Adsumptio,* quia persona divina adsumpsit humanam naturam; non semel *Oeconomia,* quia importat providam dispensationem erga homines. Aptiori tamen vocabulo ab antiquis temporibus dicta est σαρκωσις seu *Incarnatio* [2], quia, ut bene ait S. Joannes, *Verbum caro factum est* [3], seu «Verbum factum est homo», quatenus in sensu biblico caro significat totum hominem [4].

571. II. **Definitio mysterii incarnationis.** Incarnatio Verbi recte definitur: *Divinae humanaeque naturae in una Verbi persona unio.* Ita intelligenda est haec unio, ut duae naturae, divina et humana, post unionem maneant inconfusae, et terminentur per unam Verbi personam. Unde est realis et hypostatica.

Persona Verbi habet triplicem contactum cum humana Christi natura: 1.um: *titulo creationis et conservationis,* quatenus adest ipsi una cum Patre et Spiritu Sancto per essentiam, praesentiam et potentiam [5];

---

[1] *Philip.*, 2, 7.
[2] **S. Irenaeus,** *Adv. haer.*, lib. 3, c. 19 (MG 7, 939), hoc vocabulo usus est.
[3] *Joann.*, 1, 14. Cfr. **S. Athanasius,** *De incarnatione Verbi;* MG **25,** 96; et **S. Ambrosius,** *De incarnat. dom. sacr.;* ML **16,** 854.
[4] Cfr. **Hugon,** *Le mystère de l'Incarnation,* ch. 1, § 1.
[5] Cfr. *De Deo uno,* n. 130.

http://www.obrascatolicas.com

2.um: *titulo amicitiae,* in quantum est in ea simul cum aliis personis, sicut cognitum est in cognoscente et amatum in amante; 3.um: *titulo incarnationis,* quatenus Verbum divinum terminat divinam humanamque naturam, et constituit Jesum Christum, Deum simul et hominem.

In hoc mysterio confitemur: 1) Christum esse unam personam divinam. 2) In Christo esse duas naturas inconfusas et immutatas, divinam scilicet et humanam; adeoque unionem esse factam in persona non in natura, quatenus, completa unione, remansit unica persona in duabus naturis immutatis. 3) Unionem utriusque naturae non fuisse fictitiam aut accidentalem, sed realem, personalem et hypostaticam. 4) Humanam Christi naturam fuisse completam cum anima rationali, corpore reali et potentiis homini competentibus. 5) Christum fuisse verum Deum et hominem historicum ac realem non idealem.

572. III. **Errores.** 1) *Circa personam Christi* erraverunt *monarchiani,* qui cum *Praxea, Sabellio, Socino* et aliis negaverunt distinctionem realem inter Patrem et Filium, dixeruntque consequenter Christum esse Patrem. Inde dicti sunt *patripassiani.*

2) *Circa divinitatem Christi* erravere *subordinatiani,* qui cum *Cerintho, Ebione, Paulo Samosateno, Photino,* theodotianis, arianis, etc., admiserunt Jesum Christum esse personam, non aequalem sed inferiorem Patri purumque hominem [1]; et in Scripturis vocari Deum non per naturam sed per adoptionis gratiam. Protestantes pariter heterodoxi, critici rationalistae *moderni,* ac *increduli hodierni* nolunt admittere Jesum fuisse Deum, nisi quatenus erat plenus spiritu Dei, et promovit homines ad Deum [2].

3) *Circa humanitatem Christi* erraverunt a) *docetae,* qui cum *Saturnino, Basilide, Marcione* et aliis docuerunt omnem creaturam corpoream esse a diabolo ortam, et idcirco Filium Dei non adsumpsisse verum sed phantasticum corpus [3]; b) *valentiniani,* qui contendunt Christum habuisse verum corpus, non quidem formatum in utero Virginis, sed e caelo allatum; c) *Lucianus antiochenus* et *Apollinaris laodicensis,* qui defenderunt Christum non fuisse sortitum animam rationalem, sed sensitivam, et loco mentis habuisse naturam divinam [4].

4) *Circa unionem divinae humanaeque naturae in Christo* fuit duplex haeresis ex extremo opposita. *a)* Nestorius, Patriarca Cpolitanus, suum magistrum Theodorum mopsuestenum sequutus, docuit Christum fuisse unum totum, προσωπον, non quod habuerit unam solam personalitatem Verbi existentem ante incarnationem, sed quod sibi copulaverit duas personas, divinam et humanam [5]. Inde contendit unionem duplicis naturae in Christo non fuisse personalem «sed accidentalem tantum seu moralem, scilicet: a) secundum inhabitationem; b) per conformitatem affectuum; c) secundum operationem; d) secundum dignitatem honoris. Ex quo sequebatur a) Verbum non esse proprie incarnatum; b) duas esse personas in Christo; c) beatam Mariam Virginem non esse Matrem Dei sed hominis; d) non posse dici Deum esse natum, passum, etc., nec Deum esse hominem et hominem esse Deum» [6]. Hanc haeresim partim renovarunt adoptionistae, qui Christum dicebant esse Filium Dei adoptivum non naturalem; et güntheriani, qui «duas in Christo personas physicas et unam moralem posuerunt, dicentes non dari in eo unitatem *numerico-realem,* sed tantum dynamicam et formalem» [1].

b) Eutiches, archimandrita cpolitanus, non duplicem sed unam tantum eamque divinam naturam posuit in Christo; humanam vero naturam dicebat in incarnatione fuisse divinisatam seu transformatam in naturam Verbi, vel absorptam a Verbo [2].

5) *Circa divinitatem simul et humanitatem Christi* delirant hodie *modernistae,* qui ponunt duplicem Christum, unum historicum et alterum dogmaticum seu conscientiae christianae. *Christus historicus* fuit homo realis, qui natus est, vixit, et obiit, sicut caeteri homines. Non fuit Deus nec patravit miracula, nec resurrexit. *Christus dogmaticus* seu conscientiae christianae, Deus et homo, Verbumque increatum, non fuit realis sed idealis, formatus ex conscientia christiana, et exsistens tantummodo in phantasia credentium [3].

1 Cfr. *De Deo trino,* n. 466.

2 Vide **Renan,** *Vie de Jésus,* ch. 28; **Harnack,** *Das Wesen des Christentums,* conf. 9.

3 Cfr. **S. Irenaeus,** *Adv. haer.,* lib. 1, c. 24; nn. 3-4; MG **7,** 675-677; **Tertullianus,** *Adv. Marcionem,* lib. 3, c. 8; ML **2,** 359.

4 Cfr. **S. Epiphanius,** *Ancorat.,* 33; MG **43,** 77 sq.; **Vacant,** *Dict. théol.,* v. «Apollinaire».

5 Cfr. **J. Tixerot,** *Histoire des dogmes,* III, 28-34.

6 **Billuart,** *De incarnat.,* diss. 4, a. 5; diss. 1 hist., sect. 1.

ARTICULUS II

UTRUM INCARNATIO VERBI SIT POSSIBILIS

573. Status quaestionis. Possibile dicitur, quod est aptum ad exsistendum seu quod non involvit repugnantiam sive ex parte sui, sive ex parte agentis, sive ex parte circumstantiarum [4]. Quaeritur, an aliquo ex his motivis repugnet naturam divinam et humanam uniri in una Verbi persona.

574. THESIS. **Incarnatio Verbi est possibilis.**

Nota. Nullam haec thesis offert catholicis difficultatem, quia fides no. docet incarnationem Verbi esse possibilem. Suadenda tamen est contra infideles et haereticos.

Arg. Incarnatio Verbi non repugnat ex parte sui, neque ex parte Verbi adsumentis naturam humanam, neque ex parte circumstantiarum.

1) *Non repugnat ex parte sui* seu *ex ipsa rei natura.* Essentia siquidem incarnationis in eo consistit, quod duplex natura, integra et inconfusa, terminetur a Verbo et subsistat in una persona divina. Hoc autem non repugnat ex natura rei. Quia subsistentia seu terminus, quo res constituitur in se subsistens et incommunicabilis alteri, non est de natura rei. Unde non obstat, quominus vel una subsistentia terminet duplicem naturam, ut fit in Christo, vel variae subsistentiae terminent unam naturam, quemadmodum fit in trinitate. Nequit quidem duplex natura per unam formam substantialem informari, quia forma substantialis est vel ipsa essentia vel pars essentiae, et nequit natura multiplicari nisi multiplicatis formis; sed subsistentia, utpote realiter distincta ab essentia, longe aliter quam forma afficit naturam.

2) *Non ex parte Verbi terminantis.* Verbum divinum, cum adsumpsit naturam humanam, eamque reddidit subsistentem et alteri incom-

1 **Mendive,** *De incarnatione,* n. 5, 30.

2 **Hugon,** *Le mystère de l'Incarnation,* 1.ère part., ch. 3, § 4.

3 Cfr. Encyclica *Pascendi* Pii PP. X; **Denz-Bannw.,** 2076 et 2084.

4 Cfr. **Marcellus a Puero Jesu,** *Metaphysica,* n. 96.

http://www.obrascatolicas.com

municabilem, nullatenus mutatum est nec detrimentum est passum. Ergo incarnatio Verbi Dei non repugnat ex parte ipsius Verbi. In incarnatione, ait *S. Thomas*, «non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanae naturae» [1].

3) *Non ex parte circumstantiarum.* Circumstantiae siquidem incarnationis, quae referuntur ad tempus, ad locum, ad Virginem Matrem, etc., nihil redolent, quod naturae humanae vel potentiae divinae repugnet.

575. Scholion I. *Ratio naturalis, seclusa revelatione, nequit cognoscere possibilitatem incarnationis Verbi.*

1) Incarnatio Verbi juxta Apostolum est *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis* [2].

2) Concilium Toletanum XI ait: «Si ratione colligitur, non est mirabile; si exemplo monstratur, non erit singulare» [3].

3) Possibilitas incarnationis nequit nobis innotescere *a priori*, quia ejus causa omnino nos latet, neque *a posteriori*, quia effectus hujus mundi, quos naturaliter cognoscimus, non habent connexionem cum hoc mysterio.

Potest tamen ratio naturalis solvere omnia argumenta, quae objiciantur contra possibilitatem incarnationis, quia haec argumenta peccant contra regulas logicae, quae naturaliter nobis innotescunt.

Scholion II. *Supposita revelatione, potest ratio naturalis hoc mysterium suadere tum per principia revelata tum per media naturalia.*

1) Ratio naturalis fide divina instructa potest per principia supernaturalia cognoscere Jesum Christum sibi attribuisse duplicem naturam in una persona atque fecisse miracula in confirmationem hujus doctrinae. Scit autem aliunde miracula non patrari in confirmationem falsae doctrinae. Unde concludit Deum adsumere potuisse naturam humanam.

2) Potest etiam ratio per media naturalia diluere argumenta haereticorum et infidelium contra incarnationem Verbi.

3) Per exempla item naturalia ratio declarat aliquantulum mysteria fidei. Unde in symbolo *S. Athanasii* et in theologia catholica fiunt comparationes ex rebus naturalibus ad illustrandum factum incarnationis, animadvertendo semper, juxta monita theologorum, mysterium non inniti his comparationibus, sed tantum illustrari, post quam fide creditum est.

ARTICULUS III

UTRUM CONVENIENS FUERIT VERBUM INCARNARI

576. Status quaestionis. Oportet hic investigare, an incarnatio Verbi fuerit 1) in se *opus decens;* 2) in ordine ad finem *opus homini utile;* 3) quoad circumstantias *opus conveniens.*

[1] *III p.*, q. 16, a. 6 ad 2.
[2] *Coloss.*, 1, 26.
[3] **Denz-Bannw.**, 282.

577. Errores. 1) S. Paulus ajebat: *Praedicamus Christum crucifixum, judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [1].

2) Quidam haeretici putabant mysterium incarnationis fuisse rem in se vilem et majestati omnipotentis Dei indignam [2].

3) Aliqui catholici cum *Lessio* putaverunt incarnationem includere «humiliationem et exinanitionem divinitatis», et non fuisse factam nisi «cum quadam... injuria illius majestatis»; atque nullatenus fuisse per se expetendam nec per se convenientem; sed redditam fuisse convenientem eo fine, ut nos a peccato redimeret [3].

578. THESIS I. **Incarnatio Verbi fuit absolute et in se conveniens seu opus summe decens.**

Arg. 1) Deus, cujus essentia dicitur bonitas, est summe bonus. Summo autem bono convenit summo modo communicari. Sed incarnatio, per quam Deus se ipsum communicat creaturae, est summa communicatio. Ergo Deo ratione bonitatis convenit incarnari. Deus in creatione communicavit homini esse, in sanctificatione gratiam, in glorificatione visionem sui, et in incarnatione se ipsum [4].

2) Admodum convenit Deo perfectiones suas splendide creaturis manifestare. Sed per incarnationem Verbi perfectiones Dei dilucide creaturis manifestantur. Ergo. «Per incarnationis mysterium, ait *S. Thomas*, monstratur simul bonitas et sapientia, justitia et potentia Dei vel virtus. *Bonitas* quidem, quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem. *Justitia* vero, quoniam, homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, nec vi eripuit ex morte hominem. *Sapientia* vero, quoniam invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem. *Potentia* vero, sive virtus infinita, quoniam nihil est majus, quam Deum fieri hominem» [5].

579. Corollarium. 1) Haec Verbi communicatio dicitur conveniens, non quatenus opponitur ad inconveniens, sed quatenus est in se congrua, ac divinam majestatem decet.

2) Filius in incarnatione semetipsum exinanivit, ut ait Apostolus [6], quia in forma servi apparuit, non in quantum divinitas Verbi diminuta fuit vel mutata. In natura humana dedit exempla humilitatis, in natura divina revelavit splendorem majestatis.

580. THESIS II. **Incarnatio Verbi est homini conveniens multiplici ratione.**

Arg. 1) Natura humana per incarnationem Verbi elevata est ad dignitatem et excellentiam extraordinariam, ad unionem scilicet natu-

[1] *I Cor.* 1, 23.
[2] Cfr. **Origenes,** *Contra Celsum*, lib. 3, nn. 41-42; MG **11,** 972-975; **S. Anselmus,** *Cur Deus homo*, lib. 1, c. 3; ML **158,** 364; **S. Thomas,** *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 53.
[3] **Lessius,** *De praedestinatione Christi*, n. 13.
[4] Cfr. **Cajetanus,** *In III p.*, q. 1, a. 1. Haec ratio non demonstrat quidem omnimodam hujus mysterii possibilitatem, quia summa Dei communicatio satis salvatur in divinis, sed probat, ut recte dicunt **Salmanticenses,** *De incarnat.*, q. 1, a. 1, *comment.*, n. 2, incarnationem absolute et per se convenire Deo, id est, non dedecere Deum.
[5] *III p.*, q. 1, a. 1, *Sed contra.* Cfr. **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 1, sect. 2.
[6] *Philipp.*, 2, 7.

http://www.obrascatolicas.com

rae divinae. Hoc autem est summe conveniens homini. Unde *S. Leo:* «Agnosce, o christiane, dignitatem tuam; et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire» [1].

2) Natura humana per incarnationem Verbi reparata est a debito peccati, et devoluta ad pristinam salutem. Tunc *misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt* [2].—*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* [3]. Unde *S. Augustinus:* «Verum etiam ut ostendam... sanandae miseriae nostrae convenientiorem alium modum non fuisse, nec esse oportuisse» [4].

3) Homo lapsus per incarnationem Verbi promovetur ad bonum supernaturale et removetur a malo. Ergo incarnatio Verbi est homini conveniens. a) *Homo lapsus promovetur ad bonum,* quia ejus «fides certificatur, spes roboratur, caritas excitatur... ad operandum instituitur et ad participationem divinitatis evehitur» [5]. b) *Homo lapsus removetur a malo,* «quia per incarnationem liberatur a subjectione diaboli, a dejectione propria, a praesumptione, a superbia et tandem a servitute peccati» [6].

4) Christus Dominus obtulit Deo Patri condignam satisfactionem pro peccatis hominum. Ergo conveniens fuit homini incarnatio Verbi. «Pertinebat etiam, ait *S. Augustinus,* ad justitiam bonitatemque Creatoris, ut per eamdem rationalem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat» [7]. Et Ecclesia canit: «Unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur» [8]. Imo «sunt et aliae plurimae utilitates, quae consecutae sunt (incarnationem) supra apprehensionem sensus humani» [9].

581. THESIS III. **Incarnatio Verbi fuit conveniens ex parte circumstantiarum.**

Prima incarnationis circumstantia fuit solum Filium, non Patrem nec Spiritum Sanctum, fuisse incarnatum. Nemo autem negaverit hoc factum esse congruenter, quia, ut ait *S. Bonaventura,* «mediatoris est esse medium inter homines et Deum, ad reducendum hominem ad divinam cognitionem, ad divinam conformitatem et ad divinam filiationem. Nullum autem magis decet esse medium, quam personam, quae producit et producitur, quae est media trium personarum; nullumque magis decet reducere hominem ad divinam cognitionem, quam Verbum, quo se Pater declarat, quod est unibile carni, sicut et verbum voci; nullum etiam magis decet reducere ad divinam conformitatem quam eum, qui est

1 *Sermo de Nativit.,* I, c. 3; ML **54,** 192.
2 *Ps.* 84, 11.
3 *Joan.,* 3, 16.
4 *De Trinitate,* lib. 13, c. 10; ML **42,** 1024.
5 **Salmant.,** *De incarnat.,* q. 1, a. 2, *comment.,* n. 3.
6 **Salmant.,** *De incarnat.* q. 1, a. 2, *comment.,* n. 3.
7 *De Trinitate,* lib. 13, c. 17; ML **42,** 1032.
8 Praef. de cruce.
9 **S. Thomas,** *III p.,* q. 1, a. 2.

imago Patris; nullum magis decet ad filiationem adoptivam reducere quam Filium naturalem; ac per hoc nullum magis decet fieri filium hominis, quam ipsum Filium Dei» [1].

Secunda circumstantia incarnationis refertur ad tempus, quo peracta est.—Et quantum ad hoc congruebat Verbum Dei incarnari:

1) *Non ante peccatum hominis,* quia Filius hominis venit *salvare quod perierat* [2], et homo ante peccatum nondum perierat.

2) *Nec statim post peccatum,* quia, homo qui superbia peccaverat, debuit propriam infirmitatem experiri, «ut humiliatus recognosceret se liberatore indigere» [3].

3) *Neque in fine mundi,* quia Filius Dei «venit, quando et subveniri debere scivit et gratum futurum beneficium... ut, data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos justificatos offerret. Si autem hoc medium differretur usque in finem mundi, totaliter Dei notitia, et reverentia et morum honestas, abolita fuisset in terris» [4], et incarnatio inutilis evasisset.

4) *Sed post aliquod tempus a creatione et ante finem mundi,* ut aliquos per fidem Christi venturi, alios vero per fidem praesentis et praeteriti salvaret. Unde Habacuc ait: *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies* [5].

ARTICULUS IV

UTRUM INCARNATIO VERBI FUERIT NECESSARIA

582. Status quaestionis. 1) Necessarium, ut alibi diximus [6], potest esse *absolutum* vel *hypotheticum. Absolutum* dicitur, quod in sua essentia includit rationem necessitatis, ut necessarium est Deum esse. *Hypotheticum* dicitur, quod est necessarium pro aliquo fine obtinendo; et potest esse necessarium *simpliciter* vel *secundum quid.* Necessarium *simpliciter* est id, sine quo finis obtineri non potest, ut cibus est necessarius ad conservationem vitae. Necessarium *secundum quid* est id, sine quo finis obtineri potest, sed non ita facile, ut equus ad iter faciendum.

2) Incarnationem Verbi esse necessariam *secundum quid,* ad reparationem generis humani, constat ex dictis articulo praecedenti. Necessarium enim *secundum quid* non est nisi ad melius esse seu valde conveniens.

3) Quaeritur hic, an Verbi incarnatio fuerit necessaria a) *absolute* et *secundum se* propter suam bonitatem; vel b) *simpliciter* sub aliqua hypothesi ad determinatum finem obtinendum.

1 *Brevil.,* 4, 2. Haec ratio innuitur in professione fidei, quam Durandus de Osca et socii ejus Waldenses ex praescripto Sedis Apostolicae subscripserunt his verbis: «Ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis filius, homo verus ex matre». **Denz-Bannw.,** 422.
2 *Matth.,* 18, 11.
3 **S. Thomas,** *III p.,* q. 1, a. 5.
4 **S. Thomas,** *III p.,* q. 1, a. 6.
5 *Habac.,* 3, 2. Cfr. **A. Van Hoonacker,** *Les douze petits Prophètes,* in Habaquq, 3, 2.
6 *Theol. fund.,* n. 12.

http://www.obrascatolicas.com

583. THESIS I. **Verbi incarnatio non fuit absolute seu secundum se necessaria.**

Arg. 1) Incarnatio Verbi supponit hominis creationem. Creatio autem hominis fuit actus Dei liber. Ergo etiam incarnatio Verbi fuit actus Dei liber.

2) Incarnatio Verbi est opus caritatis et misericordiae. Sed opera caritatis et misericordiae sunt libera, non absolute necessaria. Ergo.

3) Si incarnatio Verbi fuisset absolute et secundum se necessaria, Filius Dei non fuisset incarnatus propter nos sed propter bonitatem intrinsecam operis incarnationis [1]. Sed Filius Dei «propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est» [2]. Ergo.

584. THESIS II. **Incarnatio Verbi non fuit necessaria in hypothesi sive 1) creationis, sive 2) elevationis hominis ad ordinem supernaturalem, sive 3) lapsus hominis, sive 4) reparationis ejusdem; bene tamen 5) in hypothesi reparationis hominis per viam condignae satisfactionis.**

Nota. Incarnationis necessitas hypothetica *simpliciter* considerari potest multiplici ex capite juxta suppositiones, quae fieri possunt in ordine ad consecutionem finis. Unde quaeri potest, an incarnatio Verbi fuerit necessaria: 1) ad perfectionem mundi, supposita rerum creatione; 2) ad communicandas generi humano gratias supernaturales, supposita hominis elevatione ad ordinem supernaturalem; 3) ad salvandum genus humanum, supposito hominis lapsu; 4) ad reparandum genus humanum, supposita in Deo voluntate reparationis; 5) ad offerendum Deo condignam satisfactionem pro peccato, in hypothesi solvendi Deo totum debitum.

Pars 1.ª Incarnatio Verbi non fuit simpliciter necessaria ad perfectionem mundi, supposita rerum creatione.

Est contra *Raymundum Lullium* [3] et *Mallebranchium* [4], qui voluerunt Deum libere quidem mundum creasse, sed supposito suo creationis decreto, debuisse perficere mundum opere incarnationis Verbi. Et etiam contra *Ruiz de Montoya*, qui dicit Deum ex naturali quadam bonitate moraliter obligatum fuisse ad perficiendum mundum Verbi incarnatione.

Arg. 1) Deus non tenetur creare mundum omnibus numeris absolutum et perfectum, quia, cum sit omnino liber, potest in suis operationibus eligere objectum de se minus perfectum. Ergo non tenebatur perficere mundum opere incarnationis. Deus, inquit *Lugo*, «volendo oppositum objectum, licet de se minus perfectum, eo ipso habet actum aeque honestum et perfectum moraliter, ac si vellet objectum honestius» [5].

2) Deus in incarnatione non se sed alia perfecit, se ipsum communicando. Alia autem perficere sine proprio commodo est opus omnino liberum. Ergo. «Deus, inquit *Angelicus*, non vult alicui suam bonitatem communicare ad hoc, ut sibi exinde aliquid accrescat; sed quia ipsum

1 Cfr. **Hurter,** *De Verbo incarnato*, n. 451.
2 *Symbolum Nic-Cpolitanum;* **Denz-Bannw.,** 86.
3 Apud **Vazquez,** *In III p.*, disp. 1, c. 2, n. 10.
4 *Réchérches sur la verité.*
5 *De incarnatione*, disp. 2, n. 65.

communicare est sibi conveniens sicut fonti bonitatis. Dare autem non propter aliquod commodum ex datione exspectatum, sed propter ipsam bonitatem et convenientiam dationis est actus liberalitatis, ut patet per Philosophum in 4 Ethic. Deus igitur est maxime liberalis» [1].

Pars 2.ª In supposito elevationis hominis ad ordinem supernaturalem incarnatio Verbi non fuit simpliciter necessaria ad communicandas gratias hominibus.

In statu elevationis ad ordinem supernaturalem ante peccatum homo erat praeditus gratia sanctificante, ac idcirco capax merendi ulteriores gratias et adipiscendi gloriam aeternam independenter ab incarnatione Verbi. Ergo in hac suppositione incarnatio Verbi non fuit simpliciter necessaria ad communicandas gratias hominibus.

Pars 3.ª In supposito lapsus hominis

poterat Deus citra injustitiam relinquere eum in massa perditionis, sicut reliquit angelos peccantes. Unde *S. Augustinus* ait: «Universa igitur massa poenas debet, et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste proculdubio redderetur» [2].

Pars 4.ª In hypothesi reparationis generis humani non fuit incarnatio Verbi simpliciter necessaria.

Aliqui theologi censuerunt in hac hypothesi incarnationem fuisse simpliciter necessariam, attento jure Dei ordinario, quia non erat remedium quod congruentur eligeret Deus ad reparandum hominem. Ita **Tournely,** *De incarnatione*, q. 4, concl. 4, et alii. Sed oppositum est certum et commune, ut ait **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 2, sect. 1, n. 3.

Arg. Nihil impedit, quominus Deus liberaliter condonet homini culpam commissam, et ita salvet genus humanum. Ad rem *S. Athanasius:* «Sine ullo ejus (Filii) adventu poterat Deus tantummodo dicere atque ita solvere maledictionem. Verum attendere oportet, quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus» [3]. Et *S. Thomas:* «Ex parte Dei fuit alius modus possibilis nostrae liberationis, quia ejus potentia limitata non est, quem si elegisset, convenientissimus fuisset. Non tamen habuisset rationem redemptionis sed liberationis tantum; quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretii» [4].

1 *Contra Gent.*, lib. 1, c. 93.
2 *De natura et gratia*, c. 5, n. 5; ML **44,** 250.
S. Anselmus, *Cur Deus homo*, lib. 1, c. 4 (ML **158,** 365); lib. 1, c. 25 (ML **158,** 399); et lib. 2, c. 12 (ML **158,** 412); et **Richardus a S. Victore,** *De Verbi incarnatione*, c. 8 (ML **196,** 1004), docuerunt peccatum citra Verbi incarnationem a nemine potuisse solvi, ac indignum Deo fore, ut homo ad gloriam Dei creatus periret fraude daemonis. Hinc innuerunt in hypothesi lapsus hominis incarnationem Verbi fuisse simpliciter necessariam. **Salmanticenses,** *De incarnatione*, q. 1, a. 1. *Comment.*, nn. 1-2, dicunt **S. Anselmum** et alios locutos fuisse de necessitate consequente electionem et decretum incarnationis.
3 *Adv. arianos*, orat. 2, n. 68; MG **26,** 292.
4 *In III Sent.*, dist. 20, q. 1, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

Nec refert, si dicas Deum non posse derogare legibus suae justitiae, quae exigunt perfectam satisfactionem, nec proinde condonare peccata, quae merentur poenam; quia non est contra justitiam condonare vel remittere debita, sicut non est contra justitiam dona indebita alicui liberaliter conferre.

Pars 5.ª In hypothesi liberationis hominis per viam condignae satisfactionis, incarnatio Verbi fuit simpliciter necessaria, adeo ut homo purus nequiverit condigne satisfacere justitiae divinae pro offensa peccati mortalis.

Nota. Pro solutione hujus gravissimae difficultatis, quaedam sunt animadvertenda.

1) *Omne peccatum mortale est injustitia contra Deum*, ut expresse defendunt *Alvarez, Suarez, Joannes a S. Thoma, Laurentius a S. Theresia, Salmanticenses* et alii [1], contra *Vazquez* et *Becanum* [2], qui dicunt peccatum non esse injustitiam sed violationem tantum praeceptorum Dei.

Ratio verae sententiae est, quia omne peccatum mortale est offensa Dei. Offensa autem violat jus offensi. Ergo peccatum mortale est injustitia contra Deum.

2) *Peccatum mortale* a) *non habet malitiam simpliciter infinitam*, quia malitia peccati mortalis est deordinata conversio ad creaturam, quae est quid finitum; neque b) *importat demeritum simpliciter infinitum* seu condignitatem ad poenam simpliciter infinitam, ut doctores multo communius tenent contra *Godoy* et *Gonet* [3]. Quia omnis poena tum sensus tum damni peccato debita, quae respective in afflictione positiva et privatione visionis beatificae consistit, finita est; neque c) ipsa offensa Dei active sumpta, ut egrediens ab homine, est simpliciter infinita, quia est ratio intrinsece in peccato exsistens, et ut talis finita.

3) Attamen offensa passiva Dei, quam importat peccatum mortale, et afficit laeditque ipsum Deum, objectum infinitum, est *simpliciter* infinita in morali et prudenti aestimatione [4]. Ratio est, quia offensa, cum afficiat personam, eo magis crescit et fit gravior, quo dignior fuerit persona offensa vel injuriata. Peccatum autem offendit ac laedit seu dehonorat Deum, dignitatem simpliciter infinitam. Ergo offensa passiva Dei, quam irrogat peccatum mortale, est simpliciter infinita [1].

4) Nomine puri hominis intelligitur homo, in oppositione ad hominem Deum, id est, homo persona creata, sive sit in suis viribus naturalibus, sive sit auctus gratia sanctificante et caritate. Peccati autem mortalis vocabulo venit omne peccatum grave sive originale fuerit sive personale, tam proprium quam alienum.

5) Satisfactio definitur: *Redditio voluntaria debiti ad aequalitatem.* Haec aequalitas seu aequivalentia attenditur ex duplici capite: a) *ex parte materiae*, quando pretium, quod redditur, aequivalet debito, id est, tantum datur quantum debetur, et vocatur *condigna satisfactio;* b) *ex parte formae* et conditionum, quas requirit justitiae rigor; nempe: *a)* ut redditio fiat ad alterum; *b)* ut solutio fiat ex bonis propriis, alio titulo non debitis; et sub dominio creditoris non contentis; *c)* ut creditor teneatur satisfactionem acceptare. Satisfactio habens aequalitatem ex parte formae vocatur *ex toto rigore justitiae.*

Notum est purum hominem non posse satisfacere Deo ex toto rigore justitiae, quia quidquid homo possidet, Deo debet pluribus titulis.

Unde sensus hujus partis theseos est hominem purum, quantumvis gratia et caritate refertum, non posse offerre Deo satisfactionem condignam pro peccato mortali, sed ad hoc requiri hominem, qui simul sit Deus et homo. Est communis.

Arg. 1) *S. Augustinus:* «Neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, nisi esset Deus» [2]. *S. Leo:* «Nisi enim (Christus) esset Deus verus, non afferret remedium» [3].

2) *Ex ratione.* Ad condignam satisfactionem requiritur, ut valor operis satisfactorii adaequet gravitatem offensae, quam importat peccatum mortale. Sed valor satisfactorius operum puri hominis, utpote finitus, non adaequat gravitatem offensae peccati mortalis, quae est simpliciter infinita. Ergo. Ad rem *S. Thomas:* «Peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae majesta-

---

[1] **Alvarez,** *De incarnat.*, disp. 4; **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 4, sect. 7, n. 36; **Joannes a S. Thoma,** *De incarnat.*, disp. 1, a. 2, n. 3; **Laurentius a S. Theresia,** *Spicilegium theol.*, t. 5, controv. 4, § 1; **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 1, a. 1.

[2] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 2, c. 3; **Becanus,** *De incarnat.*, c. 15.

[3] **Godoy,** disp. 1, § 2, n. 28; **Gonet,** *De peccatis*, disp. 9, a. 7, § 3.

[4] Hanc doctrinam defendunt **S. Thomas,** *De veritate*, q. 28, a. 2; **Alensis,** *III p.*, q. 1, memb. 6, a. 2; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 20, q. 3; **Laurentius a S. Theresia,** *Spicilegium theol.*, t. 5, controv. 4, n. 28; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 1, n. 33; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnationis*, disp. 2, dub. 2.

E contra offensam passivam Dei esse infinitam secundum quid defendunt **Soto,** *De natura et gratia*, lib. 3, c. 6, concl. 3; **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 4, sect. 7, n. 19; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 2, c. 2; et **Lugo,** *De mysterio incarnationis*, disp. 5, sect. 3.

[1] Ex hac doctrina colligere contendunt aliqui theologi omnia peccata mortalia esse aequalia, non quidem quatenus dicunt conversionem ad objectum, sed quatenus considerantur formalissime in ratione offensae, quia important injuriam simpliciter infinitam, quae non admittit magis et minus, et privant Deum jure divino ac supremo dominio in creaturas. Ita **Alvarez,** *De incarnatione*, disp. 3, in resp. ad 4; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnationis*, disp. 2, dub. 2 ad 2.

Sed alii melius rejiciunt hanc consequentiam dicentes peccata mortalia posse esse inaequalia etiam in ratione offensae, quamvis offensa sit in eis simpliciter infinita. Quia, ut **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 1, n. 89, optime explicant, dupliciter intelligi potest unum infinitum excedere aliud: *Uno modo* quantitative seu secundum magnitudinem, multitudinem ac partes, et hoc sensu pronum est unum infinitum non excedere aliud, cum utrumque careat terminis: *alio modo* qualitative seu secundum valorem, dignitatem ac gravitatem, et hoc pacto nihil obstat, quominus unum infinitum sit majus alio, sicut «operationes creatae Christi... sunt infinitae simpliciter in valore, et tamen operationes Dei increatae sunt majores secundum qualitatem seu dignitatem, hoc est, meliores et altioris aestimationis». **Salmant.,** *De incarnat.*, disp. 1, n. 89. Ita **Joannes a S. Thoma,** *De incarnatione*, disp. 1, a. 2; **Laurentius a S. Theresia,** *Spicil. theol.*, t. 5, controv. 4, n. 43.

[2] *Enchirid.*, c. 108; ML **40**, 282.

[3] *Serm. 21 de Nativ.*, c. 2; ML **54**, 192.

http://www.obrascatolicas.com

tis. Tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote et Dei et hominis exsistens»[1].

Aliqui doctores volunt clausulam «quamdam infinitatem», qua usus est *S. Thomas*, significare infinitatem secundum quid et objectivam, et vim argumenti in hoc consistere, quod longe gravius sit Deoque magis injuriosum a creatura per peccatum mortale offendi, quam honorificum sit creaturam deinde per poenitentiam ipsi subjici. Alii e contra dicunt per clausulam «quamdam infinitatem» in textu *Angelici* non negari gravitatem simpliciter infinitam, sed hanc limitationem adhiberi, quia gravitas peccati mortalis non est omnibus modis infinita, sed in ratione tantum offensae passivae[2].

585. Scholion I. Potest homo purus gratia supernaturali auctus satisfacere Deo imperfecte seu de congruo pro peccato mortali proprio vel alieno. Ita doctores longe communius. Ratio est, quia potest homo facere poenitentiam pro peccato. Poenitentia autem, utpote pars justitiae, ordinatur primario ad satisfaciendum pro culpa, quae est offensa Dei[3].

Scholion II. Communiter admittunt theologi contra *Petrum de Soto*[4] posse hominem purum satisfacere Deo ad aequalitatem pro peccatis venialibus. Quia cum peccatum veniale sit levis offensa Dei nec tollat amicitiam inter hominem et Deum, non importat gravitatem simpliciter infinitam. Sed homo purus potest elicere actum satisfactorium, cujus valor adaequet offensam levem. Ergo.

ARTICULUS V

UTRUM DE FACTO VERBUM DEI INCARNATUM FUERIT

586. Errores. Factum incarnationis Verbi Dei negant

1) *Judaei*, qui contendunt nondum advenisse tempus in lege praenuntiatum pro adventu Messiae.

2) *Increduli, rationalistae, modernistae*, et quotquot hodie divinitatem Christi negare vel torvis interpretationibus a vero sensu detorquere contendunt, dicentes nomen *Filius Dei* non significare in Scripturis Christum esse verum ac naturalem Dei Filium[5].

587. THESIS. **Dogma catholicum est Verbum Dei fuisse incarnatum, et Christum esse verum Deum.**

Veritas hujus theseos constat ex his, quae fuse diseruimus in *Theologia fundamentali*, q. 11. Quod ad praesens attinet, sufficiant argumenta, quae in praefato loco late expendimus, per summa capita referre.

---

1 *III p.*, q. 1, a. 2 ad 2.
2 Cfr. **Salmant.**, *De incarnat.*, disp. 1, nn. 34 et 122.
3 Cfr. **S. Thomas**, *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a 1, quaestiunc. 1; **Ferrariensis**, *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 54; **Laurentius a S. Theresia**, *Spicil. theol.*, t. 5, controv. 4, n. 70.
4 Apud **Laurentium a S. Theresia**, *Spicil. theol.*, t. 5, controv. 4, n. 99.
5 Cfr. Decr. *Lamentabili*, prop. 30; **Denz-Bannw.**, 2030.

Arg. 1) Plura Veteris Testamenti vaticinia de Messia impleta sunt in Christo[1]. Hujusmodi sunt prophetiae *Jacob*[2], *Malachiae*[3], *Aggaei*[4], *Danielis*[5], etc. Messias autem in lege promissus debuit esse verus Dei Filius, ut patet ex prophetia Isaiae: *Parvulus natus est nobis... Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis*[6]. Ergo.

2) Sanctitas et doctrina Christi fuerunt adeo insignes, ut divinitatem ejus certo demonstrent. Constat autem ex Evangeliis Christum fuisse verum hominem. Ergo Christus fuit simul Deus et homo.

3) Christus saepe fassus est se esse Deum et hominem. Ergo.

1) **Fassus est se esse Deum:** a) Cum approbavit Petri dictum: *Tu es Christus Filius Dei vivi*[7].

b) Cum adseruit mulieri samaritanae: *Ego sum* (Messias) *qui loquor tecum*[8].

c) Cum palam professus est identitatem suae operationis[9], naturae[10] et testimonii[11] cum Patre.

d) Cum Pilato interroganti: *Tu es Christus Filius Dei?* Respondit: *Tu dixisti*[12].

2) **Fassus est se esse hominem:** a) Quando natus est ex Maria Virgine[13].

b) Quando diserte ait: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*[14].

4) Christus Dominus non semel patravit miracula, ut ostenderet se esse Filium Dei missum a Deo. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam: Et surrexit et abiit in domum suam*[15]. Miracula autem non fiunt in confirmationem erroris. Ergo.

5) *Ex traditione universali.* Traditio constans et universalis, quae continetur in operibus SS. Patrum, in definitionibus Ecclesiae, in historiis ecclesiasticis et profanis, in consensu populi christiani, in monumentis archaeologicis, etc., diserte docet incarnationem Filii Dei jam olim fuisse peractam.

---

1 *Theol. fund.*, n. 249 sqq.
2 *Gen.*, 49, 10.
3 *Malach.*, 3, 1.
4 *Agg.*, 2, 7-10.
5 *Dan.*, 9, 24-27.
6 *Is.*, 9, 6.
7 *Matth.*, 16, 13-18.
8 *Joan.*, 4, 26.
9 *Joan.*, 5, 17-20.
10 *Joan.*, 10, 28-38.
11 *Joan.*, 8, 14-19.
12 *Matth.*, 26, 63-64.
13 *Luc.*, 2, 7.
14 *Luc.*, 24, 39.
15 *Matth.*, 9, 6.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS VI

DE MOTIVO INCARNATIONIS VERBI DEI

588. Status quaestionis. 1) Certum est Filium Dei potuisse incarnari, peccato non exsistente, sicut potuit incarnari solo peccato originali vel solis peccatis personalibus exsistentibus. Nihil enim prohibebat, quominus Deus decerneret adventum Verbi in mundum propter solam bonitatem seu excellentiam incarnationis. Hic non loquimur de eo, quod fieri potuit in alio rerum ordine, sed de motivo incarnationis *vi praesentis decreti*.

2) Constat ex S. Scriptura et traditione christiana finem incarnationis Verbi fuisse de facto redemptionem generis humani, juxta illud symboli nic-cpolitani: *Propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis* [1]. Imo compertum est Deum habuisse de facto alios fines, ut gloriam suam, dignitatem hominis, etc., in decernenda Filii sui incarnatione. Sed quaestio est, an redemptio generis humani fuerit finis adeo principalis et motivus incarnationis, ut, peccato Adami non exsistente, in praesenti providentia et vi praesentis decreti Verbum Dei incarnatum fuisset; vel, quod idem est, an praesens decretum de Verbi incarnatione datum fuerit ob aliud motivum quam ob redemptionem generis humani.

589. Theologorum placita. 1) Plures theologi docuerunt motivum Verbi incarnandi non solum fuisse redemptionem generis humani sed etiam aliud bonum, et ideo, Adamo non peccante, Filium Dei incarnatum iri. Ita *Rupertus, Alensis, S. Albertus Magnus, Scotus, Suarez, S. Franciscus de Sales,* omnes scotistae, aliique non pauci [2].

2) Alii tenent decretum de Verbi incarnatione fuisse a Deo datum pro sola redemptione generis humani, et idcirco, Adamo non peccante, Verbum Dei nunquam incarnatum iri. Sic *S. Thomas, Capreolus, Ferrariensis, Cajetanus, Lessius, Vazquez, Valentia, Lugo, Laurentius a S. Theresia, Philippus a SS. Trinitate, Raynaudus, Salmanticenses* et alii plures [3].

---

[1] **Denz-Bannw.**, 86.

[2] **Rupertus,** super *Matth.*, lib. 13; ML **168,** 1628; **Alensis,** *III p.*, q. 2, m. 13; **S. Albertus M.,** *In III Sent.*, dist. 20, a. 4; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 7, q. 3, nn. 3-4; **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 5, sect. 2 sqq.; **S. Franciscus de Sales,** *De l'Amour de Dieu*, liv. 2, ch. 4-5; et recentius **P. Chrysostomus,** *Le motif de l'Incarnation*, première et deuxième partie.

[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 1, a. 3; **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. un., a. 1, concl. 1; **Ferrariensis,** *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 55, § «Circa praedicta aliud debium»; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 1, a. 3; **Lessius,** *De praedestinatione Christi*, sect. 1; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 10, c. 4; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 1, puncto 7; **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 7, sect. 1; **Laurentius a S. Th.,** *Spicil. theol.*, t. 5, controv. 7; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnationis*, disp. 1, dub. 6; **Raynaudus,** *De Christo*, lib. 3, sect. 1, c. 4, n. 117; **Salmant.,** *De incarnat.*, disp. 2, n. 8 sqq.

590. THESIS. **Motivum incarnationis Verbi fuit de facto redemptio generis humani, et consequenter vi praesentis decreti, Adamo non peccante, Filius Dei non fuisset incarnatus.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Legimus in sacris litteris: *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat* [1].—*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* [2].—*Misit Deus Filium suum... ut eos, qui sub lege erant, redimeret* [3].—*Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* [4]. In his et aliis Scripturae locis ratio incarnationis Verbi ex peccato primi hominis et ex redemptione generis humani petitur.

2) *Ex SS. Patribus. S. Irenaeus:* «Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset» [5]. *S. Athanasius:* «Illi enim (Verbo) facto homini antecedit hominum necessitas, sine qua carnem minime induisset» [6]. *S. Joannes Chrysostomus:* «Propterea carnem nostram suscepit propter benignitatem solum et clementiam, ut nostri misereretur. Non est enim alia incarnationis causa, quam haec sola» [7]. *S. Augustinus:* «Si homo non periisset, Filius hominis non venisset» [8]. *S. Gregorius M.:* «Nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret» [9].

3) *Ex ratione.* Rationem nostrae opinionis adsignat *S. Bonaventura* his verbis: «Plus excitat devotionem animae fidelis, quod Deus sit incarnatus ad delenda scelera sua quam propter consummanda opera inchoata» [10].

Ex his clare sequitur Verbum Dei, Adamo non peccante, nunquam incarnatum iri.

591. Scholion. *Gravis difficultas.* Contra hanc doctrinam opponitur sequens objectio non dissimulanda.

Christus fuit primo intentus a Deo per modum finis, caetera vero, quatenus ordinantur ad ipsum tanquam ad finem. Est enim *primogenitus omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* [11]. Finis autem in Deo praecedit ea, quae sunt ad finem. Ergo Christus praecedit aliorum futuritionem, et volitus est a Deo propter suam excellentiam et bonitatem non propter remedium generis humani. Consequenter, Adamo non peccante, Filius Dei incarnatus fuisset.

Resp. Haec difficultas non parum torquet theologorum ingenia.

1) *Biel* [12] ab hac difficultate se expedire putavit dicendo omnia fuisse a Deo simul definita absque ullo ordine prioris et posterioris.

---

[1] *Luc.*, 19, 10.

[2] *Joan.*, 3, 16.

[3] *Gal.*, 4, 4-5.

[4] *I Tim.*, 1, 15.

[5] *Adv. haer.*, lib. 5, c. 14, n. 1; MG **7,** 1161.

[6] *Orat. 2 contra Arian.*, n. 54; MG **26,** 261.

[7] *Hom. 5 in ep. ad Hebr.*, b. 1; MG **63,** 47.

[8] *Serm. 174 de verbis Ap.*, c. 2, n. 2; ML **38,** 940.

[9] *Comm. in lib. I Reg.*, lib. 4, c. 1, n. 7; ML **79,** 222.

[10] *In III Sent.*, dist. 1, a. 2, q. 2 *quarto.*

[11] *Colos.*, 1, 15 sqq.

[12] *In III Sent.*, dist. 2, q. un., a. 3, dub. 3 ad 3 rationem Scoti.

http://www.obrascatolicas.com

Sed hoc non solvit sed fugit difficultatem. Sicut enim unum decretum in Deo est ratio alterius, ut decretum salvandi Petrum est ratio decreti conferendi ei gratiam, ita prius et posterius dicuntur in decretis divinis. Prius prioritate ordinis decernitur finis, deinde ea, quae sunt ad finem, non quod prioritas se habeat ex parte decretorum Dei, sed quatenus objecta habent in se mutuam dependentiam, et causa in quolibet genere praecedit effectum, ac finis est prius volitus quam ea, quae sunt ad finem.

2) Aliqui negant absolute Christum fuisse prius volitum et intentum a Deo; et dicunt decretum incarnationis supponere permissionem et futuritionem peccati. Audiatur *Cajetanus:* «Si perspicacius tres, qui de facto in universo inveniuntur, ordines consideraverimus, videlicet, ordinem naturae, ordinem gratiae, et ordinem Dei et creaturae; simul videbimus, quod secundus supponit primum, et tertius praesupponit utrumque: et similiter praeordinatio et praevisio primi praesupponitur a praeordinatione et praevisione secundi; et similiter praeordinatio et praevisio tertii praesupponit praeordinationem et praevisionem utriusque. Ita quod Deus primo ordinavit universum secundum ordinem naturae: et quoniam universum secundum talem ordinem non attingit ad fruitionem divinam: superaddidit ordinem gratiae; et quoniam talis ordo non pertingit ad unionem summo modo possibilem cum Deo, praeordinavit creaturam ad unionem personalem cum Deo. Quodcirca, cum peccata pertineant partim ad ordinem naturae; et partim ad ordinem gratiae, ut opposita illi, consequens est, quod praedestinatio Jesu Christi, ut sit Filius Dei, praesupponat praevisionem futurorum peccatorum, utpote spectantium ad praesuppositos ordines in ordine causae materialis» [1].

Qui hoc admittunt principium, facile solvunt difficultatem, negando majorem, et concludendo Verbum Dei incarnatum fuisse principaliter ad redimendum genus humanum.

Ordinem inter signa rationis hoc pacto in Deo disponunt: «1.° Deus se et omnia possibilia in essentia sua intelligens, voluit gloriam suam per effusionem suae bonitatis suorumque attributorum manifestare. 2.° Ad talem gloriam propalandam hunc mundum ex multis possibilibus elegit. 3.° Creaturam intellectualem ad ordinem supernaturalem evehere constituit. 4.° Inscrutabili judiciorum abysso ejus lapsum permittere voluit. 5.° Ad tale remedium Filium suum incarnari decrevit. 6.° In Christo quosdam efficaciter elegit, aliis in massa perditionis relictis. 7.° Omnia in signis prioribus decreta Christo subjecit et ad ejus gloriam ordinavit» [2]. Ita *Cajetanus, Alvarez, Cornejo, Joannes a S. Thoma* et alii [3].

Haec explicatio est valde probabilis et plene satisfacit difficultati.

3) *Alii multo communius* contendunt Christum fuisse a Deo primo volitum et intentum, ut finem omnium, et nihilominus incarnatum fuisse ad redimendum genus humanum.

Ad solutionem autem difficultatis in hac via, sedulo distinguenda est causa materialis a causa finali; et in genere causae finalis aliud est finis *cui*, et aliud finis *cujus gratia*. Duo vel plura objecta possunt habere mutuam inter se dependentiam et unum esse prius vel posterius altero in diverso genere causarum. Sic materia est prior in genere causae materialis et forma in genere causae formalis. Homo est finis *cui* beatitudinis, et beatitudo finis *cujus gratia* hominis.

In decreto igitur Dei respectu permissionis peccati et incarnationis Christi, prius et posterius quatenus significant ordinem rationis, non se habent ex parte actuum Dei sed ex parte objectorum, quae volita sunt cum mutua dependentia in diverso genere causarum, quatenus Deus dicitur prius ordine decernere id, quod est ratio alterius in uno genere. Unde in

[1] *In III p.*, q. 1, a. 3.

[2] **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 3, a. 3.

[3] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 1, a. 3; **Alvarez,** *De incarnatione*, disp. 9, concl. 1 et 2; **Cornejo,** *In III p.*, q. 1, a. 3, *Tertius modus;* **Joannes a S. Thoma,** *De incarnatione*, disp. 3.

genere causae materialis prius ordine decreta est permissio peccati quam incarnatio Verbi; in genere causae finalis *cui*, prius volitum est genus humanum, quam adventus Christi; sed in genere causae finalis *cujus gratia* prius decreta est Verbi incarnatio, ad quam ordinantur omnia; adeo ut Christus sit finis *cujus gratia* permissionis peccati et redemptionis generis humani; peccatum vero materia circa quam incarnationis, qua non exsistente, non fuisset facta incarnatio.

Juxta hunc dicendi modum distinguenda est major: Christus fuit primo a Deo intentus, ut finis *cujus gratia* aliorum, **conc.;** in genere causae materialis et ut finis *cui*, **neg.**

Ita rem explicant *Capreolus, Laurentius a S. Theresia, Salmanticenses, Billot,* et alii multi [1].

Haec sententia magis mihi probatur.

592. Corollarium I. *Verbum Domini incarnatum fuit ad remedium omnium peccatorum tum originalis tum actualium.* Ita *S. Thomas* [2]. Angelus ait ad Joseph: *Ipse enim* (Jesus) *salvum faciet populum suum a peccatis eorum* [3]. Et Joannes: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi* [4].

Coroll. II. *Verbum Dei principaliter incarnatum est ad delendum peccatum originale.*

1) Motivum siquidem incarnationis Verbi fuit, ut diximus, reparatio generis humani a statu perditionis, in quo jacebat. Sed perditio generis humani venit principaliter a peccato originali. Ergo.

2) Ea est differentia inter peccatum originale et personale, ut primum directe afficiat naturam et mediante natura personam, alterum vero directe personam et mediante persona naturam. Unde peccatum originale, licet minus voluntarium et minus grave, est tamen universalius quam peccatum personale. Sed Filius Dei principalius venit ad reparandum malum universale, «quia bonum gentis divinius et eminentius est, quam bonum unius, ut dicitur *1 Ethicorum*, c. 2» [5]. Ergo.

Coroll. III. *Vi praesentis decreti Filius Dei incarnatus fuisset, exsistente solo peccato originali, non vero solis exsistentibus peccatis actualibus sine originali* [6].

Pars 1.ª

Exsistente solo peccato originali substitisset motivum principale et adaequatum incarnationis. Ergo.

Pars 2.ª

Non exsistente peccato originali, non substitisset motivum principale incarnationis. Sed decretum incarnationis nullatenus datum fuisset sine ejus motivo principali. Ergo [7].

[1] **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3; **Laurentius a S. Theresia,** *Spicilegium theol.*, t. 5, controv. 7, n. 122; **Salmant.,** *De incarnatione*, disp. 2, n. 29 sqq.; **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 3 ad 1. Contra hanc solutionem insurgit **P. Chrysostomus,** *Le motif de l'Incarnation*, première partie, a. 2, § 3. Nihilominus solutio **Salmanticensium** videtur satis firma.

[2] *III p.*, q. 1, a. 4.

[3] *Matth.*, 1, 21.

[4] *I Joan.*, 2, 2.

[5] **S. Thomas,** *III p.*, q. 1, a. 4.

[6] Ita communiter contra **Nazarium,** *In III p.*, q. 1, a. 4, controv. unica, concl. 1; et contra **Godoy,** *In III p.*, disp. 8, n. 241.

[7] Ita communiter contra **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 5, sect. 6, n. 7; et **Va-**

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO XL

DE NATURA SEU QUIDDITATE INCARNATIONIS VERBI

593. Nota. Ad intelligentiam eorum, quae in hac quaestione tractanda sunt, sedulo recolenda est notio naturae, subsistentiae et personae, quam fuse explicuimus in tractatu *De Deo trino*, n. 460 sqq.

ARTICULUS I

UTRUM UNIO VERBI CUM HUMANITATE FACTA FUERIT IN NATURA, ADEO UT IN CHRISTO FUERIT UNICA NATURA

594. Status quaestionis. Unio inter duas substantias potest esse triplex, essentialis nempe, personalis et accidentalis. 1) *Unio essentialis* seu unire essentialiter alicui, ajunt *Salmanticenses*, idem est «ac intrare ejus quidditatem per modum praedicati ad constitutionem rei» [1], ita ut terminus constitutus ex tali unione sit una natura seu essentia, ut natura hominis provenit ex unione animae et corporis. 2) *Unio personalis* «consistit in eo quod ex extremis unitis resultet una persona» [2], ita ut substantiae, quae uniuntur, constituant unum suppositum. 3) *Unio accidentalis* est, quae exsurgit ex conjunctione duarum substantiarum, retentis propriis naturis et suppositis, ut vestis et homo accidentaliter uniuntur.

De unione personali et accidentali posterius acturi, hic loquimur de unione essentiali naturarum in Christo, et quaerimus, an duae naturae, divina et humana, ita fuerint in Christo unitae, ut ex eis provenerit una natura, quidditas seu essentia.

595. Error. Eutyches, celebris cujusdam monasterii cpolitani archimandrita, excessivo contra Nestorium zelo ductus, intrepide praedicavit in Christo non fuisse nisi unam naturam. Concilio Cpolitano II interesse coactus, coram Patribus dixit: «Fateor Dominum nostrum Jesum Christum ante unitionem quidem duas habuisse naturas; post unitionem vero unam dumtaxat naturam confiteor» [3]. Aliquando *Apollinari* consentiens dixit unionem naturarum fuisse factam per conversionem divinitatis in carnem; aliquando in *Valentinum* deflectens docuit naturam humanam mutatam fuisse in Verbum; aliquando sibimet contradicens contendit utramque naturam fuisse conversam in unam tertiam [4].

A catholicis exagitatus multos alios errores docuit circa unionem hypostaticam [5].

---

lentiam, t. 4, disp. 1, q. 1, a. 4, p. 6; qui dicunt Filium Dei incarnatum iri, «si absque peccato originali fuissent peccata mortalia, quibus omnes homines obstringerentur».

1 *De incarnatione*, disp. 3, n. 2.
2 **Salmanticenses**, *De incarnatione*, disp. 3, n. 2.
3 **Evagrius**, *Hist. eccl.*, lib. 1, c. 9; MG **86** bis, 2446.
4 Cfr. **Petavius**, *De incarnatione*, lib. 1, c. 14.
5 **Hergenröther**, *Hist. eccl.* (hisp. vers.), period. 2, c. 2, § 7.

596. THESIS. **Dogma catholicum est unionem Verbi cum humanitate non fuisse factam in natura, sed duas naturas, divinam et humanam, in Christo permansisse integras atque inconfusas.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Christus in Scriptura dicitur verus Deus et verus homo. Verus Deus: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* [1]. Verus homo: *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* [2]. Sed non posset Christus esse verus Deus et verus homo, nisi haberet duas naturas, divinam scilicet et humanam. Ergo.

b) Saepe in Scripturis praedicantur de Christo ea, quae sunt Dei, ut cum dicitur *aeternus*, et ea, quae sunt hominis, ut cum dicitur *passus*.

2) *Ex conciliis et symbolis.* a) In Formula *Libellus in modum symboli* Pastoris, ut videtur, episcopi Galleciae, can. 13 dicitur: *Si quis dixerit vel crediderit deitatis et carnis unam in Christo esse naturam, a. s.* [3].
b) *S. Leo* in epistola dogmatica *Lectis dilectionis tuae* 13 Junii 449 ad Flavianum patriarcham cpolitanum ajebat: *Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas* [4].
c) *Concilium Chalcedonense* docet Jesum Christum *perfectum in deitate et... perfectum in humanitate... in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum* [5]. In symbolo athanasiano Christus dicitur *unus omnino non confusione substantiae sed unitate personae* [6].

Unio personalis potest esse *personalis simplex* et *personalis hypostatica*. Unio *personalis simplex* est illa, in qua naturae incompletae non praeexsistentes constituunt unam personam, ut unio corporis et animae rationalis constituit hominem. Est simul unio substantialis, quia fit ex extremis substantialibus et constituit substantiam; est etiam essentialis, quia constituit unam naturam completam, scilicet hominem; et est personalis, quia facit personam, principium *quod* operationum. Unio *personalis hypostatica* est illa, in qua una natura creata completa et altera divina praeexsistens conjunguntur in una persona divina et faciunt unam personam esse in duabus naturis. Unicum exemplar hujus unionis hypostaticae est unio Verbi divini cum humana natura. Est unio substantialis, quatenus opponitur accidentali sed non est essentialis, quia post unionem naturae servantur integrae. Dicitur proprie unio *personalis hypostatica*.

3) *Ex SS. Patribus.* *Melito* sardensis ait: «Cum enim idem Deus simul et homo perfectus esset, duas naturas suas nobis patefecit [7]. *Origenes:* «Aliud est in Christo deitatis ejus natura, quod est unigenitus Filius Patris, et alia humana natura, quam in novissimis temporibus

---

1 *Rom.*, 9, 5.
2 *I Tim.*, 2, 5.
3 **Denz-Bannw.**, n. 33.
4 **Denz-Bannw.**, 143.
5 **Denz-Bannw.**, 148.
6 **Denz-Bannw.**, 40.
7 *Fragm.* 7; MG **5**, 1221.

http://www.obrascatolicas.com

pro dispensatione suscepit» [1]. *S. Joannes Damascenus:* «Alia namque est deitatis natura, et alia natura humanitatis. Ergo duae sunt in Christo naturae» [2].

4) *Ex ratione.* «Tripliciter enim, ait *S. Thomas*, aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur. Uno modo ex duobus integris, perfectis remanentibus. Quod quidem fieri non potest, nisi in his, quorum forma est compositio, vel ordo vel figura; sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis per solam compositionem fit acervus; ex lapidibus autem et lignis secundum aliquem ordinem dispositis et etiam ad aliquam figuram redactis fit domus. Et secundum hoc posuerunt aliqui unionem esse per modum confusionis, quae scilicet est sine ordine; vel per modum commensurationis, quae scilicet est cum ordine. Sed hoc non potest esse. Primo quidem: quia compositio vel ordo vel figura non est forma substantialis sed accidentalis. Et sic sequeretur, quod unio incarnationis non esset per se, sed per accidens, quod infra improbabitur... Secundo, quia ex hujusmodi non fit unum simpliciter sed secundum quid, remanent enim plura actu. Tertio, quia forma talium non est natura sed magis ars, sicut forma domus; et sic non constitueretur una natura in Christo, ut ipsi volunt».

«Alio modo fit aliquid unum ex perfectis et transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Et sic aliqui dixerunt unionem incarnationis esse factam per modum commixtionis. Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia natura divina est omnino immutabilis, ut in prima parte dictum est, q. 9, art. 1 et 2. Unde nec ipsa potest converti in aliud, cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum sit ingenerabilis. Secundo, quia id, quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie. Et sic Christus non esset ejusdem naturae cum Patre nec cum matre. Tertio, quia ex his, quae plurimum distant, non potest fieri commixtio; solvitur enim species unius eorum, puta si quis guttam aquae amphorae vini apponat. Et secundum hoc, cum natura divina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio; sed remanebit sola natura divina.»

«Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis vel permutatis sed imperfectis, sicut ex anima et corpore fit homo: et similiter ex diversis membris unum corpus constituitur. Sed hoc dici non potest de incarnationis mysterio. Primo quidem, quia utraque natura est secundum rationem suam perfecta, divina scilicet et humana. Secundo quia natura divina et humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus; quia natura divina est incorporea. Neque per modum formae et materiae, quia divina natura non potest esse forma alicujus praesertim corporei. Sequeretur enim, quod species resultans esset communicabilis pluribus, et ita essent plures Christi. Tertio, quia Christus non esset humanae naturae neque divinae naturae. Differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum, sicut dicitur in 8 Metaphys.» [3].

---

1 *Peri archon*, 1, 2, 1; MG **11**, 130.
2 *De duabus in Christo voluntatibus*, n. 8; MG **95**, 137.
3 *III p.*, q. 2, a. 1.

ARTICULUS II

UTRUM UNIO VERBI CUM HUMANITATE FACTA FUERIT IN PERSONA, ADEO UT IN CHRISTO SIT UNA TANTUM PERSONA

597. Status quaestionis. «Uniri in persona, ajunt *Salmanticenses*, consistit in eo, quod ex extremis unitis resultet una persona. Unde, si ex Verbo divino et humanitate unitis una persona constituatur, eo ipso dicetur talem unionem fieri in persona» [1]. Quaerimus, an in Christo hoc modo facta fuerit unio in persona.

598. Errores. 1) *Diodorus tarsensis* († c. a. 394) ejusque discipulus *Theodorus mopsuestenus* ac praesertim *Nestorius* ex Syria oriundus, Anthiochiae Theodori discipulus, et tandem patriarcha cpolitanus, negaverunt in Christo fuisse unicam personam. Errores Nestorii paucis exponit *S. Thomas* dicens: «Alia fuit haeresis Nestorii et Theodori mopsuesteni separantium personas (seu negantium unionem in persona). Posuerunt enim aliam esse personam Filii Dei et filii hominis, quas dicebant sibi invicem esse unitas: primo quidem, *secundum inhabitationem*, in quantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine sicut in templo; secundo, *per unitatem affectus*, in quantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei; tertio, *secundum operationem*, prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum; quarto, *secundum dignitatem honoris*, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coexhibetur filio hominis propter conjunctionem ad Filium Dei; quinto, *secundum aequivocationem*, id est, communicationem nominum, prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei. Manifestum est autem istos omnes modos accidentalem unionem importare» [2].

Ex hoc deducebat *Nestorius:* a) In Christo duas fuisse personas, unam divinam, alteram humanam. b) Deum non fuisse vere incarnatum, natum et passum. 3) Beatam Mariam Virginem non fuisse matrem Dei seu Θεοτοκον sed matrem Christi Χριστοτοκον [3].

Audiendi non sunt *Socrates* [4] et alii qui dicunt *Nestorium* eamdem in substantia ac alios Patres docuisse doctrinam. Quamvis enim aliquando dixerit in Christo fuisse unam personam εν προσωπον, hoc vocabulo noluit significare unam hypostasim sed unam personam moralem, subjectum juris, eo sensu quo nos dicimus societates habere personalitatem juridicam [5].

2) *Antiqui haeretici* et quotquot hodie ex rationalistis invehuntur in divinitatem Christi, ut *Strauss, Renan* et *Harnack*, negant in Christo factam fuisse unionem duarum naturarum in una persona divina.

3) *Güntherus*, ejusque discipuli non pauci, putantes personam esse *naturam sibi consciam*, non recte intellexerunt doctrinam de unitate personae Christi. Unde Pius PP. IX in Brevi *Eximiam tuam* 15 Junii 1857 ad Card. de Geissel, Arch. Coloniensem, damnato Güntheri errore de Trinitate, ajebat: «In compertis pariter habemus neque meliora neque accuratiora esse, quae traduntur de sacramento Verbi incarnati deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et humana» [6].

---

1 *De incarnat.*, disp. 3, n. 19.
2 *III p.*, q. 2, a. 6.
3 Vide **Marius Mercator;** ML **48**, 757 sqq.
4 *Hist. eccl.*, lib. 7, c. 32; MG **67**, 908-812.
5 Cfr. **Mueller,** *Fuitne Nestorius revera Nestorianus?* in ephemeride *Gregorianum*, a. 1921, pp. 266 et 352.
6 **Denz-Bannw.**, 1655.

http://www.obrascatolicas.com

4) *Modernistarum* error his verbis continetur: «Doctrina de Christo, quam tradunt *Paulus, Joannes,* et Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense non est ea, quam Jesus docuit, sed quam de Jesu concepit conscientia christiana» [1].

599. THESIS. **Unio Verbi cum humanitate facta est in persona, atque ideo una tantum persona eaque divina est in Christo.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Christus in sacris litteris passim vocatur Deus et homo: *Quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* [2].—*Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est* [3].—*Verbum caro factum est* [4]. b) Christo tribuuntur divina et humana: *Auctorem vero vitae interfecistis* [5]. *Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis..., et vocabitur nomen ejus... Deus fortis* [6]. Ergo in Christo est una tantum persona.

2) *Ex symbolis et conciliis.* a) In symbolo apostolorum dicimus: *Credo... in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato* [7].

b) In symbolo athanasiano: *Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus... unus omnino non confusione substantiae sed unitate personae* [8].

c) In symbolo chalcedonensi: *Jesum Christum consonanter omnes docemus... Deum verum et hominem verum... in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum* [9].

d) In Concilio Cpolitano II: *Si quis... non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse, et propter hoc unam ejus subsistentiam seu unam personam, et sic et sanctum chalcedonense concilium unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi confessum esse, talis a. s.* [10].

3) *Ex SS. Patribus. Tertullianus:* «Videmus duplicem statum non confusum sed conjunctum *in una persona,* Deum et hominem Jesum» [11]. *S. Joannes Damascenus:* «In unius autem ex trinitate, hoc est, Domini nostri Jesu Christi, dispensatione cum carne, duas naturas deitatis et humanitatis, duas voluntates itidem et actiones, sed *unam hypostasim sive personam* (confitere), quia unus et idem est, qui ante saecula ex

[1] Decr. S. Off. *Lamentabili,* 3 Jul. 1907, prop. 31; **Denz-Bannw.,** 2031. Haec propositio videtur fuisse excerpta ex **Loisy,** *Autour d'un Petit Livre,* 136, ut ipse **Loisy** fatetur, *Simples réflexions sur le Décret du Saint-Office,* prop. 31.
[2] *Rom.,* 9, 5.
[3] *I Joan.,* 4, 3.
[4] *Joan.,* 1, 14.
[5] *Act.,* 3, 15.
[6] *Is.,* 9, 6.
[7] **Denz-Bannw.,** 6.
[8] **Denz-Bannw.,** 40.
[9] **Denz-Bannw.,** 148.
[10] **Denz-Bannw.,** 217.
[11] *Adv. Praxeam;* c. 27; ML **2,** 215.

Patre sine influxu et sine corpore genitus, et postremis temporibus ex sancta semperque Virgine deipara... conceptus est» [1].

4) *Ex ratione.* a) Filius Dei vere incarnatus est. Sed, nisi facta fuisset unio in persona, et esset in Christo una tantum persona, non vere diceretur incarnatus. Ergo. b) Christus satisfecit Deo de condigno pro peccatis nostris, ut dicemus infra. Sed non potuisset satisfacere de condigno, si habuisset duas personas. Ergo. Actiones siquidem in hoc casu essent unius vel alterius personae. Quae procedebant a persona humana, non poterant Deo satisfacere de condigno, ut diximus n. 584; neque quae procedebant a sola persona divina, quia satisfactio condigna debet esse ad alterum. c) Ea, quae pertinent ad Deum et hominem nequeunt de se invicem in concreto praedicari in Christo, nisi sit in eo una tantum persona. Sed in Christo praedicantur de se invicem in concreto ea, quae pertinent ad Deum et hominem, ut cum dicimus: *hic homo est Deus, hic aeternus est temporalis, hic impassibilis passus est.* Ergo in Christo fuit una tantum persona.

Corollarium I. Consequitur ex dictis unicam personam, quam diximus inveniri in Christo, esse divinam. Primo, quia natura divina, quamvis uniatur naturae humanae, nequit spoliari sua personalitate. Secundo, quia praedicatio de rebus divinis et humanis in concreto non potest salvari nisi in persona divina in duabus naturis exsistente. Tertio, quia ad satisfactionem de condigno pro peccatis hominum erant omnino necessariae operationes theandricae seu Dei hominis.

Coroll. II. Per mysterium sanctae incarnationis Verbi, seu per unionem naturae divinae et humanae in una tantum persona divina, facile explicatur oeconomia totius doctrinae catholicae de redemptione, de valore sacramentorum, etc.

Coroll. III. In hoc mysterio fundatur tota doctrina de divinitate Christi, quam defendit Ecclesia catholica, et totis viribus impugnant rationalistae ac increduli et non pauci protestantes [2].

Coroll. IV. Beata Virgo Maria vere et proprie dicitur et est non solum Χριστοτοκος seu *Christipara,* ut voluit *Nestorius,* sed etiam Θεοτοκος seu *Deipara;* quia concepit genuitque hominem, qui est Deus. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* [3].

Coroll. V. Haec probabilius explicari nequeunt nisi admissa sententia de reali distinctione inter naturam singularem et personam in creatis. Natura siquidem humana singularis in Christo privata est propria personalitate. Hoc autem fieri non potuisset, si persona realiter non distingueretur a natura singulari. *Tiphanus* [4], *Franzelin* [5] et alii eximii theologi dicunt privationem personalitatis creatae in natura humana Christi fieri potuisse posita solummodo distinctione virtuali inter naturam singularem et personam, sed, ut reor, notionem personae adulterant, et violentiam inferunt textibus *S. Thomae* [6].

[1] *De sancta Trinitate,* n. 1; MG **95,** 9.
[2] Cfr. **Morawski,** *Tardes a orillas del lago de Ginebra* (hisp. vers.), tarde sexta.
[3] *Gal.,* 4, 4. Cfr. **Franzelin,** *De Verbo incarnato,* th. 39.
[4] *De hypostasi et persona,* c. 24 sqq.
[5] *De Verbo incarnato,* th. 30.
[6] Cfr. **Valentia,** *In III p.,* disp. 1, q. 4, punct. 2; et noster tractatus *De Deo trino,* n. 461. a) Aliqui strenue defendunt personam nihil positivum addere naturae singulari sed solum negativum, negationem scilicet dependentiae actualis et aptitudinalis a supposito, atque idcirco personam realiter non distingui a natura singulari. Ita **Scotus,** *In III Sent.,* dist. 1, q. 1, n. 9 sqq.; **Molina,** *In I p.,* q. 29, a. 1, disp. 2; **Thyrsus Gonzalez,** *Disp. select.,* t. 3, disp. 27, s. 4, § 3; **Franzelin,** *De*

http://www.obrascatolicas.com

Objectiones.

600. Obj. 1.° Humana natura Christi est substantia rationalis. Sed omnis substantia rationalis est ens per se subsistens et persona. Ergo humana natura Christi est persona.

Resp.—Dist. min. Omnis substantia rationalis est ens per se subsistens, in quantum excludit inhaesionem alteri tanquam sujecto, **conc.;** in quantum excludit subsistentiam et personalitatem per modum termini, **neg.** Substantia dicitur ens per se subsistens, quatenus non indiget adminiculo alterius per modum accidentis, sed hoc non obstat, quominus accipiat personalitatem ut terminum.

Obj. 2.° Persona est *naturae rationalis individua substantia*. Sed natura humana Christi est naturae rationalis individua substantia. Ergo.

Resp. Explicando definitionem personae. Individua substantia dicitur dupliciter: *Uno modo*, quatenus est completa per subsistentiam et fit incommunicabilis alteri tanquam termino; et hoc sensu omnis naturae rationalis individua substantia est persona. *Alio modo*, in quantum est completa per materiam et formam et fit incommunicabilis alteri numero, manens tamen communicabilis termino, et non est persona. Hoc secundo modo natura humana Christi, constans anima et corpore, est individua substantia sed non persona.

Obj. 3.° Persona Verbi est ipsamet natura divina. Sed unio in Christo non est facta in natura. Ergo neque in persona.

Resp.—Dist. maj. Persona Verbi est ipsamet natura divina realiter, **conc.** Virtualiter et secundum modum significandi, **neg.** Natura enim divina significat deitatem, et persona explicat Deum per modum subsistentis.

ARTICULUS III

UTRUM CHRISTUS SIT VERUS DEUS

601. Status quaestionis. Ex dictis satis constare videtur Christum Jesum esse verum Deum et verum hominem. Si unio Verbi cum humanitate ita facta est, ut duae naturae, divina et humana, integrae et inconfusae manserint in una tantum divina persona, consequens est, ut Christus sit vere Deus et homo. Quia tamen quaestio de divinitate Jesu Christi ab ipso jam exordio Christianismi exorta est, et hodie non parum praeoccupat homines, paulo amplius videtur explananda.

602. Errores. 1) Divinitatem Christi imprimis inficiati sunt *ariani* et qui cum eis negabant divinitatem ipsius Verbi, dicentes Verbum Dei esse creaturam, aliis quidem creaturis eminentiorem, et, cum unitum fuit hypostatice humanae naturae Christi, Christum permansisse perfectissimam creaturam.

2) *Nestorius* e contra et *nestoriani* docebant Verbum esse quidem Deum, sed non fuisse humanae naturae in Christo substantialiter unitum, sed accidentaliter tantum, adeo ut in Christo fuerint duae personae, divina et humana, et Christus nullatenus dici queat Deus [1].

3) Alii volunt Christum esse simplicem hominem. Sic

a) *Ebionitae* e judaeis oriundi, adspectum pauperem gerentes, et *cerinthiani* gnosim cum judaismo conciliare volentes, rejiciebant divinitatem Christi [2].

b) *Sociniani* saeculo XVI renovarunt errores ebionitarum et cecinthianorum dicentes Christum fuisse quidem legatum divinum conceptum de Spiritu Sancto, singulari virtute auctum atque eximium prophetam, non tamen fuisse Deum, sed purum hominem, ipsumque vocari Filium Dei lato sensu, quatenus a Deo accepit virtutem et inspirationem [3]. *Unitarii* fere eadem docuerunt, et dixerunt Christum Dominum ob eximiam ejus virtutem vocari posse Filium Dei et *divinum hominem* [4].

c) *Protestantes liberales*, quamvis non audeant expressis verbis divinitatem Christi negare, revera tamen eam inficiantur. Volunt enim Christum esse vocandum, non *Deum hominem*, sed *hominem divinum* sicut unitarii. Et addunt Christo convenire praeexsistentiam tantum logicam et metaphysicam, quatenus idea in ipso evolvenda praeexsistebat, sed non realem ac physicam. Ex quo sequitur Christum juxta protestantes liberales esse physice purum hominem [5].

d) *Hodierni rationalistae radicales*, omnem revelationem supernaturalem rejicientes, negant Christum fuisse legatum divinum, ejusque divinitatem aperte impugnant. Ita *Strauss*, *Renan* et alii plures.

e) Modernistae denique ponebant duplicem Christum, unum historicum et alterum dogmaticum seu conscientiae christianae. Christus historicus fuit homo purus; et de Christo dogmatico haec habent: «Divinitas Jesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma, quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit» [6].

603. THESIS. **Christus Dominus est verus Deus.** *(De fide.)*

Concilium Chalcedonense expresse declaravit unum esse *eumdemque Filium et Unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum* [7].

Arg. *Ex S. Scriptura.* Christus in Evangelio:

1) *Affirmavit se ante incarnationem et ante mundi creationem exstitisse:*

Ante incarnationem quidem, quia ait: *Ego enim ex Deo processi, et veni; neque enim a me ipso veni, sed ille me misit* [8]. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius* [9]. *Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* [10]. *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum* [11].

Ante mundi creationem. Deus ita affatus est Christum in psalmo:

Verbo incarnato, th. 30; **Pesch,** *De Verbo incarnato*, n. 86 sqq.; **Muncunill,** *De Verbi divini incarnat.*, n. 151, et alii. b) Nonnulli volunt personam addere naturae singulari exsistentiam realem, ita ut ex natura et exsistentia constituatur persona, et persona realiter distinguatur a natura singulari. Ita **Michael de Maria,** *Ontologia*, p. 2, q. 3, a. 8; **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 7 et alii pauci. c) Omnes thomistae et non pauci extranei docent personam addere naturae singulari subsistentiam, quae in natura prius recipitur quam exsistentia, unde subsistentia cum advenerit naturae, tribuit ipsi triplicem incommunicabilitatem, universalis ad individua, partis ad totum, et naturae ad suppositum, et constituit personam. Cfr. *De Deo trino*, n. 461 sqq.

1 Vide supra, n. 572.
2 Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, t. 1, pp. 275 et 287.
3 Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, t. 5, p. 299.
4 Cfr. *The Catholic Encyclopedia*, v. «Unitarians».
5 In conferentiis, quas diversae sectae protestantium die 3 Augusti 1927 Lausanae habuerunt, agitata est quaestio de divinitate Christi, sed, propositis diversis formulis, nihil definiri potuit. Cfr. *Ciencia Tomista*, En.-Febr. 1932, p. 6 sqq
6 Decr. *Lamentabili*, prop. 27; **Denz-Bannw.,** 2027. Cfr. **Loisy,** *Autour d'un petit livre*, pp. 117 et 130 (1903).
7 **Denz-Bannw.,** 148.
8 *Joan.*, 8, 42.
9 *Joan.*, 6, 63.
10 *Joan.*, 16, 28.
11 *Joan.*, 8, 58.

http://www.obrascatolicas.com

Ex utero ante luciferum genui te [1]; et ipse Christus orat Patrem: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te* [2]. Unde Joannes: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [3].

Ex his sequitur contra protestantes liberales et rationalistas Christum esse vere Deum.

2) *Se ipsum vocat Filium Dei. Adjuro te,* ait illi summus sacerdos, *per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti: Verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli* [4]. *Summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli* [5]. In his autem locis Filius hominis significat «naturalem Dei Filium» [6].

Alibi Jesus interrogavit pharisaeos: *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum* [7].

Ex his recte deducitur Christum esse Filium Dei, qui sedet ad dexteram Patris. Porro «sedere ad dexteram Patris, ait *S. Thomas*, nihil aliud est, quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis, et beatitudinem, et judiciariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter. Hoc autem convenit Filio, secundum quod est Deus» [8].

3) *Adserit identitatem suae naturae cum Patre.* Cum judaei dixissent Jesu: *Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis: opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me... Ego et Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides judaei, ut lapidarent eum* [9]; et dixerunt: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum* [10]. «Irati sunt, ait *S. Augustinus* de judaeis, quoniam senserunt non posse dici: *Ego et Pater unum sumus*, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii» [11].

4) *Defendit se habere identitatem testimonii cum Patre.* Christus arguit contra pharisaeos dicens: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso,*

1 *Ps.* 109, 3.
2 *Joan.*, 17, 5.
3 *Joan.*, 1, 1-4.
4 *Matth.*, 26, 63 sqq.
5 *Marc.*, 14, 61 sqq. Summus sacerdos et qui aderant intellexerunt verba *Filium Dei* in sensu proprio, cum dixerunt: *blasphemavit.* Unde alibi persecuti sunt eum dicentes: *Tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Joan*, 10, 33.
6 Decr. *Lamentabili*, prop. 30; **Denz-Bannw.**, 2030.
7 *Matth.*, 22, 42-47.
8 *III p.*, q. 58, a. 2.
9 *Joan.*, 10, 24 sqq.
10 *Joan.*, 10, 33.
11 *In Joan.*, tr. 38, n. 8; ML **35**, 1744.

verum est testimonium meum... quia solus non sum, sed ego et, qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater [1]. Ex hoc constat Christum et Patrem esse duas personas, seu duos testes, eorum tamen testimonium esse unum. Si unum est eorum testimonium, una est pariter eorum natura, quia unicum testimonium nequit proferri nisi ab una natura.

5) *Habet identitatem operationis cum Patre.* Jesus haec dixit judaeis: *Pater meus usque modo operatur et ego operor. Propterea ergo magis quaerebant eum judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis: Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* [2]. Hic Christus, a duplici accusatione judaeorum se expedire volens, ait se eamdem cum Patre habere operationem. *Quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Unde illa actio simul Patris est et Filii, et sicut Pater paralyticum sabbato curando non solvit legem, ita nec ipse eadem opera efficiendo. Sic argumentum intellexerunt judaei, et Jesum interficere quaerebant, quia Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Eadem igitur ac Pater operabatur Jesus, atque idcirco erat Deus.

6) *Confessus est se habere potestatem in terra dimittendi peccata.* Hac autem expressione manifestavit se esse Deum. Cum in praedicatione evangelica loqueretur quasi potestatem habens et daemonia saepe vexaret, judaei eum mirabantur, et daemoniaci clamabant: *Tu es Filius Dei* [3]. Jesus, has occasiones nactus, insinuavit paulatim turbis doctrinam de sua divinitate, eamque per gradus exponere volens ait paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua.* Tunc quidam de scribis et pharisaeis cogitaverunt: *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Recte quidem judicabant solum Deum posse dimittere peccata. Et Jesus, annuens partim eorum cogitationi, aperte declaravit se habere potestatem dimittendi peccata, et exinde esse Deum. Et hoc miraculo confirmavit dicens: *Quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat; et abiit in domum suam magnificans Deum* [4]. Unde Christus, qui habebat potestatem dimittendi peccata, et hoc confirmavit miraculo, est vere Deus.

7) *Ut suam divinitatem ostenderet, miracula patravit.* Quando discipuli Joannis Baptistae interrogaverunt Jesum: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Ipse eadem hora *multos curavit a languoribus,*

1 *Joan.*, 14-18.
2 *Joan.*, 5, 17-20.
3 *Luc.*, 4, 41.
4 *Luc.*, 5, 20 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

et plagis, et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum. Et statim de sua divinitate attulit argumentum dicens: *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis, et vidistis; quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me* [1].

8) Haec omnia certe confirmantur ex testimonio *S. Joannis*, qui ait: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei* [2]; et auctoritate *S. Pauli* dicentes: *Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* [3].

Corollarium. Sancti Ecclesiae Patres jam ab initio hac doctrina imbuti et S. Scripturae testimoniis fulti, constanter docuerunt Christum esse vere Deum. Unde *S. Ignatius* ait: «Glorifico Jesum Christum Deum, qui tanta vos sapientia donavit» [4]. Et *S. Justinus:* «Haec eo diximus, quo Filium Dei et Apostolum esse Jesum Christum demonstraremus, qui quidem, cum antea Verbum esset..., nunc voluntate Patris pro humano genere homo factus (est)... Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est» [5].

ARTICULUS IV

UTRUM PERSONA CHRISTI SIT COMPOSITA

604. Status quaestionis. 1) Compositio est unio extremorum realiter distinctorum. Unde compositum proprie loquendo est id, quod constat ex duobus realiter distinctis et in se unitis. Si unio fiat ex partibus integrantibus, ex actu et potentia, etc., quae constituant esse totius, compositio denotat imperfectionem, et est respuenda a persona Christi. Si unio fiat ad constituendum aliquod unum reale ex extremis unitis in uno termino, potest esse absque ulla imperfectione. Unde *S. Thomas* ait: «Compositio personae ex naturis non dicitur esse ratione partium sed potius ratione numeri» [6].

2) Persona Verbi ante incarnationem erat tantummodo divina et simplex, post incarnationem terminat naturam divinam et humanam, simulque est Deus et homo, idem significans ac Christus. Unde sensus tituli est, an Christus, qui est persona Verbi in duabus naturis, sit vere compositus ex extremis unitis in uno termino.

605. Error. *Nestorius* et alii, qui in Christo posuerunt duas personas, dixerunt Christum non esse personam compositam, sed habere duas personas conjunctas. Est haeresis omnino rejicienda.

606. Placita theologorum. 1) Plures eximii theologi, putantes compositionem supponere imperfectionem, defenderunt personam Christi non

[1] *Luc.*, 7, 20 sqq.
[2] *Joan.*, 20, 31.
[3] *Rom.*, 9, 5. Vide hujus loci rectam interpretationem apud Corluy, *Spicilegium*, 2, 24 sqq. Cfr. etiam quae diximus nn. 587 et 599.
[4] *Ad Smyrnaeos*, 1, 1; MG **5**, 839.
[5] *I. Apologia*, 63; MG **6**, 423.
[6] *III p.*, q. 2, a. 4 ad 2.

esse vere compositam. Ita *Alensis, S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, Biel, Tiphanus* et alii [1].

2) Multo communius docent theologi Christum esse personam vere et proprie compositam. Ita *S. Thomas, Medina, Vazquez, Suarez, Lugo, Salmanticenses, Philippus a SS. Trinitate* et alii [2].

607. THESIS. **Persona Christi est vere et proprie composita.**

Arg. 1) Concilium Cpolitanum II haec habet: «Sancta Dei Ecclesia, utriusque perfidiae impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam» [3].

2) *Ex SS. Patribus. S. Cyrillus* vel alius: «In Christo unam personam compositam colimus ex duabus naturis, humanitate scilicet et divinitate, sibi invicem secundum personam unitis» [4].

S. Augustinus: «Persona autem Christi mixtura est Dei et hominis» [5].

S. Joannes Damascenus: «Ita ut... Verbi persona, quae ante simplex erat, composita evaserit, composita, inquam, ex duabus naturis perfectis, divinitate scilicet et humanitate» [6].

3) *Ex ratione.* Christus est una persona in duabus naturis realiter distinctis, quatenus una persona habet et complet duas naturas, divinam et humanam. Ergo Christus est persona composita [7].

Corollarium I. Persona Christi dicitur et est composita:

1) *Ex naturis divina et humana*, quatenus Verbum complet seu terminat utramque naturam et «qui ante Deus erat, postmodum fit caro, id est homo, vocaturque duarum naturarum una hypostasis composita» [8].

2) *Ex supposito Verbi et humanitate*, quatenus suppositum Verbi et humanitas, extrema realiter distincta, uniuntur et faciunt unum Christum, Deum et hominem [9].

Coroll. II. Cave ne dixeris personam Filii Dei aut Verbi Dei esse compositam sine addito *incarnatam*. Ratio enim et fundamentum compositionis in persona Christi est duarum naturarum unio in una persona, et expressiones, quae in hac materia ab incarnatione praescin-

[1] **Alensis,** *III p.*, q. 6, m. 2, a. 5; **S. Albertus M.,** *In III Sent.*, dist. 6, a. 6; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 6, a. 1, q. 2; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 6, q. 1, a. 3; **Tiphanus,** *De hypostasi et persona*, c. 65.
[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 2, a. 4; **Medina,** *In III p.*, q. 2, a. 4; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 16, c. 2; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 7, sect. 4; **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 10; **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 3, n. 34 sqq.; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnationis*, disp. 3, dub. 3.
[3] *De tribus Capitulis*, can. 4; **Denz-Bannw.,** 216.
[4] *De Trinitate* (S. Cyrillo aliquando adscriptus), c. 18; MG **77**, 1158.
[5] *Ep.* 137 ad *Volusian.*, n. 11; ML **33**, 520.
[6] *De fide orth.*, c. 7; MG **94**, 1010.
[7] Nonnulli non audent dicere personam Christi esse compositam *ex his* (naturis), sed tantummodo *cum his;* at scrupulus caret fundamento. Compositio *cum his* est simultanea aliquorum positio, quae non sufficit ad veram compositionem. Unde in Christo admittenda est unio extremorum coalescentium in unum, quae est compositio *ex his*. Cfr. **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 6.
[8] **S. Joannes Damascenus,** *Contra Jacobitas*, 52; MG **94**, 1461.
[9] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnat.*, disp. 3, dub. 3.

http://www.obrascatolicas.com

dunt, significant Verbum Dei, praecisa naturarum unione esse compositum, quod nefas est dicere.

Coroll. III. Personae divinae, sive comparentur inter se sive cum natura divina, non faciunt compositionem. Non quidem, si comparentur inter se, quia personae inter se non uniuntur sed potius opponuntur relative; neque si comparentur cum natura divina, quia non distinguuntur realiter ab ea [1].

Scholion. *Satisfit objectioni.* Persona Verbi Dei et persona Christi realiter non distinguuntur. Sed, si persona Christi esset composita, realiter distinguerentur. Ergo persona Christi non est composita. **Prob. min.** Persona Verbi est simplex, et persona Christi composita. Sed persona simplex et persona composita realiter distinguuntur. Ergo. Ita *Tiphanus* [2].

Resp.—Neg. min. Ad probationem, **dist. min.** Persona simplex et persona composita realiter distinguuntur, si compositio proveniat ex unione partium sese mutuo perficientium, **conc.** Si compositio proveniat ex unione personae simplicis ad aliam naturam per modum termini, **neg.** Persona Verbi, quae ante incarnationem erat simplex, post incarnationem evasit composita, non per sui mutationem vel perfectionem acquisitam, sed per adsumptionem humanae naturae, quam complevit ut terminus [3].

Nota. Aliae objectiones, in quibus dicitur compositum constare partibus, esse perfectius quolibet extremo componente, esse posterius extremis componentibus, etc., procedunt de composito, cujus extrema sunt partes constituentes totum omnino distinctum a componentibus, non de mirabili compositione personae Christi, in qua singulari modo extrema non habent rationem partium. Unde responsio est facilis.

ARTICULUS V

UTRUM VERBUM DIVINUM IN INCARNATIONE ALIQUAM MUTATIONEM SUBIERIT

608. Status quaestionis. Mutationis nomen non restringimus in praesenti ad motum physicum, qui comprehendit omnes mutationes a materia dependentes; neque ad transitum de uno esse ad aliud, qui fit in generatione et corruptione; neque ad productionem rei ex nihilo, quae locum habet in creatione; sed sumimus latissime, quatenus significat «quamlibet variationem intrinsecam et subjectivam personae, quocumque modo contingat» [4].

Unde quaerimus, an persona Verbi per unionem ad naturam humanam experta fuerit aliquam variationem subjectivam.

609. Error. Impossibile visum est nestorianis Deum fieri hominem sine intrinseca sui mutatione, quia incarnationem dicebant esse transitum Dei ad statum veri hominis, qui significat mutationem.

610. Placita theologorum. Omnes catholici defendunt Verbum in incarnatione nullam mutationem passum fuisse, sed diversimode rem explicant.

---

1 **Salmanticenses,** *De incarnatione,* disp. 3, n. 59.
2 *De hypostasi et persona,* c. 65.
3 Cfr. **Hurter,** *De Verbo incarnato,* n. 531.
4 **Salmanticenses,** *De incarnatione,* disp. 3, n. 59.

1) *Valentia* putat Verbum in incarnatione non fuisse mutatum, quia nihil acquisivit, quod prius eminenter non habuerit [1].

2) *Lugo* censet Filium Dei ideo non fuisse mutatum, quia non recepit sed univit sibi naturam humanam per alligationem extremorum, quorum unum afficitur et completur per unionem, non alterum [2].

3) *Alii* rationem immutabilitatis Verbi in incarnatione petunt tum ex parte unionis, quae facta est per modum termini, tum ex parte Verbi, quod est actus purus.

611. THESIS I. **Verbum divinum in incarnatione nullatenus est mutatum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Dominus ait: *Ego sum qui sum* [3], innuens se esse omnino immutabilem.

2) Concilium Chalcedonense docet «unum eumdemque Christum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, *immutabiliter*... (esse) agnoscendum» [4].

3) Argumenta, quibus ostenditur Deum esse immutabilem, probant Verbum in incarnatione nullam mutationem subiisse. Eadem quippe ratio est ac fundamentum immutabilitatis Dei in natura ac immutabilitatis personae Verbi. Unde, sicut Deus, primum ens et actus purus, non potest in suis actionibus mutari, ita persona Verbi nequit per incarnationem ullam mutationem pati.

612. THESIS II. **Verbum in incarnatione ideo non fuit mutatum, quia unio facta est per modum termini et Verbum est actus purus.**

Arg. Ex duplici capite potest concipi mutationem Verbi oriri in incarnatione, ex parte scilicet unionis et ex parte Verbi, quatenus vel unio consideratur facta per conjunctionem partium, vel Verbum concipitur adsumens naturam alienam ad potentiam Dei passivam. Ex utroque autem capite fuit Verbum immutabile in incarnatione. Ergo. *Ex parte quidem unionis* non fuit Verbum mutatum in incarnatione, quia unio extremorum in hoc mysterio non fuit facta per modum subjecti et formae, sed per modum termini et terminabilis, in quantum subsistentia Verbi complevit naturam humanam. Neque *ex parte ipsius Verbi* potuit oriri mutatio, quia Verbum incarnatum est ut actus purus, uniens sibi naturam humanam per potentiam passivam in creatura exsistentem. «Deus dicitur uniri, ait *S. Thomas,* non per mutationem sui sed ejus, cui unitur. Et similiter, cum dicitur unibilis, hoc dicitur non per potentiam aliquam passivam in Deo exsistentem, sed per potentiam, quae in creatura est, ut uniri possit» [5]. Unde ratio immutabilitatis Verbi in incarnatione sumitur ex parte unionis, quae facta est per modum termini, et ex parte Verbi, quod est actus purus.

---

1 *In III p.,* disp. 1, q. 1, p. 2, resp. ad 2.
2 *De mysterio incarnationis,* disp. 11, sect. 7.
3 *Ex.,* 3, 14.
4 **Denz-Bannw.,** 148.
5 *III Sent.,* dist. 1, q. 1, a. 1 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS VI

DE PROPRIETATIBUS UNIONIS VERBI CUM HUMANA NATURA

613. Status quaestionis. I. In incarnatione Verbi divini tres actiones sunt in eodem instanti distinguendae. 1) *Creatio* animae rationalis. 2) *Generatio*, in qua per unionem animae et corporis constituta est humana natura. 3) *Incarnatio* seu unio Verbi divini cum humana natura.

II. Unio Verbi divini cum humana natura, in qua consistit incarnatio, habet quasdam proprietates, quas oportet investigare. Hinc quaeritur, an unio illa sit substantialis, personalis hypostatica, creata, distincta ab extremis, supernaturalis, omnium maxima, atque indissolubilis.

614. THESIS I. **Unio Verbi cum humana natura est substantialis.**

Arg. 1) In Concilio Lateranensi sub Martino I (a. 649) definitum est «ex duabus et in duabus naturis *substantialiter* unitis inconfuse et indivise unum eundemque esse Dominum et Deum Jesum Christum» [1]; et «secundum veritatem *naturarum substantialem unitionem* indivise et inconfuse in eo (Christo) cognitam» esse [2]. Ergo unio Verbi cum humana natura est substantialis.

2) In incarnatione Verbi duo extrema substantialia, naturae scilicet divina et humana, uniuntur, et terminus hujus unionis est unus, nempe Christus, cui operationes utriusque naturae, ut ex communicatione idiomatum patet, tribuuntur. Ergo unio Verbi cum natura humana est substantialis.

615. THESIS II. **Unio Verbi cum humana natura est personalis hypotastica.**

Arg. 1) Unio personalis hypostatica est, ut supra diximus, illa, in qua duae naturae completae, una creata et altera divina praeexsistens, uniuntur substantialiter in una persona divina. Sed ita fit in unione Verbi cum humana natura. Ergo.

2) Unio rerum substantialium, quae constituit unum esse substantiale et unam personam divinam, est substantialis hypostatica. Sed unio Verbi cum humana natura constituit unum esse substantiale, id est, hominem, unam personam divinam, scilicet Christum. Ergo est personalis hypostatica. Unde «praedicatur homo de Deo non per accidens, sed per se, sicut species de sua hypostasi» [3], quatenus Verbum subrogatur loco personae humanae.

Rejiciendus est omnino modus loquendi *Durandi*, qui admissa unione praedicamentali et physice substantiali inter Verbum et humanam

[1] *Can.*, 6; **Denz-Bannw.**, 259.
[2] *Can.*, 8; **Denz-Bannw.**, 261.
[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 16, a. 1 ad 1.

naturam, voluit illam unionem fuisse praedicabiliter seu logice accidentalem, eo quod humanitas advenerit Verbo, enti jam completo [1]. Rejiciendus est, inquam, quia quod advenit enti completo ad constituendum unum suppositum cum illo, ut contingit in incarnatione, unitur substantialiter etiam in ordine logico [2].

616. THESIS III. **Unio hypostatica est quid creatum.**

Praenotamen I. Unio incarnationis potest significare: 1) *Actionem unitivam extremorum*, quae magis vocari potest *unitio*, et est actio Dei increata formaliter immanens et virtualiter transiens [3]; 2) *compositionem* seu *conjunctionem passivam extremorum*, quae, utpote incipiens in tempore, est aliquid creatum; 3) *relationem praedicamentalem*, quae consequitur conjunctionem passivam extremorum, quaeque est aliquid creatum, nempe accidens se habens realiter ex parte humanitatis, et secundum rationem ex parte Verbi [4]; 4) *nexum*, qui physice extrema uniat et relationem inter ambo fundet. Certum quippe est unionem Verbi cum humanitate fieri per veram actionem. Haec actio habet proculdubio aliquem terminum seu nexum.

Praenotamen II. Disputatur inter theologos, an hic nexus seu unio formaliter sumpta, quatenus est terminus actionis unitivae, sit aliquid positivum creatum, conjungens extrema et fundans relationem. Negant *Bachonus, Cajetanus, Valentia, Laurentius a S. Theresia, Billuart, Billot, Pesch* et alii [5]. Affirmant *Alensis, Scotus, Ockam, Argentinas, Suarez, Vazquez, Lugo, Complutenses abbreviati, Mendive, Muncunill* et alii [6].

Utraque opinio est certe probabilis tum doctorum auctoritate tum rationum pondere.

Nihilominus magis mihi probatur sententia affirmativa ob sequentes rationes.

Arg. 1) «Unio, de qua loquimur, est relatio quaedam, quae consideratur inter divinam naturam et humanam» [7], exsistens «secundum rem in natura humana, in divina autem secundum rationem tantum» [8]. Cum sit unio hypostatica et substantialis mutans humanam naturam [9], nequit esse relatio praedicamentalis, quae est accidens, adveniens humanitati jam mutatae. Ergo est relatio transcendentalis superaddita humanitati, ipsamque realiter mutans, quae nihil aliud est quam nexus seu vinculum uniens extrema et fundans relationem praedicamentalem.

[1] *In III Sent.*, dist. 6, q. 4.
[2] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 2, a. 6 ad 2.
[3] Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** t. 5, controv. 8, n. 33.
[4] Cfr. **Complutenses abbrev.,** *Logica*, disp. 14, q. 5.
[5] **Bachonus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 1; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 2, aa. 7 et 10; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 2, p. 5; **Laurentius a S. Theresia,** t. 5, controv. 8, n. 37; **Billuart,** *De incarnatione*, diss. 4, a. 3; **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 7; **Pesch,** *De Verbo incarnato*, n. 98 sqq.
[6] **Alensis,** *III p.*, q. 7, m. 2, a. 1; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 1; **Ockam,** *In III Sent.*, q. 1; **Argentinas,** *Summa*, lib. 3, dist. 5, q. 1, a. 4; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 8, sect. 3; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 18, c. 3; **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 11, sect. 1; **Complutenses abbrev.,** *Physica*, disp. 6, q. 2, n. 9; **Mendive,** *De incarnat.*, c. 3, a. 1; **Muncunill,** *De incarnat.*, disp. 3, a. 4.
[7] **S. Thomas,** *III p.*, q. 2, a. 7.
[8] **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 5, q. 1, a. 1, quaestionc. 1.
[9] **S. Thomas,** *Contra Gent.*, lib. 4, c. 49 ad 2.

http://www.obrascatolicas.com

2) In incarnatione intervenit aliqua Dei actio, quae unitio vocari potest. Actio autem Dei, cum sit virtualiter transiens, producit aliquid in objecto, quia non datur actio virtualiter transiens sine termino. Non producit extrema unionis, quia Verbum erat ab aeterno, et humanitas producta est per actionem generativam in signo priori ad incarnationem. Ergo terminus illius actionis Dei non potest esse nisi unio seu nexus.

Nec valet dicere cum *Billuart* terminum hujus actionis Dei esse ipsum Christum, compositum ex humanitate et personalitate Verbi. Quia, quamvis Christus sit terminus actionis Dei, impossibile tamen est hujusmodi compositum per actionem Dei ex rebus praeexsistentibus fieri, quin aliquid positivum in composito saltem ut terminus *quo* producatur.

3) Quaelibet unio, per quam extrema intrinsece conjunguntur, est aliquid positivum distinctum ab extremis, eisque realiter superadditum; sic unio physica materiae et formae est modus substantialis distinctus ab extremis; unio accidentium cum subjecto fit per modum inhaerentiae; et unio partium quantitativarum verificatur per media indivisibilia a partibus realiter distincta [1]. Ergo a pari unio hypostatica est aliquid positivum superadditum humanitati et distinctum ab extremis unitis.

Scholion. *Quid autem sit haec unio non constat inter theologos.*

1) Juxta *Scotum* est relatio praedicamentalis dependentiae humanitatis a Verbo [2]; et juxta *Biel* qualitas quaedam absoluta a Deo supernaturaliter Christo concessa [3].

Sed utraque opinio videtur rejicienda, quia tam relatio praedicamentalis, quam qualitas absoluta sunt accidentia, unio vero hypostatica est substantialis.

2) *Videtur esse modus quidam substantialis transcendentaliter respectivus. Modus quidem,* quia, cum non sit totum compositum neque ejus una pars absoluta sed aliquid distinctum ab extremis, nequit esse nisi modus. *Substantialis,* quia unio Verbi et humanitatis non fuit facta in accidentibus sed in persona seu hypostasi. *Transcendentaliter respectivus,* quia accipit speciem per ordinem ad Verbum, cui humanitatem conjungit. Est ergo relatio transcendentalis, seu potius ens modale et substantiale per suam naturam respectivum.

Objicies. *S. Thomas* negat unionem hypostaticam esse aliquid positivum ab extremis distinctum his verbis: «Sciendum est, quod in unione humanae naturae ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura conjungatur quam divinae personae; sicut enim inter materiam et formam nihil cadit medium in esse, quae per prius sit in materia quam forma substantialis... ita etiam inter naturam et suppositum non potest aliquid dicto modo medium cadere» [4].

---

1 Cfr. **Complutenses abbrev.,** *Physic.,* disp. 6, q. 2; **Salmanticenses,** *De incarnatione,* disp. 4, n. 21.

2 *In III Sent.,* dist. 1, q. 1, n. 13, *Sed oppositum.*

3 *In III Sent.,* dist. 1, q. 1, a. 1.

4 *In III Sent.,* dist. 2, q. 2, a. 2, quaestiunc. 3, solut. 1.

Respondeo explicando mentem *Angelici.* Medium, quod extrema conjungit in composito, potest esse duplicis generis. Unum, quod habeat in se entitatem perfectam seu esse proprium, ut calx inter duos lapides et gluten inter duo ligna. Hoc genus medii, cui per prius natura humana conjungatur, non cadit inter extrema unita in incarnatione; et de hoc loquitur *S. Thomas.* Aliud est medium, quod habeat entitatem incompletam et modalem, substantialem vel accidentalem, secundum diversitatem unionum, cujus totum esse est determinare et conjungere formaliter extrema. Hoc autem medium exsistit in Christo atque conjungit naturam humanam cum persona Verbi.

617. THESIS IV. **Unio hypostatica Verbi cum humana natura est supernaturalis.**

1) *Quoad substantiam;* quia excedit omnes naturas creatas earumque exigentias, quatenus per se respicit inmediate personam Verbi, et exsistit per exsistentiam ejusdem. 2) *Quoad modum;* quia modus suae productionis excedit omnes vires naturae creatae [1].

618. THESIS V. **Unio hypostatica est maxima unionum.**

Nota. Magnitudo unionum potest attendi 1) penes ea, quae uniuntur, quatenus sunt magis sibi proportionata et similia; et 2) penes id, in quo extrema uniuntur.

a) Certum est unionem hypostaticam ex parte eorum, quae conjunguntur, non esse omnium unionum maximam, quia extrema hujus unionis, persona scilicet Verbi et humana natura, maxime inter se distant.

b) Ex parte autem ejus, in quo extrema copulantur, unio hypostatica est inter omnes uniones maxima.

Arg. Unio hypostatica facta fuit in una Verbi persona. Persona autem Verbi, utpote simplicissima et actus purus, est aliquid magis unum quam caetera omnia. Hinc unio hypostatica est maxima simpliciter [2]. Ad rem *S. Bernardus:* «Inter omnia, quae recte unum dicuntur, arcem tenet unitas trinitatis, qua tres personae una substantia sunt; secundo loco illa praecellit, qua e converso tres substantiae una in Christo persona sunt» [3].

Ex unione materiae et formae constituitur una natura, cui si adjungas subsistentiam, fit unum suppositum, certe magis unum extensive quam Christus, in quo remanet duplex natura in una persona; sed unitas personae in Christo est major intensive quam aliae uniones, quia simplicior, purior, atque indissolubilior.

619. Corollarium I. *Unio hypostatica etiam in genere doni seu beneficii a Deo collati est omnium maxima.* Ita *Alensis, Gandavensis, Medina, Suarez, Salmanticenses,* etc. [4], contra *Durandum* [5] aliosque paucos.

---

1 Cfr. **Hugon,** *Le mystère de l'Incarnation,* 3.me part., ch. 3, § 2.

2 Cfr. **S. Thomas,** *In III Sent.,* dist. 5, q. 1, a. 1, quaestiunc. 2; **Capreolus,** *In III Sent.,* dist. 5, a. 1, concl. 3; **Medina,** *In III p.,* q. 2, a. 9.

3 *De consideratione,* lib. 5, c. 8; ML **182,** 799.

4 **Alensis,** *III p.,* q. 11, m. 1; et q. 12, m. 1, a. 1; **Gandavensis,** *Quodlib.* 6 q. 6; **Medina,** *In III p.,* q. 4, a. 1, dub. ult.; **Suarez,** *De incarnatione,* disp. 9, sect. 2, n. 3; **Salmanticenses,** *De incarnatione,* disp. 4, n. 69.

5 *In III Sent.,* dist. 2, q. 1, n. 10.

http://www.obrascatolicas.com

Unio hypostatica est beneficium maximum triplici potissimum adspectu: 1) quatenus importat terminum adaequatum incarnationis, scilicet Christum, qui est beneficium inter omnia dona a Deo hominibus collata maximum; 2) quatenus humanam naturam conjungit divinae subsistentiae, qua Christus dicitur *tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit* [1]; 3) quatenus est nexus substantialis extrema conjungens. Ad rem optime *Suarez*: «haec unio, licet in se tantum sit quidam modus creatus, tamen quatenus attingit Deum ipsum in se, et illi intime et substantialiter conjungit naturam creatam, et facit, ut ille, qui est verus homo, sit etiam verus Deus, non per participationem sed personaliter et per essentiam, hac ratione pertinet ad quemdam altiorem ordinem rerum, quam sit ordo naturae vel gratiae adoptionis» [2].

Coroll. II. *Unio hypostatica est pariter in ratione perfectionis omnium perfectionum maxima*, quia arctius quam quaelibet alia perfectio naturam humanam cum Deo conjungit. Gratia sanctificans, quae omnes alias creaturas substantiales et accidentales perfectione superat, nonnisi accidentaliter nos Deo conjungit, dum unio hypostatica copulat naturam humanam cum Deo in esse substantiali personae. Unde *S. Thomas* docet gratiam unionis non esse in genere gratiae habitualis, sed esse «supra omne genus sicut et ipsa divina persona» [3]. Quare, unio hypostatica, ut bene animadvertit *Suarez* [4], non debetur habenti gratiam sanctificantem, bene tamen gratia sanctificans habenti unionem hypostaticam.

620. THESIS VI. **Unio hypostatica est omnino indissolubilis, adeo ut Verbum nunquam dimiserit vel dimissurum sit naturam humanam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* De Jesu Christo Filio Altissimi ait angelus ad Mariam: *Regnabit in domo Jacob in aeternum et regni ejus non erit finis* [5]. Unde Christus dicitur *rex in aeternum;* et juxta Apostolum: *Jesus Christus heri et hodie ipse et in saecula* [6].

2) Concilium Chalcedonense docet Christum in duabus naturis *inseparabiliter esse agnoscendum* [7]. Concilium Toletanum XI ait: «In quo Dei Filio duas credimus esse naturas; unam divinitatis, alteram humanitatis, quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate nec humanitas a divinitate possit aliquando sejungi» [8].

---

1 *Hebr.*, 1, 4.
2 *De incarnatione*, disp. 9, sect. 2, n. 4.
3 **S. Thomas,** *III p.*, q. 7, a. 13 ad 3.
4 *De incarnatione*, disp. 9, sect. 2, n. 4.
5 *Luc.*, 1, 32 sq.
6 *Hebr.*, 13, 8.
7 **Denz-Bannw.**, n. 148.
8 **Denz-Bannw.**, 283.

ARTICULUS VII

DE PRINCIPIO EFFECTIVO INCARNATIONIS

621. Loquimur hic de influxu activo agentis, quo facta est unio hypostatica.

I. Certum est imprimis nullam creaturam nec principaliter nec instrumentaliter effecisse unionem hypostaticam seu conjunctionem humanae naturae cum persona Verbi. Nullibi enim invenitur fundamentum, ut alicui creaturae, vel ipsi Beatae Mariae Virgini, possimus tribuere influxum activum ad peragendam hanc unionem. Unde *S. Thomas* ait: «Conceptio attribuitur Virgini beatae non tanquam principio activo, sed quia ministravit materiam conceptui» [1].

II. *Actio qua humanitas efficienter seu per modum principii activi unita est Verbo, fuit toti Trinitati communis; actus vero, quo natura humana completa est per modum termini, fuit solius Filii.*

Arg. 1) Concilium Lat. IV ait: «Unigenitus Dei Filius Jesus Christus, a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus... viam vitae manifestius demonstravit» [2]. Concilium Toletanum XI: «Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae» [3].

2) *S. Ildefonsus* posuit haec verba in ore angeli: «Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola persona Filii Dei in corpore nascitura carnem adsumet de te» [4].

3) *Theologi* expressius hoc ipsum tradiderunt. *Petrus Lombardus:* «Ipsam tamen carnis adsumptionem Trinitas operata est» [5]. *S. Thomas:* «Adsumptio duo importat, scilicet actum adsumentis et terminum adsumptionis. Actus autem adsumentis procedit ex divina virtute, quae communis est tribus personis; sed terminus adsumptionis est persona... Et ideo, id quod est actionis in adsumptione, commune est tribus personis; sed id, quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personae, quod non alii. Tres enim personae fecerunt, ut humana natura uniretur uni personae Filii» [6].

4) Ratio hujus doctrinae fundatur super illud axioma: «Actiones Dei ad extra sunt toti Trinitati communes».

III. *Terminus* **qui** *seu* **totalis** *actionis adsumptivae est Christus, Deus et homo; terminus* **quo** *seu* **formalis** *ejusdem est probabilius humanitas ut unita Verbo.*

Id quod terminat actionem alicujus potentiae vocatur *terminus*. Si terminet actionem per modum suppositi, dicitur terminus *qui* seu tota-

---

1 *III p.*, q. 33, a. 4 ad 2.
2 Cap. *Firmiter;* **Denz-Bannw.**, 429.
3 **Denz-Bannw,** 284.
4 *Lib. de Virginitate B. M. V.*, c. 1; ML **96,** 58.
5 *III Sent.*, dist. 1, n. 4; ML **192,** 758.
6 *III p.*, q. 3, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

lis. Si eam terminet per modum rationis formalis, quae producitur in objecto, dicitur terminus *quo* seu formalis. Sic album est terminus *qui* actionis pictoris, albedo autem terminus *quo* seu formalis ejusdem.

1) *Prima pars* facile probatur. Terminus enim *qui* cujuslibet actionis est totum concretum, vel compositum quod producitur vel alteratur per actionem. Christus autem, Deus et homo, est compositum resultans ex incarnatione Verbi. Ergo.

2) *Quantum ad secundam partem* divisi sunt auctores: a) *Aliqui* dicunt terminum *quo* actionis adsumptivae esse ipsam personalitatem Verbi ut communicatam humanitati. Ita *Gonet, Philippus a SS. Trinitate* et *Billuart*[1]. b) *Alii* volunt terminum formalem hujus actionis esse modum substantialem unionis. Sic *Suarez* et *Muncunill*[2]. c) *Alii* defendunt terminum *quo* actionis adsumptivae sub nomine productionis esse unionem substantialem, sub nomine vero adsumptionis et incarnationis esse naturam humanam. Ita *Lugo*[3]. d) Probabilius est terminum formalem, de quo loquimur, esse humanitatem ut unitam Verbo, adeo ut humanitas sit terminus formalis, et unio ad Verbum conditio necessaria. Sic *Vazquez, Salmanticenses* et alii[4].

Ratio hujus ultimae sententiae est, quia humanitas ut unita Verbo constituit formaliter terminum totalem actionis adsumptivae, qui est Christus. Ab humanitate enim habet formaliter Christus, quod sit homo, ut album dicitur ab albedine.

ARTICULUS VIII

DE CAUSA MERITORIA INCARNATIONIS

622. Status quaestionis. 1) Meritum est *opus bonum retributione dignum*. Unde causa meritoria dicitur quae suis operibus movet aliquem ad retribuendum.

2) Meritum potest esse *de condigno* et *de congruo*. Meritum *de condigno* importat aequalitatem proportionis cum mercede, adeo ut praemium debeatur operi ex justitia. Meritum *de congruo* non habet aequalitatem proportionis cum mercede, importat tamen proportionem ordinis inferioris, ita ut deceat vel conveniat praemium alicui conferri, non tantum ex misericordia dantis, sed ex bonitate operis.

3) Quaerimus, an Christus vel B. Virgo Maria aut aliqui Sancti Veteris Testamenti meruerint incarnationem Verbi.

623. Error. *Photinus* et alii haeretici censuerunt Christum Dominum primo fuisse purum hominem, et postea per meritum bonae vitae obtinuisse esse Filium Dei (adoptivum)[5].

---

[1] **Gonet,** *De incarnat.*, disp. 6, a. 5; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnationis*, disp. 3, dub. 4; **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 4, a. 3, coroll. 1.

[2] **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 8, sect. 3, n. 13; **Muncunill,** n. 445.

[3] *De incarnat.*, disp. 11, sect. 2, n. 21.

[4] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 19, c. 2; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 5, n. 56.

[5] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 2, a. 11.

624. THESIS I. **Christus Dominus nec «de condigno» nec «de congruo» meruit unionem hypostaticam.**

Arg. Christus non meruit unionem hypostaticam per opera tempore praecedentia incarnationem, nec per opera eam natura praecedentia, nec per opera facta post incarnationem. Ergo.

1) *Non per opera tempore praecedentia*, quia Christus non praecessit tempore incarnationem, sed, sicut diximus, eodem momento, quo anima rationalis unita est corpori, facta est incarnatio Verbi.

2) *Non per opera natura praecedentia*, quia Christus ut suppositum non praecessit natura unionem hypostaticam. Sine supposito autem non datur operatio nec meritum, quia actiones sunt suppositorum. Unde *S. Thomas* ait: «Omnis operatio illius hominis (nempe Christi) subsecuta est unionem»[1]. Et *S. Augustinus:* «Nec ipse (homo Christus), ut tanta unitate Deo vero conjunctus una cum illo persona Filius Dei fieret, ullis est praecedentibus meritis adsecutus»[2].

3) *Nec per merita facta post incarnationem*, quia principium meriti non cadit sub merito, sicut causa efficiens non potest esse effectus sui ipsius sub eodem respectu. Unio autem hypostatica est principium meritorum Christi. Ergo opera subsequentia incarnationem non fuerunt meritoria incarnationis.

Dices. Psalmista loquendo de Christo ait: *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae*[3]. Ergo dilectio justitiae fuit in Christo meritum, ut ungeretur oleo laetitiae, id est, ut vestiretur humanitate.

Resp. Unctio cum oleo laetitiae non significat incarnationem in loco citato, sed infusionem gaudii et exsultationis, summae scilicet beatitudinis[4].

625. Corollarium I. Cum communi theologorum sententia existimo contradictionem implicare, quod Christus meruerit incarnationem sive per merita antecedentia sive per opera consequentia unionem hypostaticam; primo quidem, quia impossibile fuit opera Christi praecedere ipsum Christum seu unionem hypostaticam; et secundo, quia principium essentiale meriti nequit esse praemium ipsius[5].

Coroll. II. *Quoad circumstantias incarnationis* distinguendum est: 1) Christus non meruit circumstantias antecedentes et concomitantes, quae pertinent ad substantiam incarnationis, vel constituunt ejus principium, quia hujusmodi circumstantiae sunt in Christo principium meriti, quod non cadit sub merito; sic non meruit nasci ex Virgine. 2) Meruit tamen circumstantias subsequentes incarnationem et omnes generatim, quae non pertinebant ad substantiam vel principium influens in incarnationem, quia hae circumstantiae non sunt in Christo principium meriti.

---

[1] *III p.*, q. 2, a. 11.

[2] *De Trinitate*, lib. 13, c. 17; ML **42**, 1031.

[3] *Ps.* 44, 8.

[4] Cfr. **Knabenbauer,** *In Ps.* 44, 8; pag. 179.

[5] Cfr. **Capreolus,** *In IV Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 3 ad arg. Henrici contra 2 concl.; **Raynaudus,** *De Christo*, lib. 3, sect. 2, c. 2, n. 183; **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 8, sect. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnat.*, disp. 3, dub. 6.

http://www.obrascatolicas.com

626. THESIS II. **Beata Virgo Maria non meruit nec mereri potuit «de condigno» substantiam incarnationis nec maternitatem divinam; «de congruo» tamen meruit utramque.**

Pars 1.ª Non meruit de condigno substantiam incarnationis.

Arg. Ad meritum *de condigno* requiritur, ut opus adaequet valorem praemii secundum moralem ac prudentem aestimationem. Sed opera B. Mariae Virginis, quantumvis perfecta, nequibant adaequare valorem incarnationis Christi. Ergo. Incarnatio siquidem Christi fuit beneficium infinite aestimabile, dum opera B. M. V. non excesserunt valorem finitum.

Pars 2.ª Non meruit de condigno maternitatem divinam. Ita *S. Bonaventura* [1] et alii communiter contra *Biel* [2].

Arg. Maternitas divina pertinet ad ordinem hypostaticum et fundat beneficium seu donum diversi ordinis quam gratia sanctificans et merita inde exsurgentia. Ergo opera B. M. V., quae habent valorem ex gratia sanctificante, non videntur adaequasse maternitatem divinam.

Meruit tamen *de condigno* «ex gratia sibi data, ut apposite docet *S. Thomas*, illum puritatis et sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei» [3].

Pars 3.ª Meruit de congruo substantiam incarnationis.

Arg. Opera B. M. V. erant laude digna, procedebant ab anima informata gratia et amicitia Dei, praecedebant tempore incarnationem, et ad eam obtinendam ordinata sunt fervida oratione, ut moris erat apud sanctos Veteris Testamenti. Haec autem sufficiebant ad meritum *de congruo*. Unde Auctor operis *ad Annibaldum:* «Beata Virgo non meruit incarnationem, nisi supposita incarnatione facienda; et sic meruit, ut per eam fieret, non quidem merito condigni sed congrui» [4].

Pars 4.ª Meruit de congruo maternitatem divinam.

Arg. 1) Maria Virgo ait in cantico: *Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* [5].

2) *S. Hieronymus:* «Propone tibi beatam Mariam, quae tantae extitit puritatis, ut mater Domini esse mereretur» [6].

3) Ecclesia canit in oratione ad *Salve Regina:* «Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur». Et in cantico *Regina caeli* ait: «Quia quem meruisti portare».

---

1 *In III Sent.*, dist. 4, q. un., a. 3, dub. 3.
2 *In III Sent.*, dist. 4, a. 2, q. 2.
3 *III p.*, q. 2, a. 11 ad 3.
4 *Ad Annibaldum, III Sent.*, dist. 4, q. un., a. 4 ad 3.
5 *Luc.*, 1, 48.
6 *Ep. 22 ad Eustoquium*, n. 38; ML **22**, 422.

627. THESIS III. **Patres justi Veteris Testamenti non meruerunt «de condigno» substantiam incarnationis Verbi, bene tamen «de congruo».**

Pars 1.ª Non meruerunt de condigno.

1) Constat ex verbis Apostoli: *Benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* [1]. Non apparuit *ex operibus justitiae*. Ergo Patres Veteris Testamenti non meruerunt incarnationem Christi ex merito *de condigno*.

2) Valor operum antiquorum Patrum nequibat adaequare valorem incarnationis. Ergo.

Pars 2.ª Meruerunt incarnationem Christi de congruo.

Nota. Hanc doctrinam impugnarunt *Vazquez* et *Lugo* ex antiquis et *Muncunill* ex recentioribus [2]; sed communior ac verior sententia defendit cum *Alensi*, *S. Thoma* et thomistis [3].

1) *S. Thomas* sic loquitur: «Ex congruo tamen meruerunt SS. Patres incarnationem, desiderando et petendo; congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant» [4].

2) Plures Patres Veteris Testamenti, amici Dei per gratiam, executi sunt opera sancta ante incarnationem Christi, eaque saepe direxerunt ad impetrandum adventum Messiae, ut patet ex verbis Isaiae: *Rorate caeli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra et germinet salvatorem*. Hoc autem sufficiebat ad meritum *de congruo*. Ergo.

QUAESTIO XLI

DE PERSONA ADSUMENTE

ARTICULUS I

UTRUM SIT PROPRIUM PERSONAE DIVINAE ADSUMERE NATURAM ALIENAM

628. Status quaestionis. 1) «Adsumere duo importat, scilicet actionem et terminum unionis: dicitur enim adsumere quasi ad se sumere» [5]. Quatenus est actio, denotat operationem principii activi, Trini-

---

1 *Tit.* 3, 4.
2 **Vazquez,** *In III p.*, disp. 22, c. 4; **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 8, sect. 4; **Muncunill,** *De incarnat.*, n. 433.
3 **Alensis,** *III p.*, q. 8, m. 3, a. 2; **S. Thomas,** *III p.*, q. 2, a. 11.
4 *III p.*, q. 2, a. 11.
5 **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 1 ad 2.

http://www.obrascatolicas.com

tatis scilicet personarum, ut de actione unitiva supra dictum est, et supponit prioritate saltem ordinis naturam adsumendam vel complendam; quatenus est terminus unionis, importat personam adsumentem per modum complentis. Unde adsumptio est: *actus Dei ad extra, quo natura creata unitur ad personam divinam ut ad terminum hypostaticum* [1].

2) Duo veniunt hic dilucidanda: a) An persona divina possit adsumere naturam creatam; b) an persona creata possit etiam adsumere naturam alienam.

629. Errores. *Tertullianus* docuit angelos adsumpsisse hypostatice corpora, quibus aliquando apparuerunt hominibus [2]. *Origenes* affirmavit Joannem Baptistam, Malachiam et Aggaeum fuisse angelos incarnatos [3].

630. Placita theologorum. *Ockam, Bachonus, Toletus, Becanus* et alii pauci [4] docuerunt divina virtute fieri potuisse, ut persona creata adsumeret personam alienam.

Valentia [5] putavit nullam personam hucusque creatam posse adsumere naturam alienam, posse tamen a Deo creari personam, cui id competat.

631. THESIS I. **Persona divina potest adsumere naturam alienam.**

Arg. Adsumptio, ut jam diximus, duo importat, actionem ex parte principii et terminum per modum complementi. Utrumque proculdubio potest praestare persona divina. Actionem quidem praestare potest, quia, cum actiones sint suppositorum, efficere competit personae divinae. Terminare etiam valet, quia subsistentia divina, cum sit infinita, non limitatur per naturam propriam quacum identificatur, sed potest etiam complere alienam.

632. THESIS II. **Nulla persona creata vel creabilis potest, etiam de potentia Dei absoluta, adsumere naturam alienam.**

Nota. Probat *Vazquez* [6] id esse impossibile tam ex parte actionis quam ex parte termini. Ex parte quidem actionis, quia nulla persona creata, etiamsi consideretur ut instrumentum divinae potentiae, potest propriam subsistentiam alteri communicare. Ex parte vero termini, quia persona creata limitatur omnino per naturam propriam, quam complet, et nequit esse terminus alterius [7].

Arg. 1) *S. Thomas* ait: «In personam creatam possunt plures naturae concurrere accidentaliter; sicut in persona unius hominis invenitur quantitas et qualitas. Hoc autem est proprium divinae personae *propter ejus infinitatem*, ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter sed secundum subsistentiam» [8].

---

1 Cfr. **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 5, q. 1, concl. 2.
2 *De carne Christi*, c. 6; ML **2,** 808.
3 Apud **S. Hieronymum,** *in Aggaeum*, 1, 13; ML **25,** 1399.
4 **Ockam,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 1, dub. ult. ad 14; **Bachonus,** *In III Sent.*, dist. 3, q. 1; **Toletus,** *In III p.*, q. 3, a. 1; **Becanus,** *De incarnatione*, c. 4, q. 5.
5 *In III p.*, disp. 1, q. 3, p. 6.
6 *In III p.*, disp. 25, cc. 1-2.
7 Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 3, a. 1; **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 5; **Gandavensis,** *Quodl.* 11, q. 10; **Salmant.,** *De incarnatione*, disp. 8, n. 157.
8 *III p.*, q. 3, a. 1 ad 2.

2) *Ex ratione.* a) Subsistentia creata, qua constituitur persona, habet limitationem et speciem a natura, cujus est terminus; quia, cum sit complementum naturae, talis est subsistentia, qualis est natura, quam terminat. Sed impossibile est unam subsistentiam specificari a natura propria et aliena, ex. gr., a natura humana et equina. Ergo.

b) «Si suppositum creatum potest subsistere in duabus naturis, poterit etiam subsistere in infinitis, si essent. Sed hoc expostulat infinitam virtutem. Ergo subsistere in duabus naturis expostulat infinitam virtutem, quae creaturae communicari non potest» [1].

c) Subsistentia creata est quidam modus naturae, ut dilucide probant *Complutenses abbreviati* et *Salmanticenses* [2]. Sed impossibile est modum separari a re modificata vel alteri communicari, sicut sessio Petri non potest ab eo separari et communicari Paulo, adeo ut sit in utroque. Ergo subsistentia vel persona creata non potest terminare naturam alienam. Unde subsistentia dicitur reddere naturam incommunicabilem alteri.

d) Causae formales nequeunt per potentiam Dei extraordinariam mutari a propria earum agendi ratione ad alienam, quia in causis formalibus non currit distinctio potentiae Dei ordinariae et extraordinariae. Sed subsistentia terminat naturam per modum formae. Ergo.

ARTICULUS II

UTRUM CONVENIENTER SOLUS FILIUS HUMANAM NATURAM ADSUMPSERIT

633. THESIS I. **Solus Filius Dei adsumpsit naturam humanam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes ait: *Et Verbum caro factum est* [3]. *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum* [4].

2) In symbolis Apostolorum, Athanasiano, Nicaeno-Cpolitano [5] et aliis expresse dicitur Filium Dei unigenitum incarnatum fuisse.

3) *Ex conciliis.* Concilium *Lateranense* sub Martino I anno 649 ait: «Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem *ipsum unum* sanctae... Trinitatis Deum Verbum e caelo descendisse et incarnatum (fuisse)... condemnatus sit» [6]. Concilium Toletanum XI a. 675: «Tantummodo Filium (Virgo genuit), qui solus naturam nostram in unitate personae suae adsumpsit... Solus... Filius formam servi accepit in singularitate personae» [7].

634. Scholion. Quamvis Pater et Spiritus Sanctus non fuerint in-

---

1 **Medina,** *In III p.*, q. 3, a. 1, concl. 2.
2 **Complutenses abbreviati,** *De generatione*, disp. 15, q. 1, n. 11; **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 8, n. 8 sqq.
3 *Joan.*, 1, 14.
4 *I Joan.*, 4, 9.
5 **Denz-Bannw.,** 6, 40 et 86.
6 *De Trinitate, incarnat.*, can. 2; **Denz-Bannw.,** 255.
7 *Symbolo fidei;* **Denz-Bannw.,** 284.

http://www.obrascatolicas.com

carnati, sunt tamen per concomitantiam praesentes in humanitate Christi. Nam, ut ait *S. Augustinus*, «Filius Verbum caro factum est, non Pater, non Spiritus Sanctus; sed carnem Filii tota Trinitas fecit. Inseparabilia enim sunt opera Trinitatis» [1].

Ratio facile hoc ostendit: 1) Quia, cum una sit trium personarum essentia, omnes tres sunt necessario inseparabiles. 2) Quia, cum operationes Dei ad extra sint toti Trinitati communes, ubi Filius operatur, ibi necessario sunt et operantur Pater et Spiritus Sanctus [2].

635. THESIS II. **Convenientius fuit, ut Filius adsumeret humanam naturam.**

Arg. 1) Incarnatio Verbi facta est, ut homines fierent filii Dei adoptivi. «Et ideo congruum fuit, ut per eum, qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem hujus filiationis secundum adoptionem».

2) «Conveniens fuit, ut per Verbum verae sapientiae homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiae recesserat a Deo» [3]. Vide, si vis, plura apud *Suarez* [4], et supra n. 581.

ARTICULUS III

QUAE SIT RATIO FORMALIS, QUA VERBUM IMMEDIATE TERMINAT HUMANAM NATURAM IN CHRISTO

636. Status quaestionis. Tria sunt in Verbo consideranda, nempe natura divina, subsistentia absoluta et subsistentia relativa.

Compertum est naturam divinam Verbi esse rationem remotam seu radicalem terminandi humanitatem, quia natura divina est prima radix omnium formalitatum, quae Deo conveniunt.

Movetur hic quaestio satis perplexa [5], an ratio proxima et immediata, qua Verbum terminat humanitatem, sit essentia, subsistentia absoluta vel subsistentia relativa.

637. Placita theologorum. 1) *Durandus* [6] existimavit Verbum divinum terminare humanitatem ratione suae essentiae, naturamque divinam per prius et immediatius adsumpsisse naturam humanam.

2) *Alii* volunt Filium Dei terminare humanam naturam per subsistentiam absolutam, prout haec est in Filio et modificatur a personalitate Verbi. Ita *Marsilius*, *Victoria* et *Soto* apud *Medinam* [7].

3) *Alii* docent Verbum terminare humanam naturam Christi ratione

---

1 *Serm.* 213, c. 6; ML **38**, 1063.
2 Cfr. **Vazquez,** *In III p.*, disp. 28, c. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnat.*, disp. 4, dub. 3.
3 **S. Thomas,** *III p.*, q. 3, a. 8.
4 *De incarnat.*, disp. 12, sect. 1, n. 3.
5 *Magister Sententiarum, III Sent.*, dist. 5.
6 *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, n. 8; et dist. 5, q. 1, n. 9.
7 *In III p.*, q. 3, a. 2.

subsistentiae relativae. Ita *Alensis*, *S. Bonaventura*, *Cajetanus*, *Medina*, *Vazquez*, *Suarez*, *Salmanticenses*, *Philippus a SS. Trinitate* et alii [1]

638. THESIS. **Verbum Dei immediate terminavit naturam humanam in Christo per subsistentiam relativam.**

Arg. 1) Concilium Toletanum XI a. 675 ait: «Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati» [2].

2) *Ex SS. Patribus*. *Fulgentius Ferrandus*, diaconus carthaginensis, ajebat: «Deus homo factus naturam sibi adunavit humanam, sed in unitatem personae, quam non habet cum Patre communem, non in unitatem substantiae, quam habet cum Patre communem» [3].

3) *Ex auctoritate S. Thomae:* «Esse terminum adsumptionis non convenit naturae divinae secundum se ipsam, sed ratione personae in qua consideratur. Et ideo primo quidem et propriissime persona dicitur adsumere» [4]. Rursum: «Id, quod est actionis in adsumptione, commune est tribus personis. Sed id, quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personae, quod non alii» [5].

4) *Ex ratione.* Si ratio formalis terminandi humanam naturam esset in Verbo natura divina vel ratio quaedam absoluta, vere diceretur natura incarnata, et non solum Filius, sed etiam Pater et Spiritus Sanctus incarnati fuissent. «Hoc enim est necessarium in illis, quae dicuntur de natura ratione ipsius naturae; non de illis, quae dicuntur de natura ratione personae» [6]. Sed natura divina non potest dici caro facta, ut bene probat *S. Bonaventura* [7], nec Pater et Spiritus Sanctus incarnati fuerunt. Ergo.

ARTICULUS IV

UTRUM VERBUM COMMUNICET HUMANITATI CHRISTI EXSISTENTIAM INCREATAM

639. Status quaestionis. Exsistentia, ut jam diximus in tractatu *de Deo trino*, n. 462, est actualitas rei, seu *actus, quo res ultimo constituitur extra causas et nihil* et respondet quaestioni *an res sit.* Realiter distinguitur ab essentia in rebus creatis, et advenit naturae post subsistentiam [8].

Hic venit quaestio dilucidanda, an humana natura Christi, quae

---

1 **Alensis,** *III p.*, q. 4, m. 1; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 5, a. 1, q. 3; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 3, a. 2; **Medina,** *In III p.*, q. 3, a. 2; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 27, c. 2; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 12, sect. 2; **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 8, n. 42; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnationis*, disp. 4, dub. 4.
2 **Denz-Bannw.,** 284.
3 *Ep. ad Anatolium*, n. 8; ML **67**, 897.
4 *III p.*, q. 3, a. 2.
5 *III p.*, q. 3, a. 4.
6 **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 1 ad 3.
7 *In III Sent.*, dist. 5, a. 1, q. 5.
8 Confer ea quae dicta sunt *De Deo trino*, n. 463.

http://www.obrascatolicas.com

constituitur per animam et corpus, et subsistit per subsistentiam divinam Verbi, accipiat ultimum complementum ponaturve extra causas per exsistentiam creatam sibi propriam, vel per exsistentiam increatam Verbi.

640. Placita theologorum. 1) Plures defendunt humanitatem Christi exsistere exsistentia creata sibi propria et connaturali. Ita *S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, Scotus, Biel, Vazquez, Suarez, Toletus, Franzelin* et *Pesch* [1]. Contrariam sententiam *Tiphanus* vocat periculosam [2].

2) Alii e contra volunt humanam Christi naturam non habere nisi exsistentiam increatam communicatam a Verbo. Ita *S. Thomas, Bachonus, Gandavensis, Capreolus, Ferrariensis, Cajetanus, Banez, Medina, Salmanticenses, Billot, Terrien, Janssens, Van Noort,* etc. [3].

641. THESIS. **Humana Christi natura exsistit unica et increata exsistentia Verbi.**

Arg. 1) In Concilio Cpolitano III lecta et approbata fuit epistola Sophronii, cujus haec sunt verba: «Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis; *in illo itaque et non per semetipsam habuit exsistentiam*» [4]. Scopus quidem Concilii in his verbis fuit declarare humanitatem non fuisse productam ante unionem ad Verbum, sed simul docuit humanam naturam non habuisse exsistentiam per semetipsam.

2) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Damascenus* ait: «Neque enim, ut seorsim subsisteret, Dei Verbi caro condita est, aut praeter Dei Verbi personam alia facta fuit persona; sed, cum in ea subsisteret, facta est potius ενυποστατος, id est, in alio exstans, quam seorsim in se ipsa substans hypostasis» [5]. Porro «proprie enhypostaton est, ait ipse *Damascenus*, aut quod non per se et seorsum subsistit, sed consideratur in hypostasibus, v. g., species sive hominum natura... *Enhypostaton* dicitur natura ea, quae ab alia hypostasi adsumpta, ut in illa exsistat, consecuta est» [6].

3) *Ex auctoritate S. Thomae.* Angelicus Doctor, *III p.*, q. 17, a. 2, docet in Christo esse «unum esse tantum». Ibi autem loquitur non de esse substantiae et personae, quia de unitate substantiae et personae

[1] **S. Albertus M.**, *In III Sent.*, dist. 6, a. 5; **S. Bonaventura**, *In III Sent.*, dist. 5, a. 2, q. 1; **Scotus**, *In III Sent.*, dist. 6, q. 1; **Biel**, *In III Sent.*, dist. 6, q. 2, a. 2, concl. 1; **Vazquez**, *In III p.*, disp. 71, c. 2; **Suarez**, *De incarnat.*, disp. 36, sect. 1; **Toletus**, *In III p.*, q. 17, a. 2; **Franzelin**, *De Verbo incarnato*, th. 34; **Pesch**, *De Verbo incarnato*, n. 106.

[2] *De hypostasi et persona*, c. 36, n. 13.

[3] **S. Thomas**, *III p.*, q. 17, a. 2; **Bachonus**, *In III Sent.*, dist. 7, a. 2; **Gandavensis**, *Quodlib.* 3, q. 2; **Capreolus**, *In III Sent.*, dist. 6, q. un., a. 1; **Ferrariensis**, *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 35; **Cajetanus**, *In III p.*, q. 17, a. 2; **Banez**, *In I p.*, q. 3, a. 4, dub. 1, concl. 5; **Medina**, *In III p.*, q. 17, a. 2; **Salmanticenses**, *De incarnat.*, disp. 8, n. 72; **Billot**, *De Verbo incarnato*, th. 7; **Terrien**, *S. Thomae Aq. O. P. doctrina sincera de unione hypostatica;* **Janssens**, *Summa theol.*, IV, p. 607; **Van Noort**, *De Deo Red.*, n. 51.

[4] Εν αυτω γαρ και ου καθ εαυτην εσχε την υπαρξιν. Cfr. **Labbeus**, t. 6, p. 895.

[5] *De fide orth.*, lib. 3, c. 9; MG **94**, 1017.

[6] *Dialectica*, c. 44; MG **94**, 616.

egit quaestione 2 et 3; neque de unitate naturae, quam in Christo negaverat quaestione 2 et 4; neque de unitate esse completi, qua Christus dicitur unus, quia hanc unitatem tribuit Christo quaestione 17, a. 1; sed de unitate exsistentiae substantialis. Unde hoc unum esse seu exsistentia «personam aut hypostasim consequitur sicut habentem esse» subsistentiae [1].

Id ipsum tradit *Quodlibeto* 9, a. 3, ubi, praemissa doctrina de unitate hypostasis in Christo, docet Christum habere unum tantum esse, utique exsistentiae, de quo addit: «Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cujus integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturae, ideo oportet dicere quod esse substantiale, quod proprie attribuitur supposito, in Christo est unum tantum; habet autem unitatem ex ipso supposito, et non ex naturis» [2].

4) *Ex ratione.* a) Exsistentia substantialis est proprietas personalis; est enim ultimus actus, quo persona constituitur extra causas. Sed proprietates personales non multiplicantur in Christo. Ergo.

b) Impossibile est unum ens terminari duplici exsistentia substantiali, quia exsistentia substantialis est ultima actualitas et perfectio, qua quodlibet ens constituitur extra causas. Sed Christus est unum ens per se. Ergo in Christo non sunt duae exsistentiae substantiales, una creata pro natura humana et altera increata pro persona divina.

c) Primum susceptivum exsistentiae est persona. Unde natura non exsistit ut *quod* sed tantum ut *quo* et radicaliter. Ergo natura humana Christi, quae caret propria personalitate, non habet propriam exsistentiam creatam.

d) Natura terminata per exsistentiam propriam, utpote jam constituta in ultimo actu completo, nequit substantialiter uniri Verbo; unio enim substantialis naturae creatae cum Verbo fit, quando natura est in potentia ad esse, et terminatur per esse divinum tanquam per ultimum complementum [3]. Ergo.

Objicies. Natura humana Christi est creata. Sed quidquid creatum est, habet exsistentiam creatam. Ergo. Ita *Pesch* [4].

Resp.—Dist. min. Quidquid creatum est, habet exsistentiam creatam, si in momento creationis vel generationis sit ens completum per se, vel non adsumatur ab alia persona superiori, **conc.;** si adsumatur a persona superiori, **neg.** Natura autem humana Christi non est suppositum neque ens completum per se, sed pars rei exsistentis, adsumpta a persona Verbi, et nihil obstat, quominus exsistat exsistentia increata.

[1] *III p.*, q. 17, a. 2 ad 1.

[2] *Quodlib.* 9, a. 3.

[3] Cfr. **Medina**, *In III p.*, q. 17, a. 2, concl. 3.

[4] *De Verbo incarnato*, n. 114.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS V

UTRUM DEUS RATIONE SUBSISTENTIAE ABSOLUTAE POSSIT ADSUMERE NATURAM HUMANAM

642. Status quaestionis. 1) Si per impossibile non essent in Deo tres subsistentiae relativae sed una tantum eaque absoluta, proculdubio posset Deus per hanc unicam subsistentiam adsumere naturam creatam, ut omnes facile concedunt.

2) Ostensum est in tractatu *De Deo trino*, n. 580 sqq., naturam divinam, praeintellectam relationibus ac personis, importare subsistentiam absolutam, qua saltem reddatur sui juris, et sit principium operandi, quamvis non incommunicabilis alteri.

3) Quaestio est pure speculativa breviter dilucidanda, an Deus non solum subsistentiis relativis, quas de facto habet, sed etiam subsistentia absoluta, quam ejus natura praeintellecta relationibus et personis importat, possit terminare naturam humanam.

643. Auctorum placita. 1) Negant *Alensis, S. Bonaventura, Toletus*, et alii non pauci [1].

2) Affirmant *S. Thomas, Scotus, Durandus, Biel, omnes thomistae, Suarez* et alii plures [2].

644. THESIS. **Deus ratione subsistentiae absolutae, quam habet praeintellectam relationibus, potest adsumere naturam humanam.**

Arg. Deus ratione subsistentiae absolutae est subsistens ut *quod* et principium operationum, ut dilucide probat *Gandavensis* [3], et constat ex opere creationis, quod efficitur a Deo subsistente absolute. Sed Deus subsistens absolute ut *quod* potest adsumere alienam naturam, quia ratio subsistendi in propria natura potest esse ratio subsistendi in aliena. Ergo. Deus siquidem ratione subsistentiae absolutae est principium operandi, quatenus efficit active adsumptionem, et est subsistens, quatenus potest terminare naturam humanam.

Hoc si fieret, unio necessario se extenderet ad subsistentias relativas, et consequenter non solum Deus, quatenus est communis personis, sed etiam quaelibet persona posset appellari homo. Ita verum esset dicere: *Deus est homo; Pater, Filius et Spiritus est homo*. Ratio est, quia personae divinae non distinguuntur realiter a subsistentia absoluta, et quidquid praedicatur de subsistentia absoluta, praedicatur de personis.

Nullum tamen praedicatum absolutum praeter subsistentiam potest esse in Deo ratio sufficiens ad adsumendam naturam creatam, ut

---

[1] **Alensis,** *III p.*, q. 2, m. 3; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 5, q. 4; **Toletus,** *In III p.*, q. 3, a. 3.

[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 3, a. 3; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, n. 6; **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 4; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3, dub. 4; **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 6, a. 3; **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 3, sect. 1.

[3] *Quodlibeto* 5, q. 8.

communius docent theologi contra *Valentiam* et alios [1], quia adsumere naturam creatam idem est ac conjungere sibi eam in uno subsistente ut *quod*, ita ut utraque natura mutuo de se ipsis et de subsistente in concreto praedicare queat, dicendo: *Deus est homo; homo est Deus*. Nullum autem praedicatum absolutum praeter subsistentiam absolutam potest esse in Deo ratio subsistendi ut *quod*. Unde perfectiones divinae, ut voluntas, misericordia, etc., praecisa subsistentia, nequeunt terminare naturam creatam [2].

ARTICULUS VI

BREVES QUAESTIONES DE PERSONA ADSUMENTE

645. Quaeres 1.° *An quaelibet persona potuerit adsumere naturam humanam.*

Resp. *Affirmative* cum communi sententia. «Adsumptio duo importat, scilicet ipsum actum adsumentis et terminum adsumptionis» [3]. Utrumque autem potest convenire cuilibet ex divinis personis. Actus quidem adsumentis, qui procedit ex virtute divina, aequaliter se habet in omnibus personis, et exercetur ab omnibus; terminus vero adsumptionis est subsistentia, quae facit naturam subsistere ut *quod*. In qualibet autem persona est subsistentia. Ergo [4].

Quaeres 2.° *Utrum una persona divina possit adsumere plures naturas creatas.*

Resp. *Affirmative*. «Hoc fere ab omnibus conceditur, quod una persona divina potest plures naturas humanas adsumere» [5]. Ratio est, quia potentia personae divinae, cum sit infinita, non limitatur nec clauditur in ratione agentis et termini per adsumptionem unius naturae. Unde «sicut Deus potest semper novas creaturas condere, quia ejus potentia per creaturas non exhauritur, ita etiam Filius potest, qualibet natura adsumpta, iterum aliam naturam adsumere, quia potestas adsumendi per naturam adsumptam non terminatur» [6].

Aliqui, praeeunte *Scoto* [7], dixerunt unam personam, puta Filium, si plures humanas naturas adsumpsisset, fore plures homines; sed alii cum *S. Thoma, Cajetano, Medina, Suarez, Lugo*, etc. [8], verius docent in hoc casu personam divinam fore unum hominem.

Hujus secundae sententiae fundamentum est, quia, cum termini numerales applicati terminis absolutis multiplicent tum materiale tum formale rei, ut docent *Complutenses* [9], tres homines significant tria sup-

---

[1] *In III p.*, disp. 1, q. 3, p. 5.

[2] Cfr. **Salmanticenses,** disp. 8, n. 115 sqq.

[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 3, a. 5.

[4] Cfr. **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 1, a. 1, q. 4.

[5] **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 5.

[6] **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 5.

[7] *In III Sent.*, dist. 1, q. 3.

[8] **S. Thomas,** *III p.*, q. 3, a. 7 ad 2; **Cajetanus** et **Medina,** *In III p.*, q. 3, a. 7 ad 2; **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 13, sect. 3; **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 13, sect. 3.

[9] **Complut. abbrev.,** *Inst. ad Logicam*, lib. 2, c. 6.

http://www.obrascatolicas.com

posita habentia tres humanitates. Concreta autem substantiva non multiplicantur sola pluralitate formarum sed pluralitate formarum simul et suppositorum, ut Christus non dicitur duo propter duas naturas, sed unus propter unitatem personae. Ergo una persona divina, accipiens duas naturas humanas, non diceretur plures homines.

«In eo casu, docet dominus *Cajetanus*, quod si ille homo secundum primam naturam vocaretur Christus, et secundum aliam vocaretur Joannes, mortuo Christo, non diceretur mortuus Joannes, diceretur tamen mortuus filius Dei vel Deus. Similiter, vivo Joanne tantum, non diceretur vivere Christus, diceretur tamen Deus vel filius Dei vivere» [1]

Quaeres 3.° *Utrum plures personae possint adsumere unam numero naturam.*

Resp. Negant *Scotus*, *Lugo* [2] et alii [3]. Affirmant communissime theologi cum *S. Thoma* [4].

Sententia affirmativa magis mihi probatur, quia, sicut tres personae subsistunt in una natura divina, ita a pari possunt subsistere in una natura humana. Adsumptio enim in eo consistit, quod humana natura sine personalitate propria sumatur ad personam divinam. «Est autem talis divinarum personarum conditio, quod una earum non excludit aliam a communione ejusdem naturae (sive creatae sive increatae), sed solum a communione ejusdem personae... Ergo non est impossibile divinis personis, ut duae vel tres adsumant unam naturam humanam» [5]. Ut hoc melius intelligas nota cum cl. *Laurentio a S. Theresia* «in hoc distingui subsistentiam divinam a creata, quod divina sit in se subsistens; unde ita terminat naturam, ut non expandat supra illam suum effectum formalem incommunicabilitatis alteri supposito, sed relinquat illam communicabilem; at creata, cum non sit in se subsistens ut *quod*, sed id, quo totum redditur subsistens, expandit et applicat suum effectum formalem supra naturam, ideoque illam reddit alteri cuique supposito incommunicabilem» [6]. Hinc «quaecumque subsistentia divina terminans naturam creatam relinquit eam communicabilem alteri subsistentiae divinae; et consequenter non repugnat, quod a tribus personis divinis immediate adsumatur» [7].

Objicies 1.° Natura finita non potest terminari a pluribus subsistentiis. Sed natura humana est finita. Ergo.

Resp. 1.° Aliqui dicunt naturam non posse connaturaliter pluribus subsistentiis terminari, nisi sit infinita, bene tamen obedientialiter seu secundum capacitatem passivam, quam habet. Ita *Gonet*, *Salmanticenses* et alii [1].

2.° Alii distinguunt: Natura non potest terminari a pluribus subsistentiis, nisi sit infinita, si terminanda sit per identitatem sui cum subsistentiis, **conc.;** si complenda sit per puram terminationem, **neg.**

Utraque solutio est probabilis et satisfacit difficultati.

Obj. 2.° Idem effectus non potest fieri ac dependere a pluribus causis totalibus et adaequatis ejusdem ordinis. Sed si una natura creata adsumeretur a tribus personis divinis, idem effectus, scilicet terminatio unius naturae, fieret ac dependeret a tribus causis adaequatis ejusdem ordinis, nempe a tribus personis. Ergo.

Resp.—Dist. maj. Idem effectus quoad substantiam et quoad modum non potest fieri ac dependere a pluribus causis adaequatis ejusdem ordinis intensive et extensive, **conc.;** idem effectus quoad substantiam sed diversus quoad modum non potest fieri ac dependere a pluribus causis adaequatis quidem intensive sed non extensive, **neg.** Terminare naturam creatam a pluribus personis esset quidem unus et idem effectus quoad substantiam sed multiplex quoad modum, quia aliter terminaretur et fieret incommunicabilis natura humana per Patrem et aliter per Filium. Unde Pater esset causa adaequata intensive et quoad totam substantiam, sed non extensive et quoad omnem modum [2].

Obj. 3.° Si tres personae divinae adsumerent unam numero naturam humanam, non possent dici tres homines, quia unica esset natura humana; nec unus homo, quia essent tres personae. Ergo.

Resp. *Aliqui* respondent hoc in casu fore tres homines *simpliciter*, et unum hominem *secundum quid*. Putant enim unitatem vel pluralitatem concreti petendam esse a supposito non a natura. In casu autem proposito, quamvis esset una natura humana et hac de causa unus homo secundum quid, darentur tamen tria supposita, et consequenter tres homines simpliciter. Ita *Cajetanus* et *Medina* [3].

Alii verius docent in hoc casu tres personas divinas in una natura humana fore unum hominem simpliciter. *S. Thomas* diserte hoc tradit dicens: «Hac positione facta, scilicet, quod tres personae adsumerent unam naturam humanam verum esset dicere quod tres personae essent unus homo propter unam naturam humanam. Sicut nunc verum est dicere, quod tres personae sunt unus Deus propter unam divinam naturam, sic verum esset dicere, quod essent unus homo propter unam naturam humanam. Nec ly *unus* importaret unitatem personae sed unitatem in natura humana» [4].

Fundamentum hujus doctrinae est regula, quam supra innuimus ex *Complutensibus abbreviatis* [5], nempe terminos numerales applicatos nominibus absolutis appellare supra materiale et formale et multiplicare utrumque. Quare, non possunt dici tres homines, tres domus, tres petrae, nisi sint tria supposita et tres naturae, sicut non possunt dici tres dii, quamvis in Deo sint tres personae. Unde, si tres personae adsumerent unam numero naturam humanam, non essent tres homines sed unus homo. Ita *Toletus*, *Laurentius a S. Theresia*, *Salmanticenses* et alii [6].

---

1 **Medina,** *In III p.*, q. 3, a. 7.

2 **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, «Ad quaestionem»; **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 12, sect. 6, n. 81.

3 **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 1, a. 1, q. 3, negat id fieri posse «secundum eum modum quem facit idiomatum communicationem, per quem modum Filius Dei factus est homo». Sed «in hoc non excluditur alius modus adsumptionis», quo tres personae possint «adsumere unum hominem in unitate individui».

4 *III p.*, q. 3, a. 6. Consuli possunt **Alensis,** *III p.*, q. 2, m. 4; **Laurentius a S. Theresia,** controv. 10, n. 55 sqq.; **Becanus,** *De incarnat.*, c. 4, q. 3, concl. 1; **Honoratus del Val,** *De Verbo incarnato*, n. 62.

5 **S. Thomas,** *III p.*, q. 3, a. 6.

6 *Spicilegium theol.*, t. 5, controv. 10, n. 15.

7 Ibid., n. 66.

1 **Gonet,** *De incarnat.*, disp. 8, n. 82; **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 8, n. 145.

2 Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 8, n. 143.

3 *In III p.*, q. 3, a. 6.

4 *III p.*, q. 3, a. 6 ad 1.

5 *Brèves instit. log.*, lib. 2, c. 6, reg. 4.

6 **Toletus,** *In III p.*, q. 3, a. 6; **Laurentius a S. Theresia,** t. 5, controv. 10, n. 87; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 8, n. 153.

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO XLII

DE NATURA ADSUMPTIBILI A VERBO

ARTICULUS I

UTRUM PERSONA CREATA POTUERIT ADSUMI A VERBO

646. Status quaestionis. *Adsumere* proprie loquendo significat *ad se sumere;* id est, terminare aliquod per subsistentiam propriam. Unde adsumptio, de qua loquimur, est unio alicujus rei ad subsistentiam divinam.

Quaeritur, an persona creata possit uniri Verbo in subsistentia divina.

647. THESIS. **Imposibile est personam creatam adsumi ad subsistentiam divinam.**

Arg. 1) Persona creata, utpote constituta per propriam subsistentiam, est ultimo completa in linea substantiali et incommunicabilis alteri. Sed quod ultimo completum est et incommunicabile, non potest denuo divina subsistentia compleri ac terminari. Ergo. Ad rem *S. Thomas:* «Quod adsumitur, trahitur ad aliquid completius, ipsum incompletum exsistens, ut patet ex praedictis; et hoc est contra rationem personae, quae maximam completionem importat» [1].

2) «Quod adsumitur, aliquomodo unitur. Sed persona non unitur personae; quia sic essent duae personae, quod esse non potest, ut supra dictum est; vel una composita ex duabus, quod etiam est impossibile, cum persona pars esse non possit» [2]. Ergo.

ARTICULUS II

UTRUM NATURA CREATA PROPRIAM PERSONALITATEM HABENS POSSIT, RETENTA SUBSISTENTIA, ADSUMI AD SUBSISTENTIAM DIVINAM

648. Status quaestionis. 1) Hic non agitur de adsumptione personae, quam modo diximus esse impossibilem, sed de adsumptione naturae terminatae per propriam subsistentiam.

2) Duplici modo concipi potest hoc fieri: *Primo,* quatenus natura personata, quae adsumitur, exuit in adsumptione propriam subsistentiam, et accipitur a divina; et hoc sensu nihil obstat, quominus natura creata, per propriam personalitatem completa, adsumatur ad subsistentiam divinam. *Secundo,* in quantum natura creata, retenta propria

[1] *In III Sent.*, dist. 5, q. 3, a. 3.
[2] *In III Sent.*, dist. 5, q. 3, a. 3.

subsistentia, adsumitur ad subsistentiam divinam, adeo ut post adsumptionem terminetur duplici subsistentia, creata et increata. Hoc secundo modo procedit quaestio.

649. Placita theologorum. Communi fere consensu docent theologi naturam creatam hoc modo adsumi non posse a Verbo [1].

650. THESIS. **Natura creata retinens propriam subsistentiam nequit adsumi ad subsistentiam divinam.**

Arg. 1) Concilium Cpolitanum II ait: «Si quis... non confitetur Dei Verbum carni secundum subsistentiam unitum esse, et *propter hoc* unam ejus subsistentiam seu unam personam... a. s.» [2]. Concilium his verbis non solum confitetur naturam humanam terminari per subsistentiam Verbi, sed etiam docet *propter hoc* unam evadere subsistentiam.

2) *Ex ratione.* Effectus subsistentiae propriae et subsistentiae alienae sese mutuo excludunt et nequeunt compati in eodem subjecto. Effectus siquidem vel quasi effectus subsistentiae propriae est reddere naturam subsistentem per se non in alio, dum effectus subsistentiae alienae est reddere naturam subsistentem in alio non per se. Haec autem mutuo sese excludunt et compati nequeunt in eodem subjecto. Hinc natura creata retinens propriam subsistentiam importat negationem subsistendi in alio, et nequit adsumi ad subsistentiam divinam.

ARTICULUS III

UTRUM QUAELIBET NATURA SUBSTANTIALIS COMPLETA POTUERIT ADSUMI A VERBO

651. Status quaestionis. Natura substantialis creata potest esse completa vel incompleta. *Completa* importat totam rei essentiam, ut humanitas; et est triplicis generis; nempe pure spiritualis, ut angelus [3]; spiritu et materia composita, ut homo; et pure materialis, constans materia et forma corporea, ut lapis. *Incompleta* est pars alicujus quidditatis, ut materia, forma, caput, cor, etc., quae ordinantur ad aliud, ut cum eo constituant speciem vel individuum.

Natura substantialis creata completur materia et forma in rebus pure materialibus; anima et corpore in homine; actu et potentia in angelis. Unde ad rationem naturae completae non requiritur subsistentia, quae reddit naturam subsistentem in se et incommunicabilem alteri, sed solummodo tota rei essentia.

Quaeritur an quaelibet natura completa possit a Verbo hypostatice adsumi.

[1] Cfr. **Joannes a S. Thoma,** *De incarnat.*, disp. 7, a. 1; **Laurentius a S. Theresia,** t. 5, controv. 11.
[2] *De tribus capitulis,* can. 5; **Denz-Bannw.,** 217.
[3] **Abengabirol** (Avicebron), *Fons vitae,* tr. 4; **Alensis,** *Summa,* p. II, q. 12, 1, et **Scotus,** *De rerum principio,* q. 7, a. 2, n. 13, et q. 8, a. 4, n. 24, docent angelos constare materia et forma. Sed horum opinioni subscribere non possum.

http://www.obrascatolicas.com

652. Placita theologorum. 1) *S. Albertus Magnus* putavit naturam angelicam non esse adsumptibilem a Verbo [1].

2) *Alii* dixerunt naturam inanimatam non potuisse a Verbo adsumi. Ita *Alensis, Gandavensis, Carthusianus* et alii [2].

3) *Alii* fere communiter cum *S. Thoma* et *Scoto* [3] defendunt quamlibet naturam substantialem completam, sive intellectiva sit, sive sensitiva, sive etiam inanimata, posse a Verbo hypostatice adsumi [4].

653. THESIS I. **Quaelibet natura substantialis in esse naturae completa, tum angelica, tum sensitiva, tum inorganica potuit a Verbo hypostatice adsumi.**

Arg. 1) *Auctoritate S. Thomae:* «Potest enim Deus, producendo novam angelicam naturam, copulare eam sibi in unitate personae» [5]. Rursum: «Deus de potentia absoluta creaturam irrationalem adsumere potuit» [6].

2) Natura creata, sive sit angelica, sive sensitiva, sive inorganica, non dicit majorem repugnantiam, ut adsumatur, quam natura humana; quia, cum realiter distinguatur a subsistentia propria, potest terminari ab aliena; nec magis dedecet majestatem divinam adsumptio cujuslibet naturae creatae completae quam adsumptio humanae naturae, quia quaelibet natura creata est physice bona. Unde a morte Christi usque ad ejus resurrectionem Verbum permansit unitum cadaveri inanimato, ut probat *S. Thomas* [7].

654. THESIS II. **Convenientius adsumpta est a Verbo humana natura quam quaelibet alia.**

Arg. 1) *Convenientius adsumpta est humana natura quam natura irrationalis,* quia illa fuit nobilior et reparatione magis indiguit. Unde naturae irrationales, quia ignobiliores, deficiebant, ut ait *S. Bonaventura,* «ab excellentia proprietatis personalis» [8], et quia impeccabiles, non indigebant remedio.

2) *Convenientius adsumpta est humana natura quam angelica* propter duo:

a) *Propter conditionem humanae naturae,* quae, utpote per generationem orta, magis adsimilatur Filio Dei a Patre genito; spiritu et corpore constans, melius repraesentat Deum incarnatum; et, cum sit *microcosmos,* quodam modo totam naturam exhibet.

b) *Propter necessitatem reparationis,* qua homo «*magis indigebat,* quia totus lapsus fuerat; *minus indignus erat,* quia per alium corruerat; *amplius ei proderat,* quia adhuc in malo obstinatus non erat» [9].

---

[1] *In III Sent.*, dist. 2, a. 2.

[2] **Alensis,** *III p.*, q. 2, m. 7; **Gandavensis,** *Quodlib.* 13, q. 5, *Propterea;* **Carthusianus,** *In III Sent.*, dist. 2, q. 2.

[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 4, a. 1; et *In III Sent.*, dist. 2, q. 1, a. 1, quaestiunc. 3; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 2, q. 1, n. 5 sqq.

[4] Cfr. **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnat.*, disp. 4, dub. 5.

[5] **S. Thomas,** *III p.*, q. 4, a. 1 ad 3.

[6] **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 2, q. 1, a. 1, sol. 1 ad 1.

[7] *III p.*, q. 50, a. 2.

[8] *In III Sent.*, dist. 2, a. 1, q. 1.

[9] **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 2, a. 1, q. 2.

655. Scholion. Doctores communiter cum *Suarez* et *Vazquez* [1] defendunt Verbum Dei potuisse adsumere naturam humanam peccatis praecedentibus infectam. Hoc revera non videtur repugnare sanctitati et perfectionibus Dei. Attamen, si ita fecisset, in eodem momento adsumptionis delevisset peccata naturae adsumptae, quia impossibile fuit Christum hominem vocari peccatorem.

ARTICULUS IV

UTRUM ET QUALIS NATURA SUBSTANTIALIS INCOMPLETA POSSIT A VERBO ADSUMI

656. Status quaestionis. Diximus supra naturam substantialem incompletam importare partem alicujus quidditatis, ut materiam, formam, caput, cor, etc., quae una cum alia parte constituit naturam completam. Partes hujusmodi, quae dicuntur naturae incompletae 1) aliae sunt *physicae,* ut materia et forma; 2) aliae *integrales,* ut caro, sanguis, cor, caput, etc.

Dubitatur, an hujusmodi naturae incompletae possint seorsim sine toto adsumi ad subsistentiam divinam, sive quando sunt separatae a toto, sive quandiu sunt eidem unitae.

I. *Impossibile est materiam primam omni forma substantiali destitutam adsumi ad subsistentiam divinam.* Ita fere communiter theologi contra *Suarez* et *Becanum* [2].

Ratio est, quia materia prima, cum sit pura potentia, non potest subsistere separata ab omni forma substantiali, sicut nihil potest esse in re sine actu, ut dilucide probant *Complutenses abbreviati* [3]. Unde *S. Thomas* ait ad rem: «Impossibile est dicere, quod informitas materiae tempore praecesserit vel formationem ipsius vel distinctionem...; dicere igitur materiam praecedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem» [4].

II. *Formae spirituales subsistentes, quae sunt animae rationales, possunt separatae a corpore adsumi ad subsistentiam divinam, non vero formae materiales separatae a materia.* Prima pars est communis, secunda communior contra *Medinam, Alvarez, Suarez, Becanum* et *Mancini* [5].

Prob. 1.ª pars. 1) Anima rationalis est capax subsistentiae, imo habet subsistentiam propriam et est terminus creationis. Haec autem subsistentia potest a Verbo suppleri. Ergo anima rationalis separata a corpore potest adsumi ad subsistentiam divinam.

2) Anima Christi in triduo passionis mansit unita Verbo. Ergo ani-

---

[1] **Suarez,** *De incarnatione,* disp. 33, sect. 2, n. 18; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 61, c. 4, n. 19.

[2] **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 14, sect. 3, n. 2; **Becanus,** *De incarnat.*, c. 5, q. 4, n. 1.

[3] *In lib. Physic.*, disp. 3, q.. 5, n. 25.

[4] *I p.*, q. 66, a. 1.

[5] **Medina,** *In III p.*, q. 4, a. 1, dub. 1; **Alvarez,** *De incarnatione,* disp. 22, concl. 4; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 14, sect. 3, n. 5; **Becanus,** *De incarnat.*, c. 5 q. 4, n. 2; **Mancini,** *De incarnat.*, q. 7, a. 3.

http://www.obrascatolicas.com

ma rationalis separata a corpore est adsumptibilis ad subsistentiam divinam.

Prob. 2.ª pars. Quae nequeunt habere subsistentiam propriam, non possunt terminari per subsistentiam alienam, quia ab intrinseco incapacia sunt ad subsistendum. Ubi enim non est possibilis subsistentia propria nequit subrogari aliena. Formae autem corporeae seu materiales, utpote ab intrinseco natae ad subsistendum in toto, nequeunt habere subsistentiam propriam. Ergo.

III. *Naturae incompletae integrales, separatae a toto, possunt proculdubio adsumi ad subsistentiam divinam.* Est communis.

Arg. Naturae incompletae integrales, quando sunt separatae a toto, habent subsistentiam propriam, quia, ut ait *Angelicus*, «separatio dat utrique partium totalitatem» [1]. Subsistentia autem propria creaturarum potest suppleri a Verbo. Unde sanguis Christi in triduo passionis remansit hypostatice unita Verbo Dei. Ergo.

IV. *Nulla natura incompleta, sive sit physica, sive integralis, nec ipsa anima rationalis, dum est unita ad totum, potest adsumi a Verbo, aliis partibus non adsumptis.* Ita verius et communius doctores contra *Suarez* [2].

Arg. Impossibile est, ut partes constituentes totum, quandiu exsistunt in composito, subsistant propriis subsistentiis, sed oportet eas vel subsistere per subsistentiam totius, ut contingit in partibus integralibus, vel totum subsistere per subsistentiam alicujus partis, ut accidit in homine, qui subsistit per subsistentiam animae rationalis. Quare caput subsistit in cane per subsistentiam totius canis, et corpus in homine per subsistentiam animae rationalis. Unde subsistentia divina nequit adsumere partem compositi, quin simul adsumat totum compositum.

Si igitur Verbum adsumeret animam rationalem in corpore Petri exsistentem, subsistentia Verbi necessario terminaret totum Petrum, omnesque ejus partes adsumeret.

657. Corollarium. Ex his facile consequitur contra *Biel* [3] et alios nullam naturam accidentalem posse immediate adsumi ad subsistentiam divinam [4]. Ratio est, quia ea, quae immediate terminantur per aliquam subsistentiam, subsistunt per se independenter a subjecto. Proprium vero naturae accidentalis est inhaerere subjecto. Impossibile autem est aliquid subsistere per se et simul inhaerere subjecto. Ergo [5].

Accidentia tamen mediante substantia, cui insunt, possunt adsumi a Verbo, et de facto adsumpta sunt in Christo.

---

1 *In III Sent.*, dist. 5, q. 3, a. 3 ad 3.
2 *De incarnatione*, disp. 14, sect. 3.
3 *In III Sent.*, dist. 1, q. 2, a. 2, concl. 3.
4 Vide **Laurentium a S. Theresia**, t. 5, controv. II, § 1, n. 6.
5 Cfr. **Joannes a S. Thoma**, *De incarnat.*, disp. 7, a. 3, *Sequitur secundo.*

QUAESTIO XLIII

DE NATURA ADSUMPTA A VERBO DEI

ARTICULUS I

UTRUM VERBUM DEI ADSUMPSERIT VERUM CORPUS HUMANUM ET ANIMAM RATIONALEM

658. Status quaestionis. Christus est verus Deus et verus homo, ut supra demonstratum est, quatenus secunda persona SS. Trinitatis, verus Deus, adsumpsit humanam naturam integram.

Porro natura humana constituitur corpore terreno et anima rationali. Unde, probata jam veritate adsumptionis humanae naturae a Verbo, disserendum est singillatim de adsumptione corporis et animae.

659. Errores. 1) *De corpore Christi:*

a) *Docetae* seu *phantasiastae* cum Basilide, Marcione, manichaeis, etc., defenderunt Verbum Dei non adsumpsisse verum corpus sed apparens [1].

b) *Valentinus* in Aegypto, Romae et Cypro (saec. II), *Priscillianus* in Hispania (saec. IV) et anabaptistae in Germania (saec. XVI) dixerunt Christum Dominum attulisse de caelo corpus aethereum et cum eo per Mariam Virginem quasi per canalem transiisse [2].

2) *De anima Christi:*

a) «Posuit *Arius*, verba sunt *Angelici Doctoris*, quod in Christo non fuit anima, sed quod solum carnem adsumpsit, cui divinitas loco animae fuit» [3].

b) *Apollinaris*, laodicensis episcopus, contendit primo Verbum Dei non adsumpsisse animam; sed postea, testimoniis S. Scripturae convictus, dixit non adsumpsisse animam rationalem (ψυχὴ λογική), sed ad summum animam sensitivam (ψυχὴ ἄλογος) [4], adeo ut «Verbum Dei fuerit illi animae loco intellectus et mentis» [5].

660. THESIS. **Christus est verus homo, quia Verbum adsumpsit** 1) **verum corpus humanum;** 2) **in thalamo beatae Mariae Virginis formatum, et** 3) **veram animam rationalem.**

I. *In genere.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Christus est homo juxta illud Apostoli: *Unus est Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* [6]. Homo autem constat corpore et anima rationali. Ergo.

b) Christus in S. Scriptura saepe vocatur *Filius hominis*. Haec

---

1 Cfr. **Hergenröther**, *Hist. de la Igl.*, ep. 1, per. 1, n. 133 sqq.
2 Cfr. **Muncunill**, *De incarnat.*, n. 139.
3 *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 32.
4 Cfr. *The Century Dictionary and Cyclopedia*, v. Apollinarian II.
5 **S. Thomas**, *Contra Gentiles*, lib. 4, n. 33.
6 *I Tim.*, 2, 5.

http://www.obrascatolicas.com

autem expressio significat Christum esse Messiam, Deum simul et hominem [1].

2) *Ex Concilio Viennensi.* «Aperte cum sancta Matre Ecclesia confitemur unigenitum Dei Filium... partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus ipse in se verus Deus exsistens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem, *ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem,* adsumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suae hypostasis et personae» [2].

3) *S. Irenaeus* vanos vocat eos, «qui putative dicunt eum (Christum) apparuisse» [3]. Et juxta *S. Athanasium* Christus dicendus est «perfectus Deus et perfectus homo» [4].

II. *Per partes.*

Pars 1.ª Verbum adsumpsit verum corpus humanum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes ait: *Et Verbum caro factum est* [5]. Et Dominus noster Jesus Christus per Lucam: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* [6]: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum* [7].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus» [8]. Ergo Christus adsumpsit verum corpus.

3) *Ex ratione theologica.* a) Verbum adsumpsit humanam naturam integram, ad quam pertinet corpus humanum. b) Christus esurivit, sitivit, passus est. Haec autem in corpore phantastico verificari non potuerunt. Ergo.

Pars 2.ª Corpus Christi formatum est in thalamo et ex substantia beatae Mariae Virginis.

Arg. 1) Angelus ait beatae Mariae Virgini: *Ecce concipies in utero et paries filium* [9]. Et Apostolus: *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege* [10]. Quod exponit *Tertullianus* dicens: «Factum autem dicendo, *et Verbum caro factum est,* consignavit, et carnis veritatem ex Virgine factae adseveravit» [11]. *S. Beda:* «Conceptus ex utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne» [12]

1. Cfr. **Rose,** «Revue biblique», 1900, p. 172 sq.; **Knabenbauer,** *Comment. in Matth.*, 8, 20; pag. 335.
2. **Denz-Bannw.,** 480.
3. *Adv. haer.*, lib. 5, c. 1, n. 2; MG **7,** 1121.
4. *Contra Apollinar.*, lib. 1, n. 16; MG **26,** 1122.
5. *Joan.*, 1, 14.
6. *Luc.*, 24, 39.
7. *Matth.*, 26, 26.
8. *De div. quaest.* 83, q. 14; ML **40,** 14.
9. *Luc.*, 1, 31.
10. *Gal.*, 4, 4.
11. *De carne Christi*, c. 20; ML **2,** 831.
12. *In Luc.*, lib. 4, c. 11; ML **92,** 480.

2) Apud S. Matthaeum dicitur: *Jacob genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus* [1]. Quod exponens ait *S. Thomas:* «Non autem... ex ea natus diceretur, si solum per eam sicut per fistulam transiisset, nihil ex ea adsumens. Ex ea igitur corpus adsumpsit» [2].

Pars 3.ª Verbum in incarnatione adsumpsit animam rationalem.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Dominus ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem* [3].—*Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* [4].

b) Christus didicit obedientiam [5], exercuit humilitatem [6], precatus est Deum [7], gratias egit Patri suo [8], aliaque patravit, quae non sunt nisi actus animae rationalis.

2) *Ex traditione.* In formula «Libellus in modum symboli» haec definita sunt: «Si quis dixerit vel crediderit carnem tantum sine anima a Filio Dei fuisse susceptam, a. s.» [9]. *Concilium Chalcedonense* confitetur Jesum Christum esse «perfectum in humanitate... ex anima rationali et corpore» [10]. Et Patres *Concilii Cpolitani I* ad Damasum Papam scribentes profitentur Christum in tempore factum fuisse perfectum hominem «nec animae nec mentis expertem» [11].

3) *Ex ratione.* Christus, cum esset verus homo, habuit necessario formam substantialem. Verbum autem non potuit esse forma substantialis compositi, quia nequit in compositionem aliorum venire. Ergo habuit animam rationalem, formam substantialem corporis [12].

661. Scholion. Discutiendum est hic breviter, an duae substantiae, divina et humana, vel tres substantiae, divinitas scilicet corpus et anima, dicendae sint in Christo.

Resp. Utrumque saepe docuerunt auctores [13]. Patres *Concilii Toletani XV* dixerunt: «Natura divina humanae sociata naturae possunt et tres propriae et duae propriae appellari substantiae» [14]. Patres e contra *Concilii Francofordiensis* noluerunt admittere tres substantias in Christo [15].

Uterque dicendi modus potest, ut reor, salvari, distinguendo inter substantiam completam et incompletam. Si loquamur de substantiis incompletis, tres substantiae sunt in Christo, natura scilicet divina, cor-

1. *Matth.*, 1, 16.
2. *Contra Gent.*, lib. 4, c. 30. «Amplius».
3. *Matth.*, 26, 38.
4. *Luc.*, 23, 46.
5. *Hebr.*, 5, 8.
6. *Matth.*, 11, 29.
7. *Matth.*, 26, 42.
8. *Joann.*, 11, 41.
9. **Denz-Bannw.,** 25.
10. **Denz-Bannw.,** 148.
11. **Theodoretus,** *Hist. eccl.*, lib. 5, c. 9; MG **82,** 1215.
12. Cfr. **S. Thomas,** *Contra Gentiles*, lib. 4, c. 32.
13. Vide Patres, si lubet, apud **Vazquez,** *In III p.*, disp. 37, cc. 2 et 3.
14. **Denz-Bannw.,** 295.
15. **Denz-Bannw.,** 312.

http://www.obrascatolicas.com

pus et anima. Sed, si loquamur de substantiis completis, dicendae sunt duae substantiae, una divina omnino simplex et altera humana composita ex anima et corpore.

Usus tamen fert, ut nomen substantiae tribuatur naturis completis, et idcirco rectius «consuetudo ecclesiastica solet in Christo duas substantias nominare, Dei videlicet et hominis» [1].

ARTICULUS II

DE ADSUMPTIONE PARTIUM

662. Quaeres 1.° *An Verbum adsumpserit partes integrales humani corporis.*

Resp. Omnes partes humani corporis, quae informantur ab anima et vivunt aliquo gradu, adsumptae fuerunt a Verbo. Ratio est, quia Verbum adsumpsit humanam naturam integram. Quae autem vivunt in homine, pertinent ad integritatem humanae naturae. Unde carnes et ossa, ungues, dentes et capilli hypostatice unita sunt Verbo Dei [2].

E contra, partes, quae non informantur ab anima, sed solum adhaerent corpori, ut sunt lacrimae, sudor, saliva, etc., non fuerunt a Verbo Dei adsumptae, sed substiterunt in Christo sicut in aliis hominibus per subsistentiam propriam [3].

Quaeres 2.° *An sanguis adsumptus fuerit a Verbo.*

Resp. 1) *Durandus* [4] cum aliis paucis negavit Verbum adsumpsisse sanguinem, eo quod sanguis non pertineret ad identitatem suppositi Christi.

2) *Alii* docent sanguinem naturalem fuisse in Christo hypostatice unitum Verbo, non vero sanguinem nutrimentalem, qui est parum decoctus ac depuratus. Ita *Salmanticenses* [5] et plures thomistae.

3) *Alii* negant hanc distinctionem inter sanguinem naturalem et nutrimentalem, et simpliciter adserunt Verbum adsumpsisse sanguinem.

Propositio. *Verbum Dei in incarnatione adsumpsit sanguinem.*

Ita communiter theologi. Contrariam sententiam *Capreolus* vocat *erroneam et haereticalem* [6], Medina *magnum et intolerabilem errorem* [7], et Laurentius a S. Theresia *temerariam et errori proximam* [8].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem* [9]. Unde

[1] *Concil. Francofordiense*, De Christo Filio Dei naturali. **Denz-Bannw.**, 312.
[2] Gravissimus **Vazquez** existimat «neque ungues neque capillos unitos fuisse hypostatice Deo, eo quod non vivant neque ad veritatem naturae sed ad ornatum illius solum pertineant». *In III p.*, disp. 36, c. 7, n. 34. Verius tamen puto ungues et capillos in homine vivere vita vegetativa, et in Christo uniri hypostatice Verbo Dei. Cfr. **S. Thomas,** *In IV Sent.*, dist. 44, q. 1, a. 2, quaestiunc. 5, sol. 2.
[3] Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** tom. 5, controv. 11, n. 62.
[4] *In IV Sent.*, dist. 10, q. 1, n. 19.
[5] *De incarnat.*, disp. 10, n. 20.
[6] *In IV Sent.*, dist. 11, q. 1, a. 3 ad 5, contra 1 concl.
[7] *In III p.*, q. 5, a. 2.
[8] *Spicil. theol.*, t. 5, controv. 11, n. 54.
[9] *Hebr.*, 2, 14.

Christus eodem modo, quo adsumpsit carnem, participavit et sanguinem. Sed carnem adsumpsit hypostatice, ut omnes norunt. Ergo et sanguinem.

2) *Ex traditione.* a) In epistola *S. Cyrilli Alex.*, approbata a Concilio Chalcedonensi, dicitur: «Verbum porro factum esse carnem nihil aliud est, nisi similiter ac nos carne et sanguine participasse» [1]. Iterum *S. Cyrillus:* «Confiteamur enim, quod Deus (Verbum) est in carne et sanguine» [2].

b) Clemens VI docuit Christum in ara crucis «non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium... effudisse» [3]. Sanguis autem non sufficiebat pro redemptione generis humani nisi per suam unionem hypostaticam ad Verbum. Ergo. Huc veniunt illa verba S. Joannis: *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato* [4].

Quaeres 3.° *An sanguis Christi naturalis in triduo passionis manserit hypostatice Verbo unitus.*

Resp. Non sine aestu agitata fuit haec quaestio saeculo XV. Theologi dominicani affirmabant sanguinem Christi naturalem in triduo passionis fuisse hypostatice Verbo unitum, dum franciscani, agente Gulielmo Vorilong, id strenue negabant. Res delata ad Romanum Pontificem Pium II subjecta est studio Cardinalium, sed nunquam fuit authentice definita [5].

Dominicanorum tamen sententia affirmans paulatim evasit communis, et hodie videtur tenenda propter rationes sequentes.

1) Verbum in triduo passionis fuit hypostatice unitum corpori Christi, quia in symbolo Apostolorum Christus dicitur *sepultus* propter sepulturam corporis. Ergo pariter fuit unitum ejus sanguini. Cur enim dicatur Verbum illo tempore fuisse unitum corpori et non sanguini Christi?

2) Juxta axioma commune desumptum a S. Joanne Damasceno, *Verbum, quod semel adsumpsit, nunquam dimisit* [6]. Sanguinem autem naturalem vere adsumpsit Verbum. Ergo in triduo passionis illum non dimisit.

663. Corollarium. Christus in resurrectione readsumpsit totum sanguinem naturalem, qui erat necessarius ad substantialem ejus integritatem, quia Jesus Christus integer resurrexit. Ad rem *S. Thomas:* «Totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humanae naturae pertineat, in corpore Christi resurrexit; et eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem et integritatem humanae naturae pertinentibus» [7].

[1] Apud **Mansi,** t. 6, 664.
[2] Ibid.
[3] Bulla «Unigenitus Dei Filius», 25 Jan. 1343; **Denz-Bannw.**, 550.
[4] *I Joan.*, 1, 7.
[5] Prohibuit Pontifex a. 1464, ne in posterum de hac quaestione disputaretur **Denz-Bannw.**, 718.
[6] *De fide orth.*, lib. 3, c. 27; MG **94**, 1098.
[7] *III p.*, q. 54, a. 2 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

664. Scholion I. *De guttulis sanguinis Christi*, quae conservari ac venerari dicuntur in terris, non una est doctorum explicatio.

1) *Valentia* [1] defendit illas guttulas sanguinis Christi esse actu hypostatice unitas Verbo. Sed hoc dictum esse videtur sine fundamento, et hodie rejicitur ab omnibus theologis.

2) *Alii* censent praefatas particulas, quae in terris visuntur, non fluxisse e corpore Christi, sed ex imaginibus vel hostiis consecratis quae ab haereticis et judaeis percussae sunt. «Sanguis autem ille, ait *S. Thomas*, qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa» [2]. Et martyrologium romanum die 9 Novembris refert ex imagine crucifixi Beryti a judaeis percussa fluxisse sanguinis copiam et asportatam esse ad varias ecclesias.

Haec explicatio placet, si referatur ad aliquas sanguinis guttulas, sed difficulter extendi potest ad omnes guttas, quae reperiuntur in diversis terrae partibus.

3) *Alii* contendunt sanguinem Christi, qui visitur in linteis, thecis, etc., non esse sanguinem naturalem Christi, sed sanguinem nutrimentalem, quem dicunt non fuisse adsumptum a Verbo. Ita *Salmanticenses* [3].

Haec quoque sententia defendi potest, si loquamur de aliquibus guttulis in particulari, sed non bene intelligitur, quomodo facta fuerit separatio inter sanguinem naturalem et nutrimentalem, adeo ut solus naturalis collectus fuerit a Christo, relicto nutrimentali, ubi praesertim uterque simul effusus est.

4) *Alii* denique docent omnem quidem sanguinem naturalem, qui ad integritatem corporis Christi requirebatur, adeoque moraliter totum, readsumptum fuisse, sed non ita totum, ut non manserit minutissima aliqua pars ad integritatem corporis Christi non necessaria. Idcirco axioma: *Quod Verbum semel adsumpsit, nunquam dimisit*, intelligunt de integritate morali non physica, dicentes sanguinem moraliter totum mansisse Verbo unitum, quamvis relictae fuerint aliquae particulae integritati corporis non necessariae. Ita *Laurentius a S. Theresia*, *Billuart* et alii [4].

Haec sententia prae omnibus mihi arridet, quia satisfacit tum exigentiis theologiae tum pietati fidelium. Id ipsum dicendum videtur de praeputio, sanguine effuso in circumcisione et fortasse pluries in vita, quae esto unita fuerint hypostatice Verbo, dum erant in corpore, post separationem tamen dimissa fuerunt.

Scholion II. *De statu ac conditione naturae adsumptae.* Voluerunt aliqui cum *Vazquez* [5], naturam humanam Christi hypostatice unitam Verbo habere appetitum innatum per modum desiderii ad subsistentiam humanam sibi connaturalem, sed refutantur ab aliis.

[1] *In III p.*, disp. 1, q. 5, p. 1 ad 3.
[2] *III p.*, q. 54, a. 2 ad 3.
[3] *De incarnatione*, disp. 10, n. 43.
[4] **Laurentius a S. Theresia,** *Spicil. theol., de incarnatione*, controv. 11, n. 75; **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 7, a. 2, resp. ad obj. 2.
[5] *In III p.*, disp. 34, c. 2.

Appetitus innatus est *propensio sive inclinatio a Deo rebus indita, qua absque praevia cognitione tendunt in propriam perfectionem* [1]. Non est qualitas a rebus distincta, sed ipsae res, quatenus intrinsece tendunt in propriam perfectionem, dicuntur habere appetitum innatum. Importat itaque in recto entitatem rei, in obliquo autem ordinem et inclinationem ad perfectionem. Hic ordo seu inclinatio manifestatur dupliciter, per modum scilicet desiderii, cum perfectio non habetur, et per modum fruitionis et complacentiae, cum illa possidetur.

Multo probabilius mihi videtur naturam humanam a Verbo adsumptam non habere appetitum innatum per modum desiderii ad subsistentiam propriam sibi connaturalem. Natura siquidem humana Christi terminata est ac completa per subsistentiam divinam, adeo ut omnem perfectionem subsistentiae propriae plenissime possideat eminentiori modo. Unde, completa cum sit in ratione termini, nullam quantum ad hoc patitur indigentiam aut violentiam. Ergo non appetit subsistentiam propriam [2].

QUAESTIO XLIV

DE ORDINE ADSUMPTIONIS

ARTICULUS UNICUS

AN VERBUM PRIUS ADSUMPSERIT PARTES HUMANAE NATURAE, QUAM TOTAM NATURAM

665. Status quaestionis. 1) Ordo, quantum ad praesens attinet, idem est ac prioritas, et potest esse *temporis* vel *naturae*. Prioritas *temporis* attenditur penes durationem, et locum habet, quando unum praecedit aliud tempore, ut mane est prius quam vespere. Prioritas *naturae* importat ordinem causae ad effectum in aliquo genere causarum. Unde quaelibet causa est natura prior suo effectu [3]. «Ad prioritatem naturae revocatur prioritas dignitatis, secundum quod unum est nobilius alio; quia nobilius induit modum causae, finis et exemplaris, respectu alterius ignobilioris» [4].

2) Prioritas iterum potest considerari a) *secundum ordinem intentionis* seu secundum finem operantis, quatenus unum cadit in intentionem agentis prius quam aliud; et b) *secundum ordinem executionis* seu secundum finem operis, quatenus unum prius efficitur quam aliud.

3) Certum est Verbum divinum secundum ordinem intentionis prius adsumpsisse totam naturam quam partes, quia «secundum intentionem facientis prius est completum quam incompletum, et per conse-

[1] **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 9, n. 77; et **Complutenses abbrev.,** *I Phys.*, disp. 3, q. 7, in principio.
[2] Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** *De incarnat.*, controv. 3, n. 23.
[3] Cfr. **Complutenses abbrev.,** *Physic. 2*, disp. 8, q. 2.
[4] **Salmanticenses,** *De incarnatione*, q. 6, a. 2, comment. n. 1.

http://www.obrascatolicas.com

quens totum quam partes»[1] humanae naturae. Certe intentio Dei in hoc mysterio prius ferebatur ad totum quam ad ejus partes.

4) Difficultas est de ordine executionis, et quaeritur, an Verbum Dei revera prius tempore vel saltem natura adsumpserit partes humanitatis quam totam naturam, et unam partem prius quam alteram.

666. Errores. 1) *Origenes* docuit animam Christi fuisse cum aliis animabus hominum longe ante corpora creatam, Verboque fuisse unitam prius tempore quam fieret incarnatio[2].

2) *Durandus*[3] e contra negavit omnem prioritatem etiam naturae in adsumptione partium humanitatis, ex eo motus, quod Verbum adsumpserit partes humanae naturae, non quatenus plures sunt, sed quatenus unum constituunt. Putavit autem in his, quae unum constituunt, non posse servari prioritatem naturae.

667. Placita theologorum. 1) Omnes generatim theologi, excepto *Durando*, admittunt prioritatem naturae, non temporis, in adsumptione partium, et defendunt unam partem humanae naturae prius adsumptam fuisse a Verbo quam aliam, sed non conveniunt in adsignando ordine adsumptionis.

2) *Nonnulli* dicunt corpus et animam in ordine executionis prius natura unita fuisse Verbo quam inter se, et quidem prius corpus quam animam. Ita *Suarez*, *Wirceburgenses* et alii[4].

3) *Alii* censent humanitatem prius natura fuisse adsumptam ut *quod* quam ejus partes, licet partes prius fuerint adsumptae ut *quo*. Ita *Vazquez*[5] et alii non pauci.

4) *Alii* existimant corpus Christi non fuisse a Verbo adsumptum prius natura quam naturam humanam, bene tamen animam rationalem, adeo ut anima prius natura adsumpta fuerit quam uniretur corpori, et pro posteriori ad unionem animae Verbo et corpori adsumpta fuerit humanitas. Ita *Salmanticenses*[6] et plures thomistae.

668. THESIS I. **Formatio fetus ex sanguine B. M. V., creatio infusioque animae rationalis ac inde consequens generatio et unio Verbi ad humanam naturam ejusque partes fuerunt simul tempore.**

Arg. *Vigilius* Papa hoc expresse declaravit dicens: *Si quis dicit aut sentit Domini animam prius exstitisse atque unitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem et generationem ex Virgine, a. s.—Si quis dicit aut sentit primum formatum esse corpus Domini nostri Jesu Christi in utero beatae Virginis ac postea unitum ei esse Deum Verbum et animam, utpote quae ante fuisset, a. s.*[7].

Idem definitum est a Concilio Cpolitano III[8]. Unde *S. Gregorius Nazianzenus* ait: «Si quis formatum hominem fuisse Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est»[9].

---

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 6, a. 5.
[2] Περὶ ἀρχῶν, lib. 2, c. 6, n. 3; MG **11,** 211. Cfr. **Petrus Daniel Huetius,** *Origeniana*, lib. 2, c. 2, q. 3, n. 4; MG **17,** 802.
[3] *In III Sent.*, dist. 2, q. 2, nn. 11-12.
[4] **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 17, sect. 1-3; **Wirceburgenses,** diss. 3, n. 310.
[5] *In III p.*, disp. 39, c. 3.
[6] **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 11, n. 4 sqq.
[7] **Denz-Bannw.,** 204-205.
[8] *Act.* 11, apud **Labbé,** t. 6, p. 864.
[9] *Ep. 101 ad Cledonium;* MG **37,** 177.

Veteres theologi concludebant corpus Christi statim ab initio fuisse ita organisatum, ut habuerit distinctionem membrorum[1]. Cum enim constaret ex S. Scriptura Verbum incarnatum fuisse ab ipso momento annuntiationis, et opinio ferret corpus humanum non informari anima rationali, quousque esset omnibus membris distinctum, scilicet post dies 40 vel 80 a conceptione juxta computum aristotelicum, censuerunt veteres corpus Christi statim ab initio miraculose membris ornatum fuisse, et anima rationali informatum, ut illico incarnatio fieret. Sed psychologia hodierna probabilius contra aliam probabilem etiam sententiam tenet fetum humanum ab ipsa ejus conceptione per animam rationalem informari. Corpus autem Christi, quantum ad hoc, non differt ab aliis humanis fetibus, et videtur ipsum statim ab initio informatum fuisse anima rationali, quae a Deo creata fuit in ipso momento infusionis[2]. Simul autem ac corpus et anima jungebantur, Verbum divinum adsumpsit humanam naturam. Unde Christus, ex quo facta est incarnatio Verbi per influxum activum Trinitatis, fuit verus Deus et verus homo, habens humanam naturam, anima et corpore constitutam.

669. THESIS II. **Verbum adsumpsit primo prioritate naturae animam rationalem, et signo posteriori, cum anima unita est corpori, naturam humanam.**

Ratio est, quia, cum Verbum suppleat in Christo munus subsistentiae creatae, illa pars adsumpta est prius natura a Verbo, quae est ratio subsistendi in homine. Sed anima rationalis prioritate naturae subsistens unitur corpori et per hanc unionem confert subsistentiam homini. Ergo Verbum adsumpsit prius prioritate naturae animam rationalem, et signo posteriori, cum anima unita est corpori, adsumpsit naturam humanam.

QUAESTIO XLV

DE GRATIA CHRISTI HOMINIS

670. 1) Hactenus explicuimus convenientiam, necessitatem, causas et exsistentiam incarnationis Verbi; necnon ipsam unionem hypostaticam, personam adsumentem atque naturam adsumptam. Nunc autem disserendum est de coadsumptis a Verbo, quorum alia sunt perfectiones, scilicet gratia, scientia et potentia, alia vocantur defectus, scilicet limitationes corporis et animae. De omnibus agendum est per ordinem, et primo de gratia.

2) Gratia sanctificans, ut jam diximus, est participatio divinae naturae, seu donum supernaturale a Deo creatum et infusum animae, quo efficimur amici Dei et haeredes regni caelestis.

3) Duplex gratia potuit esse in Christo, una *substantialis* propter unionem naturae humanae ad personam Verbi, et alia *accidentalis* pro-

---

[1] Cfr. **Suarez,** *De mysteriis vitae Christi*, disp. 11, sect. 2.
[2] Cfr. *De Deo creatore*, n. 743.

http://www.obrascatolicas.com

pter receptionem doni creati in anima. Haec gratia accidentalis poterat ordinari ad sanctificationem ipsius Christi, et erat gratia *habitualis* seu *sanctificans*, vel ad sanctificationem aliorum, influendo in eorum animas, sicut caput influit in membra, et erat gratia *capitalis*. Unde duplex gratia potest considerari in Christo, *substantialis* videlicet et *accidentalis*, quae ex duplici munere est *habitualis* et *capitalis*. De singulis pauca.

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA CHRISTI SANCTIFICATA FUERIT FORMALITER PER GRATIAM SUBSTANTIALEM UNIONIS

671. Status quaestionis. 1) Sanctitas (αγιοτης) definitur a pseudo-Dionysio: *Ab omni scelere libera et omnino perfecta et omni ex parte immaculata puritas* [1]. Duo praecipue importat: a) *Conjunctionem creaturae cum Deo* seu applicationem creaturae rationalis ad Deum resque divinas; b) *Puritatem* seu *munditiam ab omni peccato*.

2) Particula *formaliter* non significat in titulo id, quod provenit a forma inhaerente, sed idem valet ac *immediate, intrinsece* et *actualiter*, quatenus opponitur ad mediate, causaliter, virtualiter, etc.

Unde quaestio est breviter solvenda, an humanitas Christi formaliter, id est, vere, proprie et immediate sanctificata fuerit ex vi unionis ejusdem cum persona divina.

672. Placita theologorum. 1) *Durandus, Mastrius*, et recenter *Paquet, Mancini* et alii [2] volunt humanitatem Christi non fuisse sanctificatam formaliter, sed ad summum causaliter ex vi unionis ejusdem cum persona Verbi.

2) Alii multo communius affirmant [3].

673. THESIS. **Humana Christi natura formaliter, id est, vere et immediate sanctificata est per unionem substantialem ad personam Verbi.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. Origenes* ait: «Aliter ista anima (Christi) oleo laetitiae, id est, Verbo Dei et sapientia ungitur, et aliter, et aliter participes, id est, sancti prophetae et apostoli. Illi enim in odorem unguentorum ejus cucurrisse dicuntur, ista autem anima vasculum unguenti ipsius fuit» [4]. *S. Gregorius Naz.*: «Christus propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis christis, sed totius ungentis praesentia sanctificans» [5].

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* Angelicus Doctor, loquendo de humanitate Christi, ait: «Acquisivit enim actualem hostiae sanctificationem tunc ex antiqua caritate et gratia unionis sanctificante eamdem absolute» [1]. Hic certe docuit Angelicus sanctificationem actualem Christi procedere ex duplici gratia, habituali nempe et substantiali. Unde alibi disertius: «Ille igitur per acceptum donum gratuitum efficitur *Deo gratus*, qui usque ad hoc perducitur, quod per caritatis amorem unus spiritus fiat cum Deo, quod ipse in Deo sit et Deus in eo... Haec autem gratia est omnium sanctorum communis... Alia vero conjunctio est hominis ad Deum, non solum per affectum aut inhabitationem, sed etiam per unitatem hypostasis seu personae, ut scilicet una et eadem hypostasis seu persona sit Deus et homo. Et haec quidem conjunctio hominis ad Deum est propria Jesu Christi; de qua conjunctione plura jam dicta sunt. Haec etiam est hominis Christi gratia singularis, quod est Deo unitus in unitate personae. Et ideo gratis datum est, quia et naturae facultatem excedit, et hoc donum merita nulla praecedunt. Sed et *gratissimum Deo facit* (consequenter sanctum) ita quod de ipso singulariter dicatur: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*» [2].

3) *Ex ratione.* Sanctificatio formaliter consistit in eo, quod homo vel subjectum sanctitatis efficiatur immunis a peccato, Deo gratus seu amicus, capax operationum supernaturalium et principium *quod* et haeres aeternae beatitudinis. Haec autem omnia producuntur in humana Christi natura per unionem substantialem ad personam Verbi. Per unionem siquidem hypostaticam Christus fuit a) *immunis a peccato*, quia Christus ratione hujus unionis fuit absolute impeccabilis; b) *Deo gratus et amicus*, quia filius ejus naturalis; c) *capax operationum supernaturalium*, ut principium *quod*, quia capax diligendi Deum amore supernaturali et theandrico; d) *haeres aeternae beatitudinis*, quia filius Dei naturalis. Unde, sicut homo per gratiam habitualem, quae est participatio divinae naturae, sanctificatur formaliter et efficitur filius Dei adoptivus, ita a fortiori humana Christi natura per unionem ad personam Verbi sanctificatur, et fit filius Dei naturalis [3].

Dices. *S. Thomas* ait: «Deitas autem non est formaliter sed effective perficiens ipsam (animam Christi): unde oportet aliam formam creatam in ipso ponere, qua formaliter perficiatur, et haec est gratia» [4].

Resp. *S. Thomas* negat deitatem sanctificare formaliter animam Christi per modum formae inhaerentis, sed non inficiatur Verbum per unionem immediate et actualiter sanctificare animam Christi.

674. Scholion. *Quod sit principium* quo *seu ratio formalis sanctificans substantialiter humanitatem Christi.*

Resp. Alii aliter explicant hoc punctum:

1) *Suarez* [5] docet unionem hypostaticam esse rationem formalem, qua substantialiter sanctificatur humanitas Christi. Sed hoc videtur esse rejiciendum, quia ratio formalis hujus sanctificationis non potest esse aliquid creatum.

---

[1] *De div. nom.*, c. 12, § 2; MG **3**, 969.

[2] **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 12, q. 2; **Mastrius,** *In III Sent.*, disp. 2, q. 1, nn. 15-16; **Paquet,** *De incarnatione*, disp. 3, a. 1; **Mancini,** *De incarnatione*, q. 8, a. 1, scholion.

[3] Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** *De incarnat.*, controv. 12, n. 15 sq.; et **Rhodes,** *De incarnatione*, disp. 3, q. 1, sect. 1, § 1.

[4] Περι αρχων, lib. 2, c. 6, n. 6; MG **11**, 214.

[5] *Orat.* 30, n. 21; MG **36**, 131.

[1] *III p.*, q. 22, a. 2 ad 3.

[2] *Comp. theol.*, c. 214.

[3] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 23, a. 4 ad 2.

[4] *In III Sent.*, dist. 13, q. 1, a. 1.

[5] *De incarnatione*, disp. 53, sect. 3, n. 17.

http://www.obrascatolicas.com

2) Alii volunt hanc rationem formalem esse repetendam a personalitate Verbi, prout distinguitur virtualiter a natura divina. Ita *Lugo* [1]; alii a persona divina, quatenus est ratio conjungendi duas naturas; ita *Joannes a S. Thoma* [2]; alii tum a persona Verbi tum a natura divina; ita *Muncunill* [3].

Sed personalitas secundum rationem sibi propriam non importat perfectionem et sanctitatem, et nequit esse principium *quo* seu ratio formalis sanctificationis.

3) Alii contendunt naturam divinam applicatam per Verbi personalitatem esse principium *quo* sanctificationis, de qua loquimur. Ita *Salmanticenses*, *Billuart* et alii [4].

Haec sententia prae caeteris mihi probatur.

S. Joannes Damascenus ait ad rem: «Ipse siquidem se ipsum unxit; corpus videlicet suum divinitate sua ungendo tanquam Deus, unctus autem ut homo: quandoquidem ipse et hoc et illud est: unctio porro humanitatis est divinitas» [5].

Ratio est, quia id, quo Deus est in se ipso infinite sanctus, videtur esse principium *quo* sanctificandi substantialiter humanitatem Christi. Sed Deus est in se ipso sanctus ratione naturae infinite perfectae. Ergo. Sicut gratia habitualis in nobis est participatio naturae divinae per donum supernaturale a Deo infusum, ita gratia unionis, qua substantialiter sanctificata est humanitas Christi, fuit participatio immediata naturae divinae per unionem hypostaticam.

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS HABUERIT GRATIAM HABITUALEM

675. Status quaestionis. Gratia habitualis seu sanctificans est qualitas supernaturalis consistens in participatione divinae naturae, qua efficimur amici Dei seu deiformes, operamur in ordine supernaturali, et constituimur haeredes regni caelestis.

Quaeritur, an haec qualitas supernaturalis revera fuerit in anima Christi.

676. THESIS. **In anima Christi fuit revera gratia habitualis.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes expresse docet Verbum incarnatum habitasse in nobis *plenum gratiae et veritatis* [6]. Hic sermonem esse de gratia habituali constat ex eo, quod addit evangelista: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus et gratiam pro gratia* [7]. Accepimus

[1] *De incarnatione*, disp. 16, sect. 2, concl. 2.
[2] *De incarnatione*, disp. 8, a. 1, concl. 3.
[3] *De incarnatione*, n. 503.
[4] **Salmanticenses**, *De incarnatione*, disp. 12, n. 50; **Billuart**, *De incarnatione*, diss. 8, a. 1, § 2.
[5] *De fide orth.*, lib. 3, c. 3; MG **94**, 989.
[6] *Joan.*, 1, 14.
[7] *Joan.*, 1, 16.

autem a Christo gratiam habitualem juxta illud: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* [1]. Ergo.

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Athanasius* ponit in ore Christi haec verba: «Ego qui Patris Verbum sum, ipse mihi facto homini dono Spiritum, meque factum hominem in illo sanctifico» [2]. *S. Augustinus:* «Propter hoc et Dominus ipse Jesus Spiritum Sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratia (*Joan.*, 1, 14), et Spiritu Sancto (*Luc.*, 11, 52, et 4, 1). Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: *Quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto* (*Act.*, 10, 38), non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia» [3]. In his locis non agitur de gratia unionis, qua substantialiter sanctificata est humanitas Christi, ut forsitan alicui videbitur, sed de gratia habituali. Loquitur quippe de dono gratiae, quod confertur per Spiritum Sanctum, et significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.

3) *Ex triplici ratione S. Thomae:*

a) «*Primo, propter unionem animae illius ad Verbum Dei.* Quanto enim aliquid receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo, secundum illud psalmi 83, 12: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Et ideo maxime fuit conveniens, ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae.»

b) «*Secundo, propter nobilitatem illius animae,* cujus operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem; ad quod necesse est elevari humanam naturam per gratiam.»

c) «*Tertio, propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum.* Christus enim, in quantum homo, est mediator Dei et hominum, ut dicitur *I Tim.*, 2, 5, et ideo oportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem» [4].

Doctores omnes his et aliis argumentis ducti tuentur animam Christi fuisse gratia sanctificante ornatam. Hanc doctrinam aliqui appellant «certam secundum fidem» [5], alii verius «certam» sine addito [6].

Dices. 1) Effectus formalis gratiae habitualis est facere homines filios Dei adoptivos. Sed Christus non fuit filius Dei adoptivus sed naturalis. Ergo in Christo non fuit gratia habitualis.

Resp.—Neg. maj. Effectus formalis gratiae habitualis non est praecise facere homines filios Dei adoptivos, sed facere deiformes seu amicos Dei. Si gratia habitualis recipiatur in persona extranea, facit eam filium Dei adoptivum, quatenus elevat ipsam gratuito ad haereditatem Dei; si recipiatur in persona propria seu in filio naturali, sanctificat eam in ordine ad haereditatem propriam. Unde non est de ratione formali gratiae habitualis

[1] *II Petr.*, 1, 4.
[2] *Orat. 1*, contra arianos, n. 46; MG **26**, 107.
[3] *De Trinitate*, lib. 15, c. 26, n. 46; ML **42**, 1093. Cfr. **S. Cyrillus**, *De Trinitate*, dial. 6; MG **75**, 1018.
[4] *III p.*, q. 7, a. 1.
[5] **Suarez**, *De incarnatione*, disp. 18, sect. 2, n. 5.
[6] **Salmanticenses**, *De incarnatione*, disp. 13, n. 8.

http://www.obrascatolicas.com

facere filios Dei adoptivos, nisi recipiatur in persona aliena [1]. Ad rem *S. Thomas:* «Christus per gratiam unionis est filius naturalis: alius autem per gratiam habitualem est filius adoptivus. Gratia autem habitualis in Christo non facit de non filio filium adoptivum, sed est quidam effectus filiationis naturalis in anima Christi, secundum illud *Joannis*, 1, 14: *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis*» [2].

Dices. 2) Christus habet gratiam unionis et sanctitatem substantialem. Ergo non indiget gratia habituali et sanctitate accidentali.

Resp.—Neg. conseq. Quando quis habet perfectionem majorem, non indiget qualitate minori ejusdem ordinis, bene tamen qualitate minori alterius ordinis. Gratia unionis conjungit animam Christi cum Deo in ordine substantiali, gratia vero habitualis in ordine cognitionis et amoris. Unita autem anima Christi cum Deo per sanctitatem substantialem, requiritur alia conjunctio per gratiam habitualem, quae est principium operationum supernaturalium cognitionis et amoris.

677. Scholion. An haec gratia habitualis Christi excesserit gratias aliorum hominum secundum gradus intensitatis tantum, vel etiam secundum rationem specificam seu ontologicam, disputatur a theologis. *Nonnulli* volunt illam ab omnibus aliis gratiis distingui ontologice, et suam opinionem probare contendunt ex his verbis *S. Thomae:* «Quantumcumque crescat gratia alicujus hominis, qui gratiam secundum aliquam particularem participationem possidet, nunquam potest adaequare gratiam Christi, quae universaliter plena exsistit» [3]. *Alii*, admittendo, ut par est, gratiam habitualem Christi propter unionem ad Verbum habuisse aestimationem moralem et gradus omnibus gratiis aliorum hominum superiores, putant illam fuisse ejusdem speciei cum gratia sanctificante aliorum hominum. Quia cum gratia sanctificans sit participatio naturae divinae, ordinata est ad conjungendam animam cum Deo per operationes supernaturales cognitionis et amoris. Haec autem participatio fuit eadem in Christo ac in hominibus justis, et actus supernaturales cognitionis et amoris fuerunt in eis ejusdem speciei.

678. Corollarium I. Gratia sanctificans communicata fuit Christo in primo instanti suae conceptionis, simul tempore et posterius natura quam gratia unionis. Hoc deducitur ex illis verbis Isaiae: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini* [4]. «In eodem ergo momento, quo Beata Virgo floruit (ut ita dicam), concipiendo Filium, requievit super eum Spiritus Domini» [5].

Simul tempore et posterius natura quam gratia unionis, quia data est ratione et intuitu unionis hypostaticae.

Non videtur tamen gratiam habitualem dimanasse physice a gratia unionis per modum proprietatis et naturalis resultantiae, quia nihil conspicitur in gratia unionis, quod per modum naturae et principii intrinseci contineat gratiam habitualem [6].

---

1 Cfr. **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 16, § 1 ad 1.
2 *III p.*, q. 23, a. 4 ad 2.
3 *De veritate*, q. 29, a. 3 ad 5. Cfr. **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 17, § 2.
4 *Is.*, 11, 1.
5 **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 18, sect. 3, n. 1.
6 Cfr. **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 8, a. 2.

Coroll. II. Dominus noster Jesus Christus in primo instanti suae conceptionis se disposuit ad gratiam habitualem actibus liberis suae voluntatis. «Christus, ait *Angelicus*, in primo instanti suae conceptionis sanctificatus fuit per gratiam. Est autem duplex sanctificatio: una quidem adultorum, qui secundum proprium actum sanctificantur: alia autem puerorum, qui non sanctificantur secundum proprium actum fidei, sed secundum fidem parentum vel Ecclesiae. Prima autem sanctificatio est perfectior quam secunda, sicut actus est perfectior quam habitus, et, quod est per se eo, quod est per aliud. Cum ergo sanctificatio Christi fuerit perfectissima, quia sic sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator, consequens est, quod ipse secundum proprium motum liberi arbitrii in Deum fuerit sanctificatus» [1]. Sic communius tenent doctores contra *Suarez* [2] et alios paucos.

Coroll. III. 1) Gratia habitualis non fuit absolute necessaria, ut Christus esset sanctus, quia hic per solam gratiam unionis vere sanctificatus est, et, facta absurda suppositione, quod privaretur gratia habituali, adhuc fuisset sanctus.

2) Aliqua gratia supernaturali creata indigebat Christus, ut operationes supernaturales eliceret. Quia personalitas Verbi, cum fuerit aliquid increatum, non fuit unita naturae humanae per modum formae physicae, sed per modum termini, et constituit principium *quod*, non principium *quo*, supernaturale, relinquens potentias et facultates humanae naturae Christi in statu naturali. Specificatio autem et supernaturalitas actionum sumitur a principio *quo*, non a principio *quod*. Unde actiones intellectus et voluntatis Christi erant supernaturales ratione gratiae creatae, qua intellectus et voluntas perfundebantur, non ratione personae divinae.

3) Plures tamen operationes Christi potuerunt esse supernaturales sine gratia habituali per solas gratias actuales auxiliantes. Ratio est, quia per gratias actuales satis elevantur intellectus et voluntas atque augentur elemento supernaturali, ut possint esse principium *quo* aliquarum actionum supernaturalium, sicut in peccatore sola gratia actualis est principium attritionis et spei supernaturalis.

Diximus *plures operationes Christi*, ut innueremus aliquas operationes perfectas non potuisse a Christo elici sine gratia habituali. Sic amor Dei et visio beatifica requirebant necessario in Christo gratiam habitualem. Unde *Angelicus* probat hanc gratiam fuisse animae Christi necessariam «propter nobilitatem illius animae, cujus operationes oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem, ad quod necesse est elevari humanam naturam per gratiam» [3].

4) Demum gratia habitualis fuit Christo necessaria ad merendum de condigno praemia supernaturalia, ut bene probant *Salmanticenses* [4] contra alios, qui volunt Christum potuisse mereri de condigno praemia supernaturalia sola gratia actuali [5]. Fundamentum satis solidum est,

---

1 *III p.*, q. 34, a. 3.
2 *De incarnatione*, disp. 40, sect. 2, n. 12.
3 *III p.*, q. 7, a. 1.
4 *De incarnatione*, disp. 13, n. 79.
5 Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** controv. 12, n. 58 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

quia ad merendum de condigno praemia supernaturalia requiritur, ut opera dirigantur ad Deum sub imperio caritatis. Sed imperium caritatis non datur sine gratia habituali. Ergo. Ad rem *Angelicus:* «Quamvis meritum Christi quamdam infinitatis rationem habeat ex dignitate personae, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest» [1].

ARTICULUS III

DE PERFECTIONE GRATIAE HABITUALIS CHRISTI

679. Perfectio gratiae habitualis Christi attenditur penes ejus gradus. Circa gradus autem gratiae Christi tres quaestiones moveri possunt. 1.ª An Christus habuerit plenitudinem gratiae. 2.ª Utrum gratia Christi fuerit infinita. 3.ª Num gratia Christi potuerit augeri. De singulis pauca.

§ 1

Utrum Christus habuerit plenitudinem gratiae.

680. Status quaestionis. 1) Plenitudo gratiae est perfectio ejus in summo gradu et excellentia.

2) Potest esse:

a) *Intensiva,* quatenus ejus perfectio attingit ad summam excellentiam; et *extensiva,* quatenus apta est producere omnes effectus gratiae.

b) *Absoluta,* quae est summa gratiae excellentia, ultra quam perfici nequit potentia Dei ordinaria; et *relativa,* quae est possessio gratiae in summo gradu secundum conditionem et statum subjecti. Absoluta attenditur penes perfectionem gratiae ex parte sui, relativa penes participationem ejusdem ex parte subjecti.

3) Plenitudo gratiae dicitur absoluta respectu potentiae Dei ordinariae, non respectu potentiae Dei extraordinariae, quia nunquam potest dari gratia habitualis adeo excellens et summa, ut nequeat produci major ac perfectior per potentiam Dei extraordinariam. Unde juxta Angelicum virtus divina (extraordinaria) potest «facere aliquid majus et melius, quam sit habitualis gratia Christi» [2].

Quaeritur hic, an in Christo fuerit plenitudo gratiae intensiva et extensiva, eaque absoluta secundum providentiam Dei ordinariam.

---

[1] *De veritate,* q. 29, a. 5 ad 4.
[2] *III p.,* q. 7, a. 12 ad 2.

681. THESIS. **Christus Dominus, isque solus, habuit plenitudinem gratiae absolutam tum intensivam tum extensivam.**

Pars 1.ª In Christo fuit plenitudo gratiae absoluta.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Juxta S. Lucam Jesus erat *plenus Spiritu Sancto* [1]. S. Joannes adserit Verbum habitasse in nobis *plenum gratiae et veritatis* [2]. Apostolus: *In ipso* (Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare* [3]. Hanc plenitudinem gratiae, quam Sacra Scriptura tribuit Christo, esse absolutam et perfectam communiter docent theologi.

2) *Ex ratione.* «Quanto aliquod receptivum, ait *S. Thomas,* propinquius est causae influenti, tanto abundantius recipit» [4]. Anima autem Christi adeo intime unita fuit Verbo auctori gratiae per unionem hypostaticam, ut nequiverit propinquius ei adhaerere. Ergo Christus habuit gratiae plenitudinem absolutam et secundum perfectissimum modum.

Pars 2.ª In Christo fuit gratiae plenitudo tum intensiva tum extensiva.

Arg. Fuit a) *intensiva,* quia Christus per intimam animae suae cum Verbo unionem participavit gratiam in summo gradu excellentiae; et b) *extensiva,* quia gratia habitualis Christi fuit principium aliarum gratiarum juxta illud: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus et gratiam pro gratia* [5], et se extendit ad omnes operationes atque effectus gratiae [6].

Pars 3.ª Gratiae plenitudo absoluta, intensiva et extensiva, fuit soli Christo propria.

Arg. Beata Virgo Maria salutatur quidem ab angelo *gratia plena* [7], S. Stephanus dicitur *plenus gratia et fortitudine* [8], et S. Barnabas *plenus Spiritu Sancto et fide* [9], non quod habuerint gratiam in summo gradu excellentiae, quo in praesenti ordine potest haberi, sed quia habebant plenitudinem relativam, sufficientem scilicet ad statum, ad quem erant electi a Deo; nempe Beata Virgo Maria, ut esset mater Unigeniti: S. Stephanus, ut esset idoneus minister et testis Dei; et S. Barnabas, ut esset praeco veritatis evangelicae [10]. Sed hae gratiae et aliae omnes derivatae erant a plenitudine gratiae Christi, eique multum inferiores.

---

[1] *Luc.,* 4, 1.
[2] *Joan.,* 1, 14.
[3] *Coloss.,* 1, 19.
[4] *III p.,* q. 7, a. 9.
[5] *Joan.,* 1, 16.
[6] **S. Thomas,** *III p.,* q. 7, a. 9.
[7] *Luc.,* 1, 28.
[8] *Act.,* 6, 8.
[9] *Act.,* 11, 24.
[10] Cfr. **S. Thomas,** *III p.,* q. 7, a. 10 ad 1.

http://www.obrascatolicas.com

§ 2

Utrum gratia habitualis Christi fuerit infinita.

682. Status quaestionis. 1) Compertum est gratiam unionis Christi consideratam in recto, quatenus significat personam Verbi, praescindendo de sanctificatione substantiali passiva humanitatis Christi, esse physice et moraliter infinitam, quia persona Verbi est omnimode infinita.

2) Gratia habitualis Christi potest considerari dupliciter: a) *physice* seu in ratione entis, quatenus est qualitas recepta in anima; b) *moraliter* seu secundum prudentem aestimationem et dignitatem moralem, quam petit ex unione ad personam divinam et ex ratione gratiae, ut est causa tum formalis constituens subjectum gratum, tum efficiens producens aliorum sanctitatem.

Nemo dubitat, quin gratia habitualis Christi in ratione entis sit finita, quia recepta est in anima Christi habente capacitatem finitam, et quia est ens creatum et ut tale finitum.

3) Dignitas moralis et prudens aestimatio gratiae habitualis Christi attenditur ex duplici capite: a) *ex conjunctione ad personam Verbi,* «in quantum concurrit ad eumdem actum cum ipsa, ut actus gratia illa informatus non tantum sit actus hominis sed etiam Dei» [1]; b) *ex ratione propria gratiae,* quae attenditur penes sanctificationem.

Gratia habitualis Christi secundum dignitatem moralem, habitam ex conjunctione ad personam Verbi, est simpliciter infinita, quia concipi nequit major dignitas quam esse gratiam personae divinae.

Velim tamen animadvertas hanc dignitatem moralem simpliciter infinitam, quae provenit ex conjunctione ad personam Verbi, non convenire gratiae Christi ex conceptu gratiae, atque idcirco esse communem toti humanitati, potentiis, virtutibus et operationibus Christi, quia omnia quae sunt in nostro Servatore, important dignitatem moralem simpliciter infinitam [2].

4) Disputatur, an et quomodo gratia Christi ex ratione propria gratiae, quae attenditur penes sanctificationem, sit infinita, an scilicet positive simpliciterque, vel negative et secundum quid.

683. Placita theologorum. 1) Cl. *Gonet* existimat gratiam Christi in ratione gratiae esse positive et simpliciter infinitam [3].

2) *Alii* communius docent illam non esse positive et simpliciter infinitam, sed tantum negative et secundum quid, quatenus, habens quidquid pertinet ad propriam rationem gratiae, attingit summum gradum ejusdem secundum praesentem providentiam (infinitas *intensiva*), et se extendit ad omnes operationes et effectus gratiae sanctificantis (infinitas *extensiva*) [4].

---

1 **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 1, a. 2, q.la 2, solut. 2.
2 Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 15, n. 27.
3 *De incarnatione*, disp. 13, a. 1, concl. 2.
4 Cfr. **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 17, § 2.

684. THESIS. **Gratia habitualis Christi in ratione gratiae fuit moraliter infinita, non quidem positive et simpliciter, sed negative et secundum quid.**

Pars 1.a Fuit moraliter infinita.

Arg. *Angelicus* hoc probat ex duplici capite: 1) «Eo quod non limitatur, quia scilicet habet quidquid potest pertinere ad rationem gratiae, et non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiae pertinet, eo quod secundum propositum Dei, cujus est gratiam mensurare, gratia confertur animae Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura» [1].

2) «Quia non limitatur ad aliquos determinatos effectus, sed potest per gratiam infinitis operari redemptionem» [2].

Gratia Christi ex primo capite importat plenitudinem eorum, quae pertinent ad rationem gratiae, et est infinita *intensive*, ex secundo capite respicit gratiam capitis et est infinita *extensive*.

Pars 2.a Non fuit infinita positive et simpliciter.

Arg. Gratia sanctificans animam Christi poterat de potentia Dei absoluta esse intensior per modum causae formalis, et producere majores effectus per modum causae efficientis. Ergo nec intensive nec extensive fuit simpliciter infinita.

Pars 3.a Fuit infinita negative et secundum quid.

Arg. Gratia habitualis Christi in ratione gratiae attigit illum gradum, qui in praesenti Dei providentia est summus, et se extendit ad omnes effectus gratiae. Ergo fuit infinita secundum quid. Apposite *S. Augustinus:* «Invenimus, quia ad mensuram dat Deus Spiritum... Hominibus ad mensuram dat, unico Filio non dat ad mensuram... Christus, qui dat, non ad mensuram accipit» [3].

§ 3

Utrum gratia habitualis Christi potuerit augeri.

685. Status quaestionis. 1) Augmentum gratiae habitualis Christi potest attendi a) penes latitudinem moralem, quae habetur in ordine ad prudentem aestimationem conceptam tum ex dignitate personae Verbi, tum ex ratione propria gratiae, et b) penes latitudinem physicam petitam ex ejus actuatione et perfectione in anima Christi.

Gratia Christi non potuit moraliter augeri quantum ad prudentem aestimationem ortam ex dignitate personae, quia cum dignitas personae Verbi fuerit absolute summa, aestimatio quoque prudens ex ea petita debuit esse infinita simpliciter.

---

1 *III p.*, q. 7, a. 11.
2 *In III Sent.*, dist. 13, q. 1, a. 2, q.la 2, solut. 2.
3 *In Joan. evang.*, tr. 14, n. 10; ML **35**, 1508.

http://www.obrascatolicas.com

Quantum ad entitatem physicam certe potuit augeri.

Utrumque patet ex *S. Thoma*, qui ait: «Virtus divina, licet possit facere aliquid majus aut melius, quam sit habitualis gratia Christi (augmentum quantum ad entitatem physicam), non tamen posset facere, quod ordinaretur ad aliquid majus, quam sit unio personalis ad Filium unigenitum a Patre» [1].

Difficultas versatur circa augmentum gratiae Christi, quantum ad prudentem aestimationem conceptam ex propria ratione gratiae.

2) Certum est gratiam Christi habitualem hoc sensu nunquam auctam fuisse, sed statim ab initio conceptionis Verbi in utero Virginis fuisse completam, quia Christus apparuit in mundo plenus gratiae et veritatis, imo et per visionem Dei omnino beatus.

3) Gratia habitualis Christi non potuit augeri in praesenti ordine divinae providentiae, quia erat in summo et ultimo gradu perfectionis, ad quem pertingere potuit secundum potentiam Dei ordinariam.

4) Quaestio est, an de potentia Dei extraordinaria potuerit augeri quantum ad dignitatem moralem petitam ex ratione gratiae, quae attenditur penes sanctificationem subjecti.

686. Placita theologorum. 1) Negant *S. Bonaventura, Scotus, Dionysius Carthusianus, Cajetanus* et alii [2].

2) Affirmant *Capreolus, Medina, Philippus a SS. Trinitate, Vazquez, Valentia* et *Lugo* [3].

687. THESIS. **Gratia habitualis Christi potuit de potentia Dei absoluta augeri quoad aestimationem moralem petitam ex ratione gratiae.**

Arg. Gratiam habitualem Christi intensive augeri non repugnat 1) *ex parte gratiae*, quae, utpote participatio divinae naturae, potest magis ac magis semper participari; 2) *ex parte auctoris*, qui est Deus virtutem habens infinitam; 3) *ex parte subjecti*, scilicet animae Christi, cujus potentia obedientialis, secundum quod potest recipere aliquid a Deo, «non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi a Deo» [4].

---

[1] *III p.*, q. 7, a. 12 ad 2.

[2] **S. Bonaventura,** *In I Sent.*, dist. 17, p. 2, q. 4; et *In III Sent.*, dist. 13, a. 1, q. 2 ad 2; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 13, qq. 1-3; **Carthusianus,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 2; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 7, a. 9 sqq.

[3] **Capreolus,** *In I Sent.*, dist. 17, q. 2, a. 2; et *In III Sent.*, dist. 13, q. un., a. 3; **Medina,** *In III p.*, q. 7, a. 12; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnatione*, disp. 5, dub. 4; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 47, c. 3; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 7, p. 2; **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 16, sect. 6, n. 111.

[4] **S. Thomas,** *De veritate*, q. 29, a. 3 ad 3.

ARTICULUS IV

UTRUM CHRISTUS HABUERIT OMNES VIRTUTES

688. Status quaestionis. 1) Virtus est habitus seu qualitas disponens potentiam ad perfecte operandum.

2) Potest esse a) *intellectualis*, quae «perficit intellectum in ordine ad verum, sive practicum sive speculativum...; b) *moralis*, quae perficit appetitum, vel sensitivum vel rationalem, in ordine ad bonum rationis», ut justitia, fortitudo, etc. [1]; c) *theologica*, quae respicit Deum, disponitque potentias intellectuales in ordine ad ipsum. Agimus hic de virtutibus theologicis et moralibus, de intellectualibus inferius acturi sub nomine scientiae Christi.

3) Virtutes theologicae, fides, spes et caritas, sunt semper supernaturales, ac idcirco per se infusae. Ex moralibus aliae sunt supernaturales ac per se infusae, aliae naturales seu per se acquisibiles, quae aliquando per accidens a Deo infunduntur.

4) Quaeritur, an Christus habuerit omnes virtutes tum theologicas tum morales, et quomodo morales naturales acquisierit, an per proprios actus an per infusionem.

689. THESIS I. **Christus habuit omnes virtutes theologicas et morales supernaturales praeter fidem, spem et poenitentiam, imo et virtutes morales naturales.**

Pars 1.ª Habuit omnes virtutes.

Arg. 1) Super illud psalmi 1: *Sed in lege Domini voluntas ejus*, dicit glossa ex Cassiodoro: «Hic ostenditur Christus plenus omni bono».

2) Virtutes, cum sint quaedam proprietates gratiae, eo plures consequuntur gratiam sanctificantem, quo gratia sanctificans fuerit perfectior. Sed in anima Christi fuit gratia sanctificans perfectissima. Ergo in Christo fuerunt omnes virtutes [2]. Hinc potentiae animae Christi omnibus virtutibus ornatae operabantur expedite in ordine supernaturali et morali.

Pars 2.ª Praeter fidem, spem et poenitentiam.

Arg. Christus erat comprehensor et simul persona divina. Ut comprehensor non potuit habere fidem et spem, quia comprehensores non possunt credere quod vident nec sperare quod possident [3]. Qua persona divina non potuit poenitere, quia materia, circa quam versatur poenitentia, est peccatum proprium. Persona autem divina peccatum non fecit.

---

[1] **Salm.,** *De virtutibus*, Arbor praedicamentalis, n. 12.

[2] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 7, a. 2; et **Hugon,** *Le mystère de l'Incarnation*, 4.me partie, ch. 1, § 6.

[3] Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** *De incarnat.*, controv. 13, n. 25 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

Pars 3.ª Habuit virtutes morales naturales.

Arg. Virtutes morales naturales perficiunt potentias ad recte operandum in ordine morali naturali. Potentiae autem Christi dispositae erant naturaliter ad recte operandum in omni ordine morali, quia hoc exigebat finis incarnationis. Ergo.

690. THESIS II. **Christus Dominus non acquisivit virtutes morales naturales per proprios actus, sed probabilius accepit eas per infusionem.**

Nota. Tres sunt in hac parte modi dicendi inter auctores: 1) Aliqui volunt Christum acquisivisse virtutes morales naturales per proprios actus successu temporis. Ita *Nazarius, Laurentius a S. Theresia, Salmanticenses*, etc. [1]. 2) Alii dicunt eas acquisivisse propriis actibus in primo instanti suae conceptionis. Ita *Contenson* [2] et alii apud *Medinam* [3]. 3) Alii contendunt eas accepisse per infusionem in primo instanti suae conceptionis. Sic *Vazquez, Suarez, Gonet, Philippus a SS. Trinitate, Billuart* et alii [4]. Haec sententia magis mihi probatur.

Arg. Nullum defectum adsumpsit Christus, qui non fuerit necessarius ad finem incarnationis. Sed carentia virtutum moralium non fuit necessaria ad finem incarnationis. Ergo Christus virtutibus moralibus nunquam caruit. Hinc:

1) Fundamento caret prima sententia, quae tenet Christum eas acquisivisse successu temporis.

2) Non potuit, saltem citra miraculum, quod non probatur, primo et unico instanti suae conceptionis acquirere omnes virtutes per proprios actus, quia tot actus unico instanti elicere non potuit. Unde fallit secunda sententia.

3) Eas igitur accepit per infusionem.

ARTICULUS V

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DONA SPIRITUS SANCTI

691. Status quaestionis. Dona Spiritus Sancti sunt *perfectiones quae disponunt potentias animae, ut sint facile mobiles a Spiritu Sancto in his, quae superant regulam communem prudentiae etiam infusae.*

Numerantur septem: scilicet, *sapientia, intellectus, scientia, pietas, consilium, fortitudo et timor*. Horum tria priora spectant ad intellectum, et quatuor posteriora ad voluntatem.

Ratio septenarii numeri colligitur ex materia virtutum, quae septem modis exigit regulari ultra modum communem prudentiae infusae, ut patet ex accurato examine eorum, quae nobis necessaria sunt in credendis, sperandis, diligendis et agendis.

[1] **Nazarius,** *In III p.*, q. 7, a. 2, concl. 5; **Laurentius a S. Theresia,** *De incarnatione*, controv. 13, n. 111; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 14, n. 6 sqq.
[2] *Theologia mentis et cordis*, lib. 9, diss. 5, c. 1, spec. 2.
[3] *In III p.*, q. 7, a. 2.
[4] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 42, c. 2; **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 19, sect. 1; **Gonet,** *De incarnatione*, disp. 12, a. 3; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnatione*, disp. 5, dub. 5; **Billuart,** *De incarnatione*, diss. 8, a. 3.

692. THESIS. **Certum est in Christo fuisse omnia dona Spiritus Sancti.**

Arg. 1) Isaias loquens de Christo venturo ait: *Requiescet super eum... spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* [1].

2) Dona Spiritus Sancti semper consequuntur gratiam habitualem et caritatem, ut expresse docet *Angelicus* [2], adeo ut, qui gratia sanctificante suffulti et caritate perfusi diligunt Deum, facile moveantur a Spiritu Sancto supra regulam communem prudentiae. Sed Christus habuit gratiam et caritatem intensissimam. Ergo.

3) Usum, quem fecerat Christus de donis Spiritus Sancti egregie exponit *Contenson* his verbis: «*Sapientiae* dono judicabat de rebus aeternis per altissimas causas et rationes divinas. *Intellectus* intus legebat et penetrabat omnes veritates sibi a Deo propositas. *Consilio* de rebus agendis judicium ferebat non dubium sed firmum, et determinationem eam habens, quam prudentiae consilia gignere solent. *Fortitudine* corpus suum contra adversa parabat, et se laborioso redemptionis operi accingebat. *Scientia* de rebus per causas inferiores captui sese nostro accommodans judicabat. *Pietate* Deum Patrem impense colebat, et Virginem Matrem filiali affectu prosequebatur. *Timore* demum immensam divinae majestatis eminentiam, et supremam potestatem malum infligere potentem profundissime reverebatur, qui timor non servilis erat, sed filialis et castus» [3].

693. Objicies. 1) Dona Spiritus Sancti spectantia ad intellectum opponuntur perfectioni Christi, quia supponunt in subjecto fidem et obscuritatem repugnantem clarae Dei visioni. Christus autem non habuit fidem nec obscuritatem de rebus divinis. Ergo.

2) Item, dona spectantia ad voluntatem non potuerunt esse in Christo. Quia *pietas* exhibet reverentiam Deo non ut Patri naturali sed ut Patri adoptivo. *Fortitudo* roborat trepidantem contra adversa. *Timor* est fuga mali imminentis et difficile vitabilis. Sed Christus a) nunquam exhibuit reverentiam Deo ut Patri adoptivo; b) nunquam trepidavit contra adversa, et c) nunquam fugit malum imminens. Ergo.

Resp. ad 1.um—Neg. ant. Ad probationem dicendum est dona Spiritus Sancti, quae spectant ad intellectum non supponere in subjecto fidem et obscuritatem per se, sed in nobis per accidens ratione status viatorum. Unde beati, in quibus fidei succedet clara Dei visio, retinebunt dona Spiritus Sancti in patria [4].

Ad 2.um *Pietas*, cum dirigitur ad suum objectum, reverentiam exhibet Deo Patri, praescindendo a paternitate naturali vel adoptiva. Christus reveritus est Patrem naturalem, nos reveremur Deum patrem adoptivum, sed utraque reverentia est ejusdem rationis, sicut religio erat ejusdem speciei in Christo et in justis.

Fortitudo roborat trepidantem contra adversa partis intellectivae vel sensitivae. Christus non potuit trepidare in ratione superiori, quia gaudebat visione beatifica, sed in ratione inferiori et in parte sensitiva non semel trepidavit imminentibus undique malis. Unde *Coepit pavere et taedere* [5].

[1] *Is.*, 11, 2-3.
[2] *I-II*, q. 68, a. 5.
[3] *Theol. mentis et cordis*, lib. 9, diss. 5, c. 1, specul. 3.
[4] Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 68, a. 6.
[5] *Marc.*, 14, 33.

http://www.obrascatolicas.com

Timor habet duplicem actum. Unum, quo quis subjicitur timore reverentiali ad Deum sicut ad causam, quae potest malum aliquod infligere; alterum, quo refugit malum culpae vel poenae. Non poterat Christus habere timorem ob malum culpae vel poenae, bene tamen timorem reverentialem, quo respiciebat divinam eminentiam capacem infligendi aliquod malum, v. gr., annihilationem humanitatis. Hinc *S. Bernardus* de errore accusat Abailardum, quod donum timoris negaverit Christo.

ARTICULUS VI

UTRUM IN CHRISTO FUERINT GRATIAE GRATIS DATAE

694. Status quaestionis. 1) Gratiae gratis datae sunt quaedam manifestationes spiritus, quibus aliquis constituitur instrumentum cooperans, ut alios possit confirmare et erudire.

2) Novem numerantur ab Apostolo, scilicet: *Sermo sapientiae, sermo scientiae, fides; gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia; discretio spirituum, genera linguarum, et interpretatio sermonum* [1].

Ratio hujus numeri facile adsignatur. Gratiae etenim gratis datae sunt manifestationes spiritus in aliquo homine, ut alios confirmare et erudire valeat circa divina. Ad hoc autem tria requiruntur in subjecto: 1) Ut Doctor ea, quae de divinis tradere velit, plene cognoscat *sapientia, scientia* et *fide*. 2) Ut ea, quae docet, confirmet operibus divinae virtutis propriis, quod fit *gratia sanitatum, operatione virtutum*, et *prophetia*. 3) Ut quae mente concipit, possit convenienter proferre, quod perficit *gratia linguarum, discretione spirituum* et *interpretatione sermonum*.

Disputatur, an omnes gratiae gratis datae fuerint in Christo.

695. Placita theologorum. *Abulensis* [2] gratiam prophetiae, et *Valentia* [3] gratiam fidei negaverunt Christo Domino. Sed communiter theologi docent omnes gratias gratis datas fuisse in Christo.

696. THESIS. **Omnes gratiae gratis datae fuerunt perfectissime in Christo.**

Arg. 1) Christus Dominus certe fuit caput Ecclesiae. Oportebat autem, ut caput Ecclesiae in se uno haberet omnes gratias ordinis supernaturalis, quae erant dispersae in membris.

2) Christus Dominus fuit Doctor universalis Ecclesiae. Doctor autem universalis Ecclesiae debet imprimis divina, quae sunt Ecclesiae tradenda, plenissime cognoscere; deinde, quae sunt tradita, signis confirmare; ac tandem, quae sunt confirmata, verbis persuadere. Porro ad haec tria munia requiruntur, ut diximus, gratiae gratis datae. Ergo.

3) Sermonem *sapientiae* et *scientiae* manifestavit Christus, quando habuit sermonem in monte, et adeo profunde locutus est, ut admirarentur *turbae super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei* [1]. Patefecit gratiam *fidei*, non quidem ut erat virtus theologica, qua caruit Christus, sed quatenus erat vel excellentia quaedam cognitionis circa mysteria fidei [2], vel facilitas proponendi res fidei accommodate ad intelligentiam populi [3]. Gratiam *sanitatum* manifestavit, cum innumeros languores sanavit. Gratiam *virtutum* ostendit, quando imperavit vento et mari, et facta est tranquillitas magna. *Prophetam* se exhibuit, quando ventura praecognovit ac nuntiavit, adeo ut apostoli euntes in castellum Emmaus potuerint de eo dicere, quod *fuit vir propheta, potens in opere et sermone* [4]. *Discretionem* spirituum exercuit, cum secreta cordium seu cogitationes hominum cognovit. Gratiam *linguarum* in Christo fuisse colligitur ex certa, quam ipse habuit, cognitione secretorum cordium, quorum linguae non sunt nisi signa. *Discretor spirituum* fuit Christus, cum secreta cordium cognovit et veram pietatem a falsa in hypocritis sedulo distinxit. Ac tandem magnificus interpres sermonum fuit, quando *incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant* [5].

1 *I Cor.*, 12, 8 sqq.
2 *In Matth.*, 16, q. 4.
3 *In III p.*, disp. 1, q. 7, p. 5.

QUAESTIO XLVI

DE GRATIA CHRISTI, UT EST CAPUT ECCLESIAE

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT ECCLESIAE

697. Status quaestionis. 1) Inter omnia corporis humani membra primatum tenet caput triplici ratione, *ordine* scilicet, *perfectione et influxu*. *Ordine* quidem, quatenus est prima pars hominis, incipiendo a superiori; *perfectione*, quatenus in compendio continet omnes internos externosque sensus; *influxu*, quatenus movet imperio alia membra.

2) Per analogiam ad caput humanum dicitur caput in corpore mystico et etiam sociali ille homo, qui inter alios primus est ordine, perfectione et virtute.

3) Eminet Christus inter membra Ecclesiae hac triplici ratione?

698. THESIS. **Christus est caput Ecclesiae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus scribens ad ephesios ait: *Omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur* [6].

1 *Matth.*, 7, 28 sq.
2 Cfr. **S. Thomas**, *I-II*, q. 111, a. 4.
3 Cfr. **S. Thomas**, *In I Cor.*, 12, lect. 2.
4 *Luc.*, 24, 19.
5 *Luc.*, 24, 27.
6 *Ephes.*, 1, 22.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex ratione theologica.* In ratione capitis tria includuntur, ut diximus superius, ordo scilicet, perfectio et influxus. Haec autem tria competunt Christo respectu Ecclesiae secundum propinquitatem ad Deum, secundum plenitudinem gratiae et secundum virtutem influendi [1]:

a) *Ordinem* tenet, quia est *primogenitus in multis fratribus* [2], et constitutus est *in caelestibus supra omnem principatum et potestatem* [3]; et est *in omnibus ipse primatum tenens* [4].

b) *Perfectione superat alios,* quia apparuit *plenus gratiae et veritatis* [5].

c) *Influit in membra Ecclesiae,* quia *de plenitudine ejus nos omnes accepimus* [6].

Unde Christus, quatenus praesidet Ecclesiae, superat omnes perfectione, et influit in aliorum sanctificationem, dicitur et est caput Ecclesiae.

Hanc triplicem conditionem ad rationem capitis mystici requisitam diserte Christo tribuit Apostolus dicens: *Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis* (primatus)..., *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare* (perfectio); *et per eum reconciliare omnia* (influxus) [7].

Scholion. Alii dicunt ad rationem capitis mystici requiri *perfectionem dignitatis, potestatem dominationis* et *virtutem sanctificationis.* Secundum hanc considerationem Christus est caput Ecclesiae, ut diserte docet *S. Thomas,* «ratione dignitatis, gubernationis et causalitatis» [8].

Corollarium. Solus Christus est proprie Ecclesiae caput, quia ex hominibus ipse solus influit interius de condigno in Ecclesiae membra.

ARTICULUS II

QUAE FUERIT IN CHRISTO RATIO FORMALIS CAPITIS ECCLESIAE

699. Status quaestionis. 1) Christus, ut Deus, non fuit caput Ecclesiae, sed supremus ejus dominus, quia caput in societate oportet esse homogeneum cum membris. Sed qua homo est caput Ecclesiae non utcumque, sed quatenus per gratiam obtinet primatum ordinis, perfectionis et influxus.

Duplex autem est in Christo gratia, una gratia unionis, qua substantialiter sanctificata est humana ejus natura, et altera gratia habitualis, qua ejus anima complete sanctificata est, et constituta principium connaturale actuum supernaturalium.

2) Quaeritur hic, qualis fuerit gratia, qua Christus obtinuit primatum ordinis, perfectionis et influxus, ac constitutus fuit formaliter caput Ecclesiae.

[1] **S. Thomas,** *III p.,* q. 8, a. 1.
[2] *Rom.,* 8, 29.
[3] *Ephes.,* 1, 20-21.
[4] *Coloss.,* 1, 18.
[5] *Joan.,* 1, 14.
[6] *Joan.,* 1, 16.
[7] *Coloss.,* 1, 18-20.
[8] *De veritate,* q. 29, a. 4.

700. Placita theologorum. 1) Contendit *Vazquez* [1] Christum per solam gratiam unionis constitutum fuisse in ratione capitis Ecclesiae.

2) *Alii* communissime docent per gratiam habitualem, quatenus connotat gratiam unionis, constitutum fuisse Christum in ratione capitis Ecclesiae.

701. THESIS. **Gratia habitualis, quatenus connotat gratiam unionis, fuit ratio formalis, qua Christus constitutus fuit caput Ecclesiae.**

Arg. *Ex ratione.* Cum de ratione capitis sit inter alia munia influere efficienter in membra, Christus constituitur caput Ecclesiae per illam formam, quae sit principium operandi efficienter in ordine supernaturali. Sola autem gratia habitualis est in Christo principium operandi efficienter in ordine supernaturali, quia est unicum principium *quo* merendi. Ergo. Apposite *S. Thomas:* «Gratia personalis (habitualis) et gratia capitis ordinantur ad aliquem actum; gratia autem unionis non ordinatur ad actum sed ad esse personale; et ideo gratia personalis et gratia capitis conveniunt in essentia habitus, non autem gratia unionis» [2].

Dixi *quatenus connotat gratiam unionis,* quia esto gratia habitualis influens in membra sit gratia capitis, tamen ratio, quae dignificat humanitatem et gratiam habitualem in Christo, est gratia unionis. Quod ut recte intelligas animadverte sequentia: 1) Principium *quod* omnium operationum et praesertim influxus in membra fuit in Christo persona Verbi. 2) Opera Christi habuerunt infinitum valorem ratione personae operantis et gratiae unionis, qua certe dignificata est gratia ejus habitualis tanquam a termino complente. 3) Gratia habitualis, sic dignificata a persona divina et unione hypostatica, fuit quasi forma, quae instruxit facultates activas animae Christi et constituit principium *quo* operationum et influxus in membra. Quare, gratia habitualis, pertinens ad lineam operativam et dignificata a gratia unionis, constituit in Christo rationem formalem capitis Ecclesiae [3].

ARTICULUS III

UTRUM CHRISTUS SIT OMNIUM CREATURARUM INTELLECTUALIUM CAPUT

702. Status quaestionis. 1) Christus propter suam dignitatem et perfectionem praesidet omnibus creaturis, potestque dici earum dominus ac moderator, quia omnia subjecta sunt pedibus ejus. Anorganicarum tamen et irrationabilium non potest dici caput propter diversitatem naturae.

[1] *In III p.,* disp. 48, c. 4.
[2] *III p.,* q. 8, a. 5 ad 3.
[3] Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** controv. 15, n. 13; **Gonet,** *De incarnatione,* disp. 15, n. 107; **Franzelin,** *De Verbo incarnato,* th. 41.

http://www.obrascatolicas.com

2) Quaestio venit hic enucleanda, an et quomodo Christus sit caput creaturarum intellectualium per hunc ordinem: angelorum ac beatorum, justorum, fidelium peccatorum, haereticorum, infidelium, daemonum ac damnatorum.

703. THESIS I. **Christus est caput angelorum** [1].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus loquens de Christo ait: *Qui est caput omnis principatus et potestatis* [2].

2) *Ex ratione.* Humanitas Christi propter suam unionem ad personam Verbi dignior est ac perfectior angelis, et in eos influit plures gratias, gloriam accidentalem, charismata supernaturalia, revelationes mysteriorum Dei et alia quamplurima. Ergo Christus est caput angelorum.

Num Christus influat gratiam et gloriam essentialem in angelos, disputatur a theologis. Affirmant *Suarez, Valentia, Philippus a SS. Trinitate, Laurentius a S. Theresia* et alii [3]. Negant *S. Thomas, S. Bonaventura, Vazquez, Sylvius, Gonet, Contenson* et alii [4], quorum sententia magis mihi probatur.

Opinionis negantis ratio est, quia gratiam et gloriam essentialem nemini meruit Christus nisi qua Redemptor et intuitu mortis. Christus autem non est angelorum Redemptor «nec pro angelis mortuus est» [5].

Eadem ratione Adamus in statu innocentiae fuit certe membrum Christi venturi, sed gratiam habitualem non accepit pro meritis Christi.

704. THESIS II. **Christus est quodammodo caput omnium hominum non damnatorum.**

Arg. *S. Thomas* ait ad rem: «Membra corporis mystici accipiuntur non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia... Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. *Primo* enim et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur ei per gloriam. *Secundo* eorum, qui actu uniuntur ei per caritatem. *Tertio* eorum, qui actu uniuntur ei per fidem. *Quarto* vero eorum, qui ei uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem. *Quinto* vero eorum, qui in potentia sunt ei uniti, quae nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati, qui tamen ex hoc saeculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi, quia jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur» [1].

1) *Beatis* in patria gloriam essentialem et visionem beatificam contulit. His adnumerantur SS. Patres Veteris Testamenti, qui intuitu meritorum Christi venturi sanctificati atque in gratia decedentes, recepti sunt in sinum Abrahae ante adventum Domini.

2) *Justis viatoribus* influit gratiam habitualem et charismata atque dona supernaturalia, sibi eos conjungens tanquam membra actualia per caritatem. Inter justos viatores possunt computari animae purgatorii, quae utpote actuali caritate Deo conjunctae, vere sunt membra Christi [2]. Idem dicendum de catechumenis in gratia Dei constitutis.

3) *Fideles peccatores* certe uniuntur Christo per fidem et spem.

Controvertitur, an per hanc unionem constituantur ipsi actu membra Christi. Negat *Cano* [3]. Alii probabilius docent fideles in peccato mortali exsistentes esse actu membra Christi, non quidem perfecte et simpliciter sed imperfecte et secundum quid. *S. Thomas* favet huic opinioni, cum dicit Christum esse caput «eorum, qui actu uniuntur ei per fidem» [4]; de quibus iterum ait: «Non sunt membra Christi actualiter sed potentialiter, nisi forte imperfecte per fidem informem, quae unit Christo secundum quid et non simpliciter... Percipiunt tamen tales a Christo quemdam actum vitae, qui est credere» [5]. Revera, fideles peccatores sunt membra Ecclesiae, ergo et Christi.

4) *Haeretici* ac *pagani*, sive sint praedestinati sive praesciti, non sunt actu membra Christi, sed tantum in potentia, hac differentia, quod praedestinati sint membra Christi in potentia ad actum reducenda, et praesciti in potentia nunquam vel solum transeunter ad actum reducenda.

705. THESIS III. **Christus non est daemonum ac damnatorum caput.**

Arg. Daemones atque damnati non subjiciuntur dominio Christi nisi coacti et inviti, nullumque influxum recipiunt a Christo Redemptore in ordine sanctificationis et vitae aeternae.

QUAESTIO XLVII

DE SCIENTIA HUMANA CHRISTI

ARTICULUS I

AN CHRISTUS QUATENUS HOMO HABUERIT SCIENTIAM HUMANAM

706. Status quaestionis. 1) Christus Dominus, quatenus Deus, habuit proculdubio in intellectu divino scientiam infinitam, qua omnia cognoscebat comprehendebatque ab aeterno, ut explicatum est in tractatu *De Deo uno*, quaestione 14.

---

1 **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 4, a. 2, docet Christum non esse caput angelorum nisi in quantum est Deus.
2 *Coloss.*, 2, 10.
3 **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 23, sect. 1, n. 7; **Valentia,** *In III p.*, q. 8, p. 3; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnat.*, disp. 5, dub. 7; **Laurentius a S. Theresia,** t. 5, controv. 15, n. 37 sqq.
4 **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 13, q. 2, a. 2; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 13, a. 2, q. 3 ad 4; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 49; **Sylvius,** *In III p.*, q. 8, a. 4; **Gonet,** *De incarnat.*, disp. 14, n. 73; **Contenson,** lib. 9, diss. 4, c. 2, specul. 3.
5 **S. Augustinus,** *Enchiridion*, c. 61; ML **40**, 261.

1 *III p.*, q. 8, a. 3.
2 Cfr. **Cajetanus,** *In III p.*, q. 8, a. 3.
3 *De locis*, lib. 4, c. ult. ad 9.
4 *III p.*, q. 8, a. 3.
5 *III p.*, q. 8, a. 3 ad 2.

http://www.obrascatolicas.com

2) Quaerimus hic, an Christus quatenus homo habuerit in intellectu humano aliquam scientiam seu cognitionem creatam.

707. Errores. 1) *Gnostici* et *valentiniani*, si fides est *S. Irenaeo*, existimarunt Christum in infantia fuisse aliis infantibus parem et ignorantiae obnoxium.

2) *Nestoriani* putarunt Christum hominem morali dumtaxat nexu fuisse Verbo conjunctum, et plures veritates ignorasse.

3) *Monothelitae* contenderunt Verbum secundum divinam naturam fuisse in Christo principium immediatum omnium operationum, passive se habente humana natura, et consequenter negaverunt Christo humanam cognitionem.

4) Quidam antiqui catholici ,ut referunt *S. Bonaventura* et *Capreolus* [1], voluerunt intellectum humanum Christi cognoscere res per intellectionem divinam et increatam, quatenus intellectus motus a divinitate eliciebat divinam intellectionem [2].

5) *Lutherus, Zuinglius, Bucerus, Calvinus* [3] et alii protestantes, praesertim liberales hodierni, volunt scientiam humanam Christi fuisse limitatam et progressui humano obnoxiam.

6) *Modernistarum* propositiones sunt: «Criticus nequit adserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite». «Christus non habuit semper conscientiam suae dignitatis messianicae» [4].

708. THESIS. **Christus homo habuit scientiam humanam, a primo instanti suae conceptionis, ab omni errore immunem et universalem.**

Pars I. *Habuit scientiam humanam.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Isaias ait: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus..., spiritus scientiae et pietatis* [5]. S. Joannes: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis..., plenum gratiae et veritatis* [6]. Apostolus: *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* [7].

2) *Ex SS. Patribus. S. Hieronymus* docet: «Nullum hominem, excepto eo, qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuisse scientiam et certissimam veritatem» [8]. *S. Augustinus:* «Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis» [9].

---

[1] **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 14, a. 1, q. 1; **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 1.

[2] Huic errori aliquantulum favit **Hugo Victorinus,** *Tract. de sapientia animae Christi;* ML **176,** 848 sqq.

[3] **Lutherus,** *In concione de Nat. Dom.;* **Zuinglius,** *In confess. ad Corolum V*, a. 1; **Bucerus,** *In Matth.*, c. 24; **Calvinus,** *in Matth.*, c. 24.

[4] Decreto *Lamentabili*, prop. 34-35; **Denz-Bannw.,** 2034 sq.; **Loisy,** *Autour d'un petit livre*, 138, ait: «Il (le critique) ne pourrait lui attribuer une science sans bornes».

[5] *Is.*, 11, 2.

[6] *Joan.*, 1, 14.

[7] *Coloss.*, 2, 3.

[8] *Ep. 36 ad Damasum*, n. 15; ML **22,** 459.

[9] *De peccat. meritis*, 2, n. 48; ML **44,** 180.

3) *Ex ratione.* Triplici ratione probat *Angelicus* fuisse in Christo aliquam scientiam humanam: a) Anima Christi, nisi haberet scientiam, esset in potentia ad intelligibilia ut ad actum atque ideo imperfecta, quod est inconveniens. b) Christus, si careret scientia humana, frustra haberet animam rationalem, quia quaelibet res est propter suam operationem. c) Christus suscepit humanam naturam integram. Ad integritatem autem humanae naturae pertinet cognitio saltem primorum principiorum [1].

Pars II. *A primo instanti suae conceptionis.*

1) S. Joannes ait: *Verbum caro factum est;* et statim addit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis* [2]. Hic certe innuit Evangelista Christum statim ac conceptum fuisse plenum gratiae et veritatis.

2) *S. Bernardus:* «Sive ergo latens in utero, sive vagiens in praesepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectae aetatis docens in populo atque profecto plenus fuit Spiritu Sancto. Nec fuit hora in quacumque aetate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur vel aliquid eidem adjiceretur» [3].

3) S. Congregatio S. Officii die 7 Junii 1918 declaravit *non posse tuto doceri* propositionem his verbis expressam: «Nec certa dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia, quae Deus scit scientia visionis [4].

Pars III. *Ab omni errore immunem.*

1) *Pius PP. X* damnavit sequentem propositionem: «Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Christi» [5].

2) Error, si esset in scientia humana Christi, adscriberetur ipsi supposito divino Christi, quia actiones, passiones, proprietates, etc., sunt suppositorum. Sed error non potest adscribi supposito divino Christi. Ergo.

Pars IV. *Habuit scientiam universalem seu illimitatam.*

1) S. Congregatio S. Officii die 7 Junii 1918 respondit non posse tuto doceri sequentem propositionem: «Placitum quorumdam recentio-

---

[1] *III p.*, q. 9, a. 1.

[2] *Joan.*, 1, 14.

[3] Homil. 2 super *Missus est;* ML **183,** 65; **Loisy,** *Simples réflexions sur le Décret du S. Office*, prop. 35, ait despective: «Nos théologiens trouvent tout simple que Jésus, dans le sein de sa mère, ait eu conscience d'être le Messie, et qu'il ait possédé toute la science des choses divines et humaines, du passé, du présent et de l'avenir».

[4] *Acta Ap. Sedis*, 10, 282.

[5] Decreto *Lamentabili*, prop. 32; **Denz-Bannw.,** 2032.

http://www.obrascatolicas.com

rum de scientia animae Christi limitata, non est minus accipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali»[1].

2) Leporius presbyter inter alia dixit: «Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare»; sed a *S. Augustino*, ut creditur, edoctus, hunc modum dicendi anathematizavit, «quia dici non licet, etiam secundum hominem, ignorasse Dominum prophetarum»[2].

3) Ad haec adjungit cl. *Billot:* «Salva orthodoxia, ignorantia in Christo concedi non potest»[3].

709. Corollarium. Ex his facile deduces in Christo fuisse duplicem intellectionem, divinam et humanam. Divina «non potuit esse animae humanae Christi, cum sit alterius naturae»[4]; humana vero eliciebatur ab intellectu humano, qui fuit potentia perfecta atque expedita.

Dices. Dominus Jesus ait apud Marcum: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater*[5]. Ergo.

Resp. Haec verba, quibus magnopere abusi sunt haeretici, referuntur ad Filium ut *revelatorem*, ita ut nesciat diem judicii *ad revelandum*, quamvis ipse bene illam noscat.

ARTICULUS II

QUOTUPLEX FUERIT SCIENTIA HUMANA CHRISTI

710. Status quaestionis. Triplex distinguitur scientia humana, scilicet, beata, infusa et acquisita: 1) *Beata* est illa scientia, qua angeli et beati Deum in se et creaturas in Deo vident. 2) *Infusa* est cognitio rerum a Deo indita. Si cognitio superet vires intellectus, vocatur scientia *infusa per se;* sin autem, dicitur *infusa per accidens*. 3) *Acquisita* est, quae experientia, studio et labore proprio comparatur, ut philosophia et mathesis, quae acquiruntur ab homine per abstractionem et studium.

Fuitne Christus hac triplici scientia instructus?

711. Placita theologorum. 1) *Güntheriani* et aliqui catholici moderni cum *H. Schell* dixerunt Christum Dominum non habuisse scientiam beatam saltem ab initio.

2) Alii putantes sufficere Christo scientiam beatam et acquisitam, negaverunt ei scientiam infusam.

3) *S. Thomas* aliquando negavit Christo scientiam acquisitam[6], sed in *Summa Theologica* mutavit sententiam[7].

4) Theologi unanimi fere consensu docent hodie Christum Dominum habuisse triplicem scientiam, beatam, scilicet, infusam et acquisitam.

---

1 *Acta Ap. Sedis*, 10, 282.
2 *Libellus emendationis*, n. 10; ML **31**, 1229.
3 *De Verbo incarnato*, th. 21, § 2.
4 **S. Thomas,** *III p.*, q. 9, a. 1 ad 1.
5 *Marc.*, 13, 32.
6 *In III Sent.*, dist. 14, a. 3, q. 5.
7 *III p.*, q. 9, a. 4.

712. THESIS I. **Christus ut homo a primo instanti suae conceptionis habuit scientiam beatam.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Jesus ait Nicodemo: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo*[1]. Unde Filius hominis, dum esset viator, erat in caelo. Sed non erat in caelo nisi per visionem Dei. Ergo Christus ut homo fuit beatus a primo instanti suae conceptionis.

2) S. Congregatio S. Officii sub die 7 Junii 1918 decrevit tuto doceri non posse propositionem his terminis expressam: «Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores»[2].

3) *Ex ratione.* Sicut oportet causam esse priorem causato, ita necesse est illum, qui aliis communicat beatitudinem, prius esse beatum. Sed Christus homo contulit aliis beatitudinem juxta illud Apostoli: *Qui multos filios in gloriam adduxerat*[3]. Ergo.

Solvitur gravis difficultas.

713. Obj. Scientia beata, utpote producens summum gaudium non potest in eodem subjecto simul esse cum summa tristitia. Sed Christus in horto affectus est summa tristitia juxta illud: *Tristis est anima mea usque ad mortem*[4]. Ergo in Christo non fuit scientia beata.

Resp. 1) Aliqui dicunt Christum Dominum tempore passionis gaudio in voluntate, et tristitia in appetitu sensitivo affectum fuisse. Haec explicatio satis probabilis visa est *Cano*[5].

2) *Alii* ab hac gravi difficultate se expediunt dicentes delectationem in Christo interruptam fuisse tempore passionis, ut locus daretur tristitiae et moerori ad hominum redemptionem et peccatorum satisfactionem. Ita *Cano, Valentia* et *Maldonatus*[6].

Sed haec solutio displicet generatim theologis. Delectatio enim et gaudium sunt perfectio ac complementum beatitudinis, et subtrahi nequeunt ab anima beata, nisi suspendatur ipsa ejus beatitudo seu visio beatifica.

3) *Theophilus Raynaudus* docet «Christum simul et semel in voluntate cum gaudio beatifico tristitiam quoque immensam perpessum esse»[7].

Neque haec solutio satisfacit. Summum gaudium et summa tristitia in eadem voluntate et respectu ejusdem objecti sese contradicunt, quatenus gaudium importat actum per modum accessus, et tristitia actum per modum recessus. Contradictoria autem verificari nequeunt. Ergo.

4) *Alii* volunt gaudium et tristitiam non posse reperiri in eodem subjecto circa idem omnino objectum, bene tamen circa diversa objecta vel etiam circa idem objectum materiale, quod sit formaliter multiplex et diversum.

Verum haec responsio eludit contradictionem, quam important summum gaudium et summa tristitia ex parte objecti, sed non contradictionem quam dicunt gaudium et tristitia ex parte subjecti. Explicandum est, quomodo

---

1 *Joan.*, 3, 13.
2 *Acta Ap. Sedis*, vol. 10, p. 282.
3 *Hebr.*, 2, 10.
4 *Matth.*, 26, 38.
5 *De locis*, lib. 12, c. 13.
6 **Cano,** *De locis*, lib. 12, c. 13; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 9; **Maldonatus,** *In Matth.*, 26, § «Subtilius in scholis».
7 *De Christo*, lib. 4, sect. 2, c. 4, n. 251.

http://www.obrascatolicas.com

salvari potuerint summum gaudium et summa tristitia simul in eadem voluntate rationali Christi.

5) Dicendum est gaudium et tristitiam producta fuisse a diversis formaliter objectis in partibus superiori et inferiori voluntatis Christi. Quod ut probe intelligas, animadverte in potentiis intellectualibus considerari debere rationem superiorem et rationem inferiorem, quae distinguuntur penes diversa munia [1]. Ratio superior attendit rebus aeternis conspiciendis aut consulendis, ratio inferior rebus temporalibus cognoscendis et componendis. Impossibile quidem fuit, ut voluntas Christi circa idem omnino objectum et secundum eamdem voluntatis partem afficeretur summa delectatione et summa tristitia, sed affecta fuit circa objecta formaliter diversa et secundum diversam partem ipsius voluntatis rationalis. Pars superior voluntatis Christi, quae attendebat rationibus aeternis et respiciebat Deum, delectabatur summo gaudio; et pars inferior ejusdem, quae attendebat rebus temporalibus, affecta est in horto summa tristitia [2].

714. THESIS II. **Intellectus humanus Christi praeter scientiam beatam habuit scientiam per se infusam, supernaturalem et naturalem, a primo instanti suae conceptionis.**

Nota. Scientia dicitur infundi, quando non acquiritur propria industria, sed species a Deo intellectui per infusionem confertur. Si cognitio rerum, quae per vires intellectus comparari nequit, alicui infundatur, dicitur scientia *per se infusa:* idque contingit in duplici objectorum genere, id est, circa objecta supernaturalia, ut sunt mysteria gratiae, et circa objecta naturalia nobis impervia, ut est numerus stellarum. Unde scientia per se infusa potest esse supernaturalis vel naturalis ex objecto. Si cognitio rerum, quae viribus intellectus acquiri potest, ut notitia problematum matheseos, cuipiam reveletur, vocatur scientia infusa *per accidens.*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* [3]. Scientia autem infusa est profecto thesaurus magni aestimandus. Ergo.

2) *Ex ratione S. Thomae.* «Decebat, ut humana natura adsumpta a Verbo Dei imperfecta non esset. Omne autem, quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autem in actum per species intelligibiles, quae sunt quaedam formae completivae ipsius, ut patet ex his, quae dicuntur in 3 de anima (text. 32 et 38). Et ideo oportet in Christo ponere scientiam inditam, in quantum per Verbum Dei animae Christi sibi personaliter unitae impressae sunt species intelligibiles ad omnia, ad quae intellectus possibilis est in potentia» [4].

Circa hanc rationem adverte sequentia:

a) Licet scientia distinguatur a speciebus intelligibilibus, semper tamen eas comitatur. Unde vix species intelligibiles informant intellectum, statim paritur notitia. Ubi ergo species intelligibiles a Deo infunduntur, scientia simul communicatur.

---

[1] Cfr. **Complutenses,** *De anima,* disp. 19, q. 2.
[2] Cfr. **Cajetanus,** *In III p.,* q. 46, a. 7; **Salmant.,** *De incarnatione,* disp. 17, n. 46; **Mendive,** *De Verbi div. incarnat.,* n. 102.
[3] *Coloss.,* 2, 3.
[4] **S. Thomas,** *III p.,* q. 9, a. 3.

b) Scientia infusa nunquam Christo defuit, quia decebat intellectum humanum Christi esse perfectum a primo instanti suae conceptionis, in quo etiam usum rationis pro hac scientia sine conversione ad phantasmata habuit.

c) Ex verbis Angelici sequitur in Christo fuisse scientiam infusam tum naturalem tum supernaturalem. Quia oportebat totam potentiam intellectus humani Christi reduci ad actum. Haec autem potentia in Christo erat duplex, una *naturalis,* quae reducta est ad actum per species et scientiam rerum naturalium; et altera *obedientialis,* quae reducta est ad actum per species et scientiam rerum supernaturalium, nempe mysteriorum gratiae. Unde *Angelicus* ait: «In anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva (naturalis et obedientialis)... Utraque autem potentia animae Christi fuit reducta in actum secundum hanc scientiam divinitus inditam» [1].

Nec valet dicere potentiam animae Christi fuisse reductam ad actum per scientiam beatam. Nam, licet Christus cognoverit omnia in Verbo, adhuc intellectum habebat in potentia ad recipiendas species intelligibiles et ad intelligenda objecta modo naturali.

715. THESIS III. **Christus ut homo habuit scientiam per se acquisibilem.**

Nota. Scientia *per se acquisibilis* dicitur, quae petit per industriam humanam acquiri, ut dialectica et mathesis.

Distinguitur essentialiter a scientia infusa naturali: 1) Quia una ex natura sua postulat humano labore acquiri, et altera per se petit a Deo infundi. 2) Objectum scientiae per se acquisibilis est quidditas rerum materialium ex sensibus conjecta; objectum scientiae naturalis infusae sunt quaelibet res naturales, ipsa etiam individua, repraesentata in speciebus infusis independenter a phantasmatibus. 3) Species unius sunt naturales ex phantasmatibus abstractae, species alterius sunt supernaturales a Deo infusae. 4) Ratio formalis *sub qua* scientiae per se acquisibilis est semper aliquid sub conceptu quidditatis materialis, ratio *sub qua* scientiae infusae est e contra aliquid relatum ad ordinem supernaturalem gratiae.

Arg. 1) Oportebat maxime, ut omnis potentialitas humani intellectus Christi reduceretur ad actum. Sed intellectus humanus Christi erat naturaliter in potentia ad scientiam per se acquisibilem. Ergo.

2) In anima Christi fuerunt proculdubio intellectus agens et possibilis cum propriis operationibus. «Propria autem operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas a phantasmatibus» [2]; operatio vero intellectus possibilis est has species recipere et objecta intelligere, producendo verbum mentis. Ergo in Christo fuit scientia per se acquisibilis.

Haec scientia acquisita Christi consuevit vocari *experimentalis* juxta illud *S. Thomae:* «quam quidam experimentalem nominant» [3].

---

[1] *III p.,* q. 11, a. 1.
[2] *III p.,* q. 9, a. 4.
[3] *III p.,* q. 9, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO XLVIII

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI

ARTICULUS I

QUOD FUERIT OBJECTUM SCIENTIAE BEATAE ANIMAE CHRISTI

716. Status quaestionis. Duplex est, ut alibi diximus, objectum visionis beatificae, *primarium* et *secundarium*. Primarium est Deus et cuncta Dei attributa seu perfectiones, secundarium vero creaturae, prout continentur in Verbo.

717. THESIS I. **Anima Christi per scientiam beatam a primo instanti suae conceptionis videbat Deum longe perfectius quam angeli ac beati.**

Hoc certe colligitur *ex unione hypostatica* et *ex fine incarnationis*. Primo quidem *ex unione hypostatica*, quia, si angelis et beatis confertur visio Dei ob suam unionem affectivam cum Deo, multo magis anima Christi perficietur visione Dei ob suam unionem hypostaticam cum persona Verbi. Secundo *ex fine incarnationis*, quia, si Verbum incarnatum fuit, ut homines ducerentur ad visionem Dei, a fortiori congruebat animam Christi ad eumdem finem ante omnes perduci.

Hinc Christus a principio suae incarnationis videbat Deum, unum et trinum, cum omnibus ejus attributis, nempe intuebatur essentiam, personas, proprietates ac perfectiones Dei infinitas, quae revera sunt unum et simplicissimum objectum contemplationis beatorum. Unde dicebat: *Scio eum et sermonem ejus servo* [1].

Haec profundissime explicat *S. Thomas* dicens: «Visio divinae essentiae convenit omnibus beatis secundum participationem luminis derivati in eos a fonte Verbi Dei secundum illud *Eccli.*, 1, 5: *Fons sapientiae, Verbum Dei in excelsis*. Huic autem Verbo Dei propinquius conjungitur anima Christi, quae est unita Verbo in persona, quam quaevis alia creatura; et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quam quaecumque alia creatura. Et ideo prae caeteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem» [2].

Nequit tamen comprehendere Deum, quia anima humana Christi est finita, et mens finita nequit comprehendere infinitum. Unde in concilio Basileensi damnata est propositio Augustini de Roma his terminis expressa: «Anima Christi videt Deum tam clare et intense, quantum clare et intense Deus videt se ipsum» [3].

---

1 *Joan.*, 8, 55.
2 *III p.*, q. 10, a. 4.
3 *Sess.* 22; **Mansi**, 29, 109.

718. THESIS II. **Christus per scientiam beatam videbat et videt distincte in Verbo, vices specierum gerente, omnes creaturas praesentes, praeteritas et futuras, quas Deus videt per scientiam visionis.**

Hanc doctrinam tenet *S. Thomas* [1] cum omnibus domesticis et pluribus extraneis contra *Biel* et alios [2].

Juxta decretum S. Officii 7 Junii 1918 certa dicenda est «sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis» [3].

Ratio hujus doctrinae est, quia beati in essentia divina vident omnia, quae ad eorum statum pertinent. Sed ad Christum, omnium creaturarum regem ac dominum, cui *omnia dedit... Pater in manus* [4], spectant omnes creaturae praesentes, praeteritae et futurae. Ergo. Hinc *S. Thomas* ait: «Anima Christi in Verbo cognoscit omnia exsistentia secundum quodcumque tempus... Scit ergo anima Christi omnia, quae Deus in se ipso cognoscit per scientiam visionis» [5], et quidem simul absque ulla successione [6].

Imo non solum creaturas praesentes, praeteritas et futuras, verum etiam omnia dicta, facta et cogitata, et quae erant, sunt vel erunt in potentia creaturae, nota sunt Christo, quia Christus comprehendebat omnium creaturarum essentiam et virtutem seu potentiam, secundum illud Petri: *Domine, tu omnia nosti* [7].

719. THESIS III. **Anima Christi per scientiam beatam non cognoscebat omnes creaturas possibiles.**

Est satis communis contra *Magistrum Sententiarum, S. Albertum Magnum, Alensem, Durandum, Scotum* et alios [8].

Videri possunt *Capreolus, Ferrariensis, Cajetanus, Salmanticenses* et *Philippus a SS. Trinitate* [9].

Arg. Cognitio omnium possibilium in Verbo ex vi cognitionis arguit comprehensionem virtutis Dei ac proinde comprehensionem essentiae divinae. Sed intellectus humanus Christi non potest comprehendere virtutem ac essentiam Dei. Ergo. Ad rem *S. Thomas:* «Scit ergo anima Christi omnia, quae Deus in se ipso cognoscit per scientiam vi-

---

1 *III p.*, q. 10, a. 2.
2 *In III Sent.*, dist. 14, q. un., a. 1, concl. 2.
3 *Acta Ap. Sedis*, vol. 10, p. 282; **Denz-Bannw.**, 2184.
4 *Joan.*, 13, 3.
5 *III p.*, q. 10, a. 2, et ad 2.
6 Cfr. *De Deo uno*, n. 239.
7 *Joan.*, 21, 17.
8 **Magister Sent.**, *III Sent.*, dist. 14, § 2; **S. Albertus M.**, *In III Sent.*, dist. 14, aa. 1-2; **Alensis**, *III p.*, q. 13, m. 4; **Durandus**, *In III Sent.*, dist. 14, q. 2; **Scotus**, *In III Sent.*, dist. 14, q. 2.
9 **Capreolus**, *In III Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 1; **Cajetanus**, *In III p.*, q. 10, a. 2; **Salmanticenses**, *De incarnat.*, disp. 8, n. 1; **Philippus a SS. Trinitate**, *De incarnatione*, disp. 6, dub. 3.

http://www.obrascatolicas.com

sionis, non tamen omnia, quae Deus in se ipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentiae, et ita plura scit Deus in se ipso, quam anima Christi» [1].

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS PER SCIENTIAM BEATAM VIDERIT CREATURAS SIMUL IN VERBO

720. Status quaestionis. Visio rerum simultanea rigorose dicitur, quae uno eodemque actu nunquam interrupto simul intuetur objecta, successiva vero, quae per successivos actus interruptos exercetur.

Quaeritur, an Christus per scientiam beatam omnes creaturas praeteritas, praesentes et futuras actu nunquam interrupto simul in Verbo videat.

721. Placita theologorum. 1) Quorumdam opinionem refert *Angelicus* his verbis: «Quidam dixerunt, quod anima Christi actu non videt omnia, quae Deus potest facere, videt tamen in habitu. Ita enim perfecte Verbum cognoscit, ut quidquid velit cognoscere, convertendo se ad Verbum, ejus cognitionem in Verbo accipiat, quamvis non semper omnia speculetur in actu, quae in Verbo potest cognoscere» [2]. Hanc sententiam tenuerunt *S. Bonaventura, Scotus* et alii [3].

2) Alii multo communius et verius docent animam Christi per scientiam beatam omnia praeterita, praesentia et futura simul videre. Ita *S. Thomas, Sotus, Alvarez, Salmanticenses* et omnes thomistae [4].

722. THESIS. **Christus per scientiam beatam videt omnia, quae Deus videt scientia visionis, simul in Verbo.**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Anima Christi, ait *Angelicus*, et quilibet beatus, quantum ad visionem beatam, qua videt Verbum et res in Verbo, non patitur successionem in intelligendo; quia secundum Augustinum *(De Trinitate*, lib. 15, c. 16, n. 26; ML **42,** 1079) in patria non erunt volubiles cogitationes. Unde oportet ponere, quod anima Christi omnia, quae habitu videt in Verbo, actu in eo videat» [5].

2) *Ex ratione.* a) Scientia beata, qua Christus videt res in Verbo, mensuratur aeternitate participata, quae est tota simul. Ergo Christus videt in Verbo omnes res simul.

b) Christus per scientiam beatam videt res in Verbo tanquam in una specie vel vices speciei gerente. Ergo videt omnia simul.

---

[1] *III p.*, q. 10, a. 2 ad 2.

[2] *De veritate*, q. 20, a. 5; «Sed quia».

[3] **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 14, a. 2, qq. 2-3; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. 2, n. 20; «Sed si ista via». Cognitionem habitualem hic vocat **Scotus** non habitum in anima exsistentem, qui ratione sua ostendat objecta, sed visionem primi objecti virtualiter continentis objecta. «Per aliquem actum videt Verbum, et per illum actum omnia relucentia in Verbo sunt sibi praesentia actu primo, et per hoc habitualiter sibi nota». Ibid.

[4] **S. Thomas,** *De veritate*, q. 20, a. 5; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 49, q. 3, a. 3, concl. 8; **Alvarez,** *De incarnatione*, disp. 55, n. 38; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 18, n. 32.

[5] *De veritate*, q. 20, a. 5.

QUAESTIO XLIX

DE SCIENTIA INFUSA ANIMAE CHRISTI

ARTICULUS I

QUID COGNOVERIT ANIMA CHRISTI PER SCIENTIAM INFUSAM

723. Status quaestionis. *Angelicus Doctor*, sicut modo retulimus, expresse docet potentiam naturalem et obedientialem animae Christi reductam fuisse in actum per scientiam divinitus infusam. Deinde subdit: «Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognovit quaecumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis; sicut sunt quaecumque pertinent ad scientias humanas; secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti... Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit» [1].

Ut haec clarius nobis innotescant, separatim considerari possunt genera objectorum, quae intellectui humano Christi offerebantur. Haec erant: *Objecta naturalia, quae virtute intellectus cognosci possunt; substantiae naturales nobis imperviae; cogitationes cordium; futura contingentia; entia supernaturalia; essentia Dei; mysterium SS. Trinitatis; cumulus possibilium.*

Quid de singulis Christus noverit per scientiam infusam, breviter expendere placet.

I. *Christus per scientiam infusam cognovit omnia naturalia, tum ea, quae virtute propria intellectus comparari possunt, ut scientiae naturales, tum ea, quae intellectui humano impervia sunt, ut substantiae separatae, non solum secundum rationes genericas aut specificas, sed etiam in individuo secundum propriam uniuscujusque rationem.* Ita communiter thomistae et ex extraneis *Suarez, Lugo* [2] et alii.

Arg. Minime decuit intellectum humanum Christi esse in potentia ad aliquid et consequenter imperfectum. Esset autem in potentia ad plura et imperfectus, si non cognosceret omnia naturalia non solum quoad rationes genericas aut specificas, sed etiam in individuo secundum propriam uniuscujusque rationem, quia ad haec omnia intelligenda habuit Christus potentiam. Ergo.

Omnia autem individua sub una specie contenta cognoscebat Christus per unam tantummodo speciem infusam, quae non confuse sed distincte et clare repraesentabat rationes individuales eo modo, quo species angelicae repraesentant plura individua.

---

[1] *III p.*, q. 11, a. 1.

[2] **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 27, sect. 1 et 3; **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 20, sect. 2.

http://www.obrascatolicas.com

Nec obstat scientiam non esse de singularibus, quia principia scientiae naturalis applicari nequeunt scientiae supernaturali. Licet scientiae naturales non versentur circa singularia sed circa quidditates rerum, scientiae tamen supernaturales et infusae possunt versari circa singularia.

Non cognoscebat Christus per hanc scientiam omnia simul actu sed successive. Omnium quidem habebat species et omnia cognoscebat simul habitu, sed quantum ad actum cognoscebat naturas et individua, quando volebat vel occasio se offerebat.

II. *Intellectus humanus Christi per scientiam infusam cognovit cogitationes cordium et futura contingentia.* Ita fere communiter theologi [1] contra *Scotum*, *Bielem* [2] aliosque paucos.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Quidam de scribis dicebant de Jesu apud Matthaeum: *Hic blasphemat. Et, cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* [3]. Rursum: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est* [4].

2) Summopere decebat, ut revelatio a Deo Christo homini facta patefaceret omnes quidditates per speciem creatam cognoscibiles. Sed cogitationes cordium et futura contingentia, utpote entitates et modi reales, sunt per speciem creatam cognoscibiles. Ergo.

Scholion. Difficultas non mediocris se offert circa medium, in quo Christus per scientiam infusam cognovit futura contingentia:

a) Ad hanc cognitionem non videtur sufficere evidentia in attestante seu revelante, ut voluit *Suarez* [5], quia cognitio rerum per evidentiam in attestante est fides atque ideo confusa.

b) Christus non vidit futura contingentia in speciebus infusis repraesentantibus divinum decretum de futuritione rerum contingentium, ut contendit *Medina* [6], quia impossibile est divinum decretum per speciem creatam repraesentari.

c) Videtur Christus cognovisse futura contingentia per scientiam infusam in speciebus eorum propriis, non quidem acceptis a rebus ipsis, sed exemplatis derivatisque ab essentia divina. Futura contingentia determinata jam per decretum Dei exsistunt in aeternitate, habentque veritatem objectivam pro aliqua duratione; et haec veritas repraesentata est in Christo per species creatas derivatas a divina essentia. Ad rem *S. Thomas:* «Quandoque vero prophetica revelatio est impressa quaedam similitudo divinae praescientiae; prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus [7].

III. *Christus per scientiam infusam cognovit evidenter et quidditative, imo comprehendit omnia entia creata supernaturalia ut gratiam, fidem, caritatem,* etc. Ita communius theologi [1] contra paucos.

Arg. a) Intellectus humanus Christi erat in potentia ad intelligenda omnia entia creata supernaturalia. Pro dignitate autem Christi hominis oportebat illum in actum reduci.

b) Christus erat causa efficiens et finalis conscia omnium entium supernaturalium. Ergo cognoscebat ea per scientiam infusam.

c) Christus per scientiam infusam instructus erat, ut esset Doctor aliorum circa entia supernaturalia, id est, circa gratiam, fidem, caritatem, etc. Ergo.

Corollarium. Rationes expositae probant cognitionem entium supernaturalium in Christo fuisse evidentem et quidditativam, quia species infusae, quae intellectum Christi reducebant in actum, repraesentabant quidditative entia creata supernaturalia. Verum dignitas Christi, qua Doctoris, judicis et causae efficientis ac finalis totius ordinis supernaturalis postulabat illam cognitionem esse comprehensivam, ut nulla cognoscibilitas limitata ac finita, qualis est cognoscibilitas entium creatorum supernaturalium, excederet perfectionem virtutis intellectivae Christi.

IV. *Intellectus humanus Christi per scientiam infusam cognovit Deum et mysterium SS. Trinitatis evidenter* QUOAD AN EST, *non tamen evidenter* QUOAD QUID EST. Ita fere omnes contra *Vazquez* [2] et alios paucos.

Pars 1.ª

Arg. a) *S. Thomas* diserte ait: «Per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti» [3].

b) Conveniens omnino fuit, ut in revelatione Christo facta includeretur evidens manifestatio exsistentiae Dei ac mysterii SS. Trinitatis non secus ac in revelatione facta scriptoribus sacris. Numquid aliis viatoribus minor fuerit Christus? Ipse de unitate Dei et distinctione personarum saepe sermonem instituit, ac Patrem et Filium et Spiritum Sanctum expresse nominavit.

Cognitionem tamen infusam Dei ac mysterii SS. Trinitatis quoad *an est* non habuit Christus per species directas objecti, quia nequit dari species creata, quae immediate repraesentet Deum et SS. Trinitatem quoad *an est.*

Unde dicendum est Christum habuisse cognitionem infusam Dei et SS. Trinitatis quoad *an est* per species infusas rerum creatarum supernaturalium, in quibus elucebat exsistentia Dei auctoris supernaturalis et SS. Trinitatis.

---

1 Cfr. **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. 3; **Medina,** *In III p.*, q. 11, a. 1; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 53, c. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnatione*, disp. 6, dub. 5; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 19, n. 15 sqq.

2 **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. 3; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 14, q. un., a. 2, concl. 1-2.

3 *Matth.*, 9, 3-4.

4 *Matth.*, 26, 21.

5 *De incarnatione*, disp. 27, sect. 2.

6 *In III p.*, q. 11, a. 1.

7 *II-II*, q. 171, a. 6 ad 2.

1 Cfr. **Laurentius a S. Theresia,** vol 5, controv. 18, n. 31 sqq.; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 19, n. 28 sqq.; **Gonet,** *De incarnat.*, disp. 17, n. 46 sqq.; **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 11, a. 2.

2 **Vazquez,** *In III p.*, disp. 53, c. 1.

3 *III p.*, q. 11, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

Pars 2.ª

Arg. Cognitio quidditativa rei per revelationem habetur, quando infunduntur species repraesentantes objectum, prout est in se. Sed non potest dari species creata repraesentans naturam Dei et SS. Trinitatis, ut est in se. Ergo. *Minor* patet. Quia Deus est infinite immaterialis et actus omnino purus, species vero creata, quantumvis perfecta, non est actus omnino purus. Unde *S. Thomas:* «Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit (Christus)» [1].

V. *Christus per scientiam infusam non cognovit nec cognoscere potuit omnia possibilia.* Ita fere communiter theologi contra *Suarez* et *Gonet* [2], qui putant cognitionem omnium possibilium per revelationem Christo non repugnasse.

Arg. a) Intellectui humano Christi non potuerunt offerri species omnium possibilium. Ergo Christus non potuit per scientiam infusam cognoscere omnia possibilia. «Sicut non potest esse, ait *Angelicus*, quod sit factum, quidquid Deus potest facere; quia sic Deus fecisset tot, quot non posset plura, et sic ejus potentia esset limitata ad creaturas actu exsistentes; ita non potest poni, quod alicui creaturae sit manifestatum, quidquid Deus potest facere vel manifestare» [3].

b) Omnia possibilia cognosci non possunt nisi cognita virtute seu potentia Dei, quantum cognoscibilis est. Sed cognitio virtutis Dei, quantum cognoscibilis est, importat comprehensionem Dei, quae non competit animae Christi. Ergo Christus per scientiam infusam non cognovit nec cognoscere potuit omnia possibilia.

ARTICULUS II

QUOMODO USUS FUERIT CHRISTUS SCIENTIA INFUSA

724. Placet hic satisfieri quibusdam difficultatibus, quae se offerunt, circa modum quo Christus usus est scientia infusa, an scilicet in exercitio hujus scientiae indiguerit conversione ad phantasmata, discursu, etc.

I. *Christus per scientiam infusam poterat res cognoscere cum vel sine conversione ad phantasmata.* Ita multo probabilius theologi contra duas oppositas sententias, quarum una cum *Vazquez* et *Becano* [4] defendit Christum non potuisse uti scientia infusa per conversionem ad phantasmata, et altera cum *Durando* [5] tenet Christum in exercitio hujus scientiae indiguisse phantasmatum auxilio.

Intellectus, ait *Angelicus*, «habet se ad phantasmata dupliciter. *Uno modo* sicut accipiens a phantasmatibus scientiam; quod est in illis qui

[1] *III p.*, q. 11, a. 1.
[2] **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 27, sect. 4, n. 4; **Gonet,** *De incarnat.*, disp. 17, n. 118.
[3] *De veritate*, q. 20, a. 5 ad 4. Cfr. *Auctor in III Sent. ad Annibaldum*, dist. 14, q. un., a. 2 ad 3.
[4] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 52, c. 2; **Becanus,** *De incarnatione*, c. 9, q. 5.
[5] *In III Sent.*, dist. 14, q. 3, n. 7.

nondum scientiam habent secundum motum, qui est a rebus ad animam. *Alio modo* secundum motum, qui est ab anima ad res, in quantum phantasmatibus utitur quasi exemplis, in quibus inspicit, quod considerat, cujus tamen scientiam prius habebat in habitu» [1].

Hoc secundo sensu se habebat Christus ad phantasmata, in scientia infusa et poterat eis uti vel non uti in rebus revelatis cognoscendis.

Cum enim Christus esset comprehensor simul et viator, in exercitio scientiae infusae non erat dependens a phantasmatibus, quamvis ea haberet in imaginatione. Unde: a) de facto intellexit plura, quae non cadunt sub phantasmate, ut substantias separatas, entia supernaturalia, mysteria gratiae, cogitationes cordium, etc., et poterat sine phantasmate cognoscere omnia creata; b) «habuit tamen in parte imaginativa quasdam similitudines, in quibus etiam poterat speculari divina, in quantum non solum erat comprehensor sed etiam viator» [2]. Hinc Christus in exercitio scientiae infusae poterat uti vel non uti phantasmatibus.

Utrumque liquido tradidit *Angelicus* dicens: «Licet anima Christi potuerit intelligere, non convertendo se ad phantasmata, poterat tamen intelligere se ad phantasmata convertendo» [3].

II. *Christus per scientiam infusam poterat objecta cognoscere cum vel sine discursu.* Ita pariter doctores multo communius contra duas oppositas sententias, quarum *prima* cum *S. Bonaventura, Vazquez, Suarez* et *Lugo* [4] negat Christum potuisse in exercitio scientiae infusae uti discursu, et *altera* cum *Durando* [5] defendit eum in usu hujus scientiae indiguisse discursu.

a) *Poterat cognoscere objecta revelata per discursum.* Quia Christus in exercitio scientiae infusae poterat ab una cognitione ad alteram a prima dependentem procedere, non quidem nova addiscendo, sed utendo facultatibus et notitiis jam acquisitis. Sed in hoc processu salvatur discursus. Ergo. «Alio modo, ait *S. Thomas*, potest dici aliqua scientia discursiva vel collativa quantum ad usum: sicut interdum scientes ex causis concludunt effectus, non ut de novo addiscant, sed volentes uti scientia, quam jam habent. Et hoc modo scientia animae Christi poterat esse collativa et discursiva. Poterat enim ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat» [6].

b) *Non indigebat discursu.* Intellectus Christi per scientiam infusam poterat in speciebus intentionalibus immediate cognoscere et comprehendere objecta revelata. Ergo non indigebat discursu.

III. *Christus per scientiam infusam non cognoscebat intuitive futura.* Est sententia communis contra *Cornejo* [7].

[1] *In III Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 3, quaestiunc. 3.
[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 7, a. 8 ad 1.
[3] *III p.*, q. 11, a. 2 ad 3.
[4] **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 14, a. 3, q. 2 ad 5; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 52, c. 3; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 28, sect. 2, n. 6; **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 20, sect. 6.
[5] *In III Sent.*, dist. 14, q. 3, n. 8.
[6] *III p.*, q. 11, a. 3.
[7] *In III p.*, tr. 2, circa q. 11, disp. 1, dub. 2.

http://www.obrascatolicas.com

Cognitio intuitiva, si rigorose accipiatur, debet esse visio clara et certa objecti actu exsistentis et physice praesentis [1]. Sed futura non erant physice praesentia per scientiam infusam intellectui humano Christi, ut patet. Ergo.

Si quis tamen benignius accipiat intuitionem pro cognitione clara et certa alicujus objecti coexsistentis seu praesentis intentionaliter, ut videtur accepisse *Cajetanus* [2], potest dici Christum cognovisse futura intuitive.

ARTICULUS III

UTRUM SCIENTIA INFUSA CHRISTI FUERIT PERFECTA

725. Status quaestionis. Perfectio scientiae infusae attenditur generatim penes naturam specierum. Porro species scientiae infusae in Christo fuerunt supernaturales, non tantum ratione originis, sed etiam entitative, quia connaturaliter repraesentabant vel objecta supernaturalia, vel naturalia modo supernaturali, quatenus exhibebant objecta etiam naturalia in ordine ad gratiam, ad potentiam miraculorum, etc.

Item species infusae Christi fuerunt perfectiores omnibus aliis speciebus etiam angelorum, non quidem quoad universalitatem, quia utpote connaturales animae humanae, nonnisi unam naturam specificam singulae repraesentabant [3], sed quoad claritatem et distinctionem repraesentationis. Species siquidem Christo infusae clarius et efficacius objecta repraesentabant pluresque relationes ad ordinem supernaturalem quam species angelorum ostendebant.

Haec cum ita sint, aliquae quaestiones discutiendae sunt circa perfectionem scientiae infusae.

I. *Scientia infusa Christi fuit certe habitus distinctus a speciebus.* Est communis contra *Vazquez* [4].

a) «Anima Christi, ait *S. Thomas*,... uno habitu omnia cognovit, quae ad hanc scientiam (infusam) pertinent, quamvis diversis speciebus» [5]. Ergo pro uno habitu seu scientia habuit plures species.

b) Species sunt repraesentationes rerum seu res ipsae ac objecta intentionaliter considerata; scientia vero dicitur habitus seu qualitas permanens, quae disponit intellectum ad eliciendum actum cognitionis. Unde species se habent ex parte objecti, scientia vero ex parte subjecti. Sed repraesentationes rerum seu objecta intentionaliter considerata, et qualitas perficiens intellectum ex parte subjecti, distinguuntur realiter. Ergo.

II. *Habitus scientiae infusae in Christo fuit unicus.* Est probabilior et communior contra *Cajetanum, Sylvium, Joannem a S. Thoma, Lugo* et *Billuart* [6].

---

1 Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 20, n. 30 sqq.
2 *In III p.*, q. 11, a. 1, *Ad secundum vero dubium.*
3 *III p.*, q. 11, a. 6.
4 *In III p.*, disp. 54, c. 2.
5 *In III Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 3, quaestiunc. 4.
6 **Cajetanus,** *In III p.*, q. 11, a. 6; **Sylvius,** *In III p.*, q. 11, a. 6; **Joannes a**

a) *Angelicus Doctor* ait: «Quia ergo anima Christi habuit scientiam magis universalem, quam aliquis angelus, ideo non habuit diversos habitus, quibus cognosceret; sed uno habitu omnia cognovit, quae ad hanc scientiam pertinent, quamvis diversis speciebus» [1]. Rursum: «Non quaelibet specierum diversitas facit habitum diversum... sed diversitas specierum, quae non reducitur ad eumdem modum cognitionis secundum genus. Quae quidem diversitas contingit ex hoc, quod lumen intellectus nostri est magis particulatum et debile. Et ideo in Christo non fuit talis divisio habituum propter luminis claritatem» [2].

Dices. *Angelicus* videtur contrarium tenere, cum ait: «Scientia indita animae Christi fuit distincta secundum diversos habitus» [3].

Resp. *S. Thomas* docet scientiam inditam animae Christi fuisse distinctam secundum diversos habitus quantum ad species et ex parte connotati seu obliqui, non in esse habitus. Se ipsum clare explicat *Angelicus Doctor* in responsione ad 1 et 3, ubi ait: «et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularum rerum... et secundum hoc oportuit esse diversos habitus scientiae in anima Christi» [4].

b) Diversitas specifica habituum provenit, non ex pluralitate specifica objectorum materialium, neque ex pluralitate specierum essentialiter diversarum, sed ex diversitate rationum formalium *sub qua*. Unde, si plura objecta specie diversa, naturalia vel supernaturalia, praesentia vel futura, per plures species singulis substantiis correspondentes sub una ratione formali *sub qua* intelligantur, habitus scientificus erit unicus; et e contra, si sub diversis rationibus *sub qua* cognoscantur, erunt plures habitus. Sed Christus omnia objecta scientiae infusae pluribus speciebus repraesentata cognoscebat sub una ratione formali *sub qua* [5]. Ergo.

III. *Scientia infusa Christi fuit simpliciter perfectior et secundum quid minus perfecta quam scientia infusa angelorum.*

Animadvertas velim imprimis scientiam infusam animae Christi et angelorum non distingui essentialiter, sed esse ejusdem speciei infimae, quia utraque est habitus infusus, et cognoscens objecta sub una ratione formali *sub qua*. Habitus tamen intellectivi ejusdem speciei possunt esse alii aliis perfectiores accidentaliter, et hac ratione statuta est thesis sub distinctione.

Utramque partem docet *Angelicus* his verbis: «Scientia indita animae Christi potest dupliciter considerari. *Uno modo* secundum illud, quod habuit a causa influente: *alio modo* secundum id, quod habuit ex subjecto recipiente. Quantum igitur ad primum scientia indita animae Christi fuit multo excellentior, quam angelorum scientia, et quantum ad multitudinem cognitorum et quantum ad scientiae certitudinem; quia lumen spirituale gratiae, quod est inditum animae Christi, est

---

S. Thoma, *De incarnat.*, disp. 14, a. 3, concl. 2; **Lugo,** *De incarnat.*, disp. 20, sect. 4, n. 59; **Billuart,** *De incarnat*, diss. 11, a. 3.
1 *In III Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 3, quaestiunc. 6, sol. 4.
2 *In III Sent.*, dist. 14, q. 1, a. 3, quaestiunc. 6, sol. 4 ad 3.
3 *III p.*, q. 11, a. 6.
4 *III p.*, q. 11, a. 6 ad 1 et 2.
5 Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 19, n. 3.

http://www.obrascatolicas.com

multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam angelicam. Quantum autem ad secundum, scientia indita animae Christi est infra scientiam angelicam, scilicet, quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animae humanae, qui scilicet est per conversionem ad phantasmata et per collationem et discursum»[1].

QUAESTIO L

DE SCIENTIA ACQUISITA ANIMAE CHRISTI

ARTICULUS I

QUAE COGNOVERIT CHRISTUS PER SCIENTIAM ACQUISITAM

Hic agimus de extensione scientiae animae Christi.

726. THESIS. **Christus per scientiam acquisitam cognovit omnia objecta, quae in praesenti providentia per lumen intellectus agentis sunt cognoscibilia.**

Ratio est, quia oportuit scientiam acquisitam Christi esse omnium perfectissimam. Notabilissima sunt ad rem haec *S. Thomae* verba: «Scientia rerum acquiri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarumdem aliarum rerum; cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus, et similia per similia, et contraria per contraria. Sic igitur, licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen, quae expertus est, in omnium devenit notitiam... Licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subjecta omnia sensibilia, fuerunt tamen sensibus ejus subjecta aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis ejus potuit in aliorum notitiam devenire per modum praedictum... sicut videndo corpora caelestia potuit comprehendere eorum virtutes et effectus, quos habent in istis inferioribus, qui ejus sensibus non subjacebant. Et eadem ratione ex quibuscumque aliis in aliorum notitiam devenire potuit»[2].

Ex hoc ratiocinio sequitur Christum per scientiam acquisitam non cognovisse essentiam angelorum nec singularia cuncta rerum materialium, quia virtus intellectus agentis Christi versabatur in abstrahendis speciebus intellectualibus ex rebus sensibilibus. Ex rebus autem sensibilibus non poterat educere species repraesentantes essentiam angelorum aut omnia individua. «Per hanc scientiam, ait *Angelicus*, non cognovit essentias substantiarum separatarum, nec etiam singularia praeterita, praesentia et futura, quae tamen cognovit per scientiam inditam»[3].

[1] *III p.*, q. 11, a. 4.
[2] *III p.*, q. 12, a. 1 ad 1 et 2.
[3] *III p.*, q. 12, a. 1 ad 3.

ARTICULUS II

DISCUTIUNTUR VARIAE QUAESTIONES CIRCA SCIENTIAM ACQUISITAM CHRISTI

727. I. *Christus propriis actibus comparavit scientiam per se acquisibilem.* Ita *S. Thomas, Capreolus, Cajetanus, Vazquez, Valentia, Philippus a SS. Trinitate, Laurentius a S. Theresia* et *Salmanticenses*[1], contra *S. Bonaventuram, Scotum, Durandum, Suarez, Lugo* et alios[2].

Arg. 1) S. Lucas ait: *Et Jesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines*[3]. Hunc locum exponens ait *S. Ambrosius:* «Profectus est aetatis, et profectus sapientiae, sed humanae est; ideo aetatem ante praemisit, ut secundum hominem crederes dictum; aetas enim non divinitatis sed corporis est; ergo si proficiebat aetate hominis, proficiebat sapientia hominis»[4].

2) Rationabilior dicitur haec scientia fuisse a Christo propriis actibus acquisita; primo quidem *ex parte scientiae,* cui naturalius est, ut acquiratur quam ut infundatur; secundo *ex parte scientis,* quia nobilius est Christo propriis actibus instrui, quam ab extrinseco illustrari; tertio *ex parte modi sciendi,* «quia, sicut in Christo fuit scientia beata modo beatorum, et scientia indita modo inditae, ita debuit esse scientia acquisita modo adquisitae»[5].

3) Operatio propria intellectus agentis, quae est abstrahere species intelligibiles a phantasmatibus, frustra fuisset in Christo, si scientia per se acquisibilis indita ei fuisset per accidens.

728. II. *Christus hanc scientiam acquirere non incepit a primo instanti suae conceptionis; sed ea aetate, qua ejus sensus potuerunt ministrare phantasmata intellectui agenti ejusdem; et complete eam acquisivit, quando sensuum ministerio ejus intellectus omnia principia scientiae naturalis comparavit.*

Ita docet *S. Thomas* dicens: «Scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive. Et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim et post aliquod tempus, scilicet in perfecta aetate»[6].

Pars 1.ª

Ratio primae partis est, quia intellectus agens non abstrahit species nisi a phantasmatibus formatis ab imaginatione per ministerium sen-

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 9, a. 4; et q. 12, a. 2; **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. un., a. 1; et a. 3 ad 1, contra 2; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 9, a. 4; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 55, c. 2; **Valentia,** *In III p.*, q. 9, p. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnatione*, disp. 6, dub. 7; **Laurentius a S. Theresia,** *De incarnatione*, controv. 18, n. 18; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 22, n. 1 sqq.
[2] **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 14, a. 3, q. 2; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. 3, «Contra concl.»; **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. 4, n. 8; **Suarez,** *In III p.*, disp. 30, sect. 2; **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 21, sect. 1.
[3] *Luc.*, 2, 52.
[4] *De incarnationis dom. sacramento*, c. 7, n. 72; ML **16**, 872.
[5] **Cajetanus,** *In III p.*, q. 9, a. 4; «Ad hoc dicitur».
[6] *III p.*, q. 12, a. 2 ad 1. Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 22, n. 21 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

suum. Sensus autem Christi expediti non fuerunt, nec imaginatio potuit ministrare phantasmata intellectui a primo instanti conceptionis. Ergo.

Quando inceperit in Christo perfectus usus sensuum et rationis, ignoramus, sed certum est multo praematurius quam in aliis pueris incepisse.

Pars 2.ª

Christus acquisivit scientiam experimentalem modo connaturali et ordinario, cujus processus fit, prout sequitur: Sensus subministrant species sensibiles; phantasia exinde efformat phantasmata; intellectus agens educit ex eis species intelligibiles; ac tandem intellectus possibilis cognoscit objecta; imo ex aliquibus cognitis deducit alia. Haec autem Christus non fecit nisi cum, adepto usu rationis, comparavit principia scientiae naturalis. Ergo.

Verisimile est Christum propter excellentissimum, quo pollebat, ingenium, et alias rationes, perfectionem hujus scientiae adeptum fuisse circa duodecimum aetatis suae annum.

729. Corollarium. Ex hoc facile deduces scientiam experimentalem non simul sed successive fuisse a Christo acquisitam. Sensus enim Christi, quantumvis perfectissimi, non exercuerunt simul suas operationes circa omnia sensibilia sed successu temporis, et intellectus ejus non subito sed paulatim scientiam acquisivit [1].

730. III. *Christus per se ipsum sine magistro acquisivit scientiam experimentalem per viam inventionis.*

S. Thomas haec habet ad rem: «Cum duplex sit modus acquirendi scientiam, scilicet inveniendo et addiscendo, modus, qui est per inventionem, est praecipuus: modus autem, qui est per disciplinam, est secundarius. Unde dicitur in *1 Ethic.*, c. 4: Ille quidem est optimus, qui omnia per se ipsum intelligit; bonus autem rursus est ille, qui bene docenti obedit. Et ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inventionem quam per disciplinam; praesertim cum ipse daretur a Deo omnibus in doctorem» [2].

Ex hoc colliges Christum a) *nihil didicisse ab hominibus*, quia, cum esset omnium hominum caput et doctor, non decuit, ut fieret eorum discipulus [3]; b) *non fuisse instructum ab angelis*, tum quia Christus fuit angelorum caput, tum quia dignior evasit per se ipsum scientiam acquirendo [4].

IV. *Tot fuerunt Christo Domino habitus scientiae acquisitae, quot distinguuntur scientiae naturales ex ratione naturali* sub qua.

Hujus adsertionis fundamentum est, quia scientia acquisita in Christo fuit ejusdem naturae ac in nobis. In nobis autem tot distinguuntur scientiae, quot fuerint cognitiones diversae ex ratione formali *sub qua*. Unde unus fuit in Christo habitus mathesis, alius logicae, etc.

---

[1] Cfr. **S. Thomas**, *III p.*, q. 12, a. 1 ad 1 et 2; et a. 2.
[2] *III p.*, q. 9, a. 4 ad 1.
[3] Cfr. **S. Thomas**, *III p.*, q. 12, a. 3.
[4] Cfr. **S. Thomas**, *III p.*, q. 12, a. 4.

QUAESTIO LI

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM SIMPLICITER

731. Status quaestionis. Omnipotentia est facultas faciendi omnia, quae non implicant contradictionem.

Christus vere dicitur omnipotens, quia per communicationem idiomatum attributa divina in concreto praedicantur de Christo, ut dicetur infra.

Difficultas est, an natura humana Christi, praecisione facta a persona, fuerit pariter omnipotens.

732. Error. Ubiquistae, ex familia lutheranorum, dixerunt omnipotentiam aliaque Dei attributa fuisse formaliter communicata humanitati Christi, adeo ut humana natura Christi, praecisione facta a persona divina, fuerit omnipotens, immensa, ubique, etc. [1].

733. THESIS. **Humanitas Christi non fuit nec esse potuit simpliciter omnipotens.**

Arg. 1) In Christo, post unionem factam in persona, natura divina et humana permanserunt integrae ac distinctae, «utraque scilicet natura retinente id quod sibi est proprium... Potentia activa cujuslibet rei consequitur formam ipsius» [2]. Unde in Christo fuit duplex potentia activa, divina scilicet et infinita, quae consequitur naturam divinam, et humana ac limitata, quae consequitur naturam humanam.

2) Omnipotentia, utpote attributum Dei, est ipse Deus. Sed natura humana Christi nullatenus potest dici Deus. Ergo natura humana Christi non fuit omnipotens simpliciter. Apposite ad rem *S. Augustinus:* «Illorum execramur blasphemiam, qui novo sensu adserere conantur a tempore acceptae carnis omnia, quae erant divinitatis in hominem demigrasse».

ARTICULUS II

QUAE OPERA POTUERIT CHRISTUS UT HOMO SEU PER HUMANITATEM EFFICERE

734. Status quaestionis. Humanitas Christi potuit esse 1) causa principalis physica quorumdam effectuum; 2) causa principalis moralis aliorum; 3) causa instrumentalis aliorum.

---

[1] Cfr. **Valentia**, *In III p.*, disp. 1, q. 2, p. 3, § 2.
[2] **S. Thomas**, *III p.*, q. 13, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

Quaerendum est, quae opera patraverit humanitas Christi secundum hanc triplicem rationem.

735. THESIS I. **Anima Christi secundum propriam virtutem naturalem fuit causa secunda, principalis et physica, effectuum, qui sunt animae convenientes.** *(Est certa.)*

Arg. Humana natura Christi post unionem ad Verbum permansit integra cum suis operationibus. Sed anima rationalis in humana natura est causa secunda, principalis et physica, effectuum, qui conveniunt animae. Ergo. Hinc anima Christi virtute propria gubernabat corpus suum, acquirebat sapientiam, immutabat corpus secundum omnes perfectiones, quae humano corpori conveniebant ex virtute suae formae, etc. [1].

736. THESIS II. **Humanitas Christi non fuit causa principalis physica** 1) **gratiae sanctificantis et operum supernaturalium; nec** 2) **miraculorum; nec** 3) **creationis et annihilationis rerum.**

Pars 1.ª Non fuit causa principalis physica gratiae et operum supernaturalium.

Est communis contra *Medinam* et *Cabreram* [2].

Arg. Ratio hujus adsertionis est, quia humanitas Christi non habuit nec habere potuit virtutem naturalem nec naturae superadditam, quae in ratione causae principalis adaequaret perfectionem gratiae vel operum supernaturalium: *Non naturalem*, ut patet, quia virtus naturalis humanitatis Christi fuit multo inferior gratiae operibusque supernaturalibus; nec habuit *virtutem naturae superadditam*, quia 1) unio hypostatica, quae in Christo fuit modus creatus excedens perfectionem gratiae sanctificantis operumque supernaturalium, non erat operativa sed constitutiva suppositi, nec conferebat humanitati virtutem aliquam physice operativam; et 2) gratia habitualis Christi, licet adaequans perfectionem specificam gratiae operumque supernaturalium in suo esse et in ratione entis, non erat eis proportionata in esse causae principalis physicae, nec continebat in se ut in causa physica effectus supernaturales [3].

Pars 2.ª Non fuit causa principalis physica miraculorum.

Arg. Miraculum est id, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae. Humanitas autem Christi nihil poterat facere ut causa principalis physica praeter ordinem totius naturae, quia, cum esset pars naturae, quidquid valebat exsequi vel operari, continebatur intra ordinem totius naturae.

---

1 Cfr. **Cajetanus,** *In III p.*, q. 13, a. 2.
2 **Medina,** *In III p.*, q. 13, a. 2, concl. 1.
3 Cfr. **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 8, n. 2 sqq.

Pars 3.ª Non fuit causa principalis physica creationis et annihilationis rerum.

1) *Non creationis*, quia, cum omnis creatura indigeat subjecto ad operandum, anima Christi nequibat aliquid educere ex nihilo.

2) *Neque annihilationis*, quia «immutationes creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum, prout scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo, sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere» [1].

Ex hoc sequitur nihilum non posse esse terminum *a quo* nec terminum *ad quem* actuum animae et humanitatis Christi.

737. THESIS III. **Humanitas Christi fuit causa principalis moralis effectuum supernaturalium et miraculorum.** *(Est satis communis)* [2].

Arg. Humana natura Christi habebat meritum infinitum. Qui autem habet meritum infinitum continet virtutem sufficientem producendi moraliter effectus supernaturales ac miracula. Hinc humanitas Christi, quatenus erat causa meritoria, influebat de facto moraliter in eorum productionem.

738. THESIS IV. **Humanitas Christi fuit causa instrumentalis physica miraculorum et effectuum supernaturalium.**

Est probabilior [3] contra *Durandum, Cano, Vazquez, Becanum* aliosque plures modernos [4], qui dicunt humanitatem Christi moraliter tantum influere in opera miraculosa et supernaturalia [5].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Lucas ait de Christo: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes* [6]. Et ipse Jesus: *Tetigit me aliquis? Nam ego novi virtutem de me exiisse* [7]. Haec autem nequeunt intelligi de virtute morali, quae non exit de corpore, sed de virtute physica instrumentali. Ergo.

2) *Ex conciliis.* Concilium Ephesinum ait: «Caro Christi est vivificatrix, quia facta est propria Verbi» [8]. Et Concilium Cpolitanum III approbavit haec Sophronii quondam Hierosolymorum episcopi verba: «Quae omnia (opera miraculosa) ultra naturam et sermonem humanum effecta; divinae Dei Verbi essentiae atque naturae profecto exsiste-

---

1 **S. Thomas,** *III p.*, q. 13, a. 2.
2 Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 23, n. 18.
3 Cfr. **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 15, a. 3, ad argumenta contra 1 concl.; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 13, a. 2; **Laurentius a S. Theresia,** t. 5, controv. 19, n. 4 sqq.; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 23, n. 20.
4 **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 14, q. 5; **Cano,** *Relectio de Sacramentis*, p. 4, post concl. 6; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 57, c. 5; **Becanus,** *De incarnatione*, c. 10.
5 Cl. **Billot** ponit causalitatem ordinis intentionalis, quatenus humanitas Christi dicebatur habere virtutem per modum habitus, qua imperium divinum praesentabat naturae immutandae, designando nempe voce, gestu, voluntate, etc., naturam, quae esset immutanda. *De Verbo incarnato*, th. 22.
6 *Luc.*, 6, 19.
7 *Luc.*, 8, 46.
8 *Can.* 11; **Denz-Bannw.,** 123.

http://www.obrascatolicas.com

bant indicia, etsi per carnem agebantur et corpus» [1]. Haec etiam verba innuunt influxum physicum humanitatis Christi se extendisse ad effectus supernaturales et miracula. Verbum siquidem patravit opera in ordine physico, et Verbo ita in ordine physico operanti concurrit caro Christi.

3) *Ex SS. Patribus. S. Cyrillus alexandrinus:* «Imponit etiam infirmo manum, demonstrans potentis Verbi efficaciam a sancta carne geri, quam suam fecerat, Deo congruam virtutem illi inserens... cuncta facile efficiens etiam per carnem propriam: nam revera per ipsam miracula faciebat» [2]. Rursum: «Cogita... quod et in aeneo vase positus ignis, proprii caloris communicet illi vim. Sic ergo etiam omnipotens Dei Verbum, unito sibi animato... templo, sui proprii ac Deo digni vigoris inseruit efficaciam» [3]. Ac tandem docet «carnem Domini... vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare praevalentis» [4]. Porro, cum actio Dei in productione effectuum supernaturalium et miraculorum esset physica, oportuit actionem humanitatis Christi, quae illam ut instrumentum producebat, esse physicam.

S. Joannes Damascenus: «Quemadmodum Verbi divinitas per carnem operatur, ita etiam per divinitatem caro ipsius perpetiebatur. Divinitatis enim organum caro fuit» [5]. Et alibi: Verbum «per corpus non secus ac per instrumentum quoddam divinas actiones efficiebat» [6].

4) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia sive quae in caelis sive quae in terris sunt. Immutationes vero creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum, prout scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere» [7]. Pronum est *S. Doctorem* hic loqui de virtute instrumentali physica animae Christi, quia animae Christi concedit eam virtutem instrumentalem ad immutationes miraculosas faciendas, quam negat eidem ad creationem et annihilationem. Quis autem negaverit animam Christi potuisse moraliter influere in opus creationis et annihilationis? Ergo *S. Doctor* loquitur de virtute instrumentali physica non de virtute morali [8].

Objectiones.

739. Obj. 1.° *Angelicus* «in III librum Sententiarum» diserte docet animam Christi non habuisse virtutem faciendi miracula nisi per modum orationis aut intercessionis [9]. Ergo.

---

1 *Act.* 11; **Labbé,** vol. 6, col. 878.
2 *In Lucam,* 4, 38; MG **72,** 550.
3 *In Lucam,* 4, 38; MG **72,** 550 sq.
4 *Concil. eph.,* can. 11; **Denz-Bannw.,** 123.
5 *De fide orth.,* lib. 3, c. 15; MG **94,** 1059.
6 *De fide orth.,* lib. 3, c. 19; MG **94,** 1079.
7 *III p.,* q. 13, a. 2.
8 Cfr. **S. Thomas,** *III p.,* q. 8, a. 1 ad 1.
9 *In III Sent.,* dist. 16, q. 1, a. 3.

Resp. I. *Cajetanus* [1] putat *S. Thomam* vel se ipso doctiorem mutasse sententiam, vel sub verbo orationis aut intercessionis comprehendisse virtutem instrumentalem.

II. Melius crediderim *S. Doctorem* loco citato locutum fuisse de virtute naturali humanitatis Christi. «Anima Christi, ait alibi, potest dupliciter considerari. *Uno modo* secundum propriam naturam: et hoc modo, sicut non poterat immutare exteriora corpora a cursu et ordine naturae; ita etiam non poterat immutare proprium corpus a naturali dispositione, quia anima Christi secundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad suum corpus. *Alio modo* potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum unitum Verbo Dei in persona. Et sic subdebatur ejus potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis» [2].

Obj. 2.° Ad rationem instrumenti physici tria requiruntur, nempe: 1) contactus instrumenti et subjecti; 2) actio praevia instrumenti, qua dispositive concurrit ad effectum causae principalis; et 3) acceptio alicujus virtutis a causa principali, qua fit potens influere in effectum. Sed humanitas Christi non contigit subjecta operum supernaturalium, a quibus plerumque erat distans, nihil praevie operata est in hominibus ad productionem gratiae et miraculorum; nullamque virtutem accepit a causa principali, ut efficeret opera supernaturalia et miraculosa. Ergo.

Resp.—Neg. min. 1) Humanitas Christi non tetigit quidem subjecta operum supernaturalium contactu formali agentis, bene tamen contactu virtuali, quatenus virtus supernaturalis in humanitate Christi exsistens subordinabatur Deo principali agenti, et Deus utebatur ea ut instrumento ad producendos effectus supernaturales et miraculosos.

2) Actio praevia instrumenti, quam *S. Thomas* dispositivam vocat, aliquando verificatur ex parte rei operatae, ut serra, mota ab artifice ad faciendum scamnum, operatur in ligno; interdum vero ex parte modi operandi, quatenus modificat actionem causae principalis in se receptam, ut fit in influxu humanitatis Christi. «In proposito autem, ait ad rem *Cajetanus,* cum Deus utitur creatura aliqua instrumentaliter ad opus miraculosum, opus proprium illius creaturae se habet, ut praevium operi miraculoso; quia se habet, ut praesentans seu deferens divinum imperium ad creaturam in qua fit opus miraculosum» [3].

3) Aliqua virtus certe superaddita fuit a Deo humanitati Christi, qua ut instrumentum physicum posset producere effectus supernaturales et miracula, quia humanitas Christi elevata non est ad rationem causae instrumentalis physicae horum effectuum per unionem hypostaticam, quae non ordinabatur ad operationem, ut voluit *Contenson* [4].

In quo consistat haec virtus, non constat apud auctores.

a) Aliqui censuerunt humanitatem Christi elevatam fuisse ad rationem instrumenti physici horum effectuum per motionem transeuntem Dei, quae, si active sumatur, confert humanitati Christi totam vim agendi, si passive consideretur, recipitur in effectu, sicut motus moventis dicitur esse in moto. Ita *Cabrera, Joannes a S. Thoma, Laurentius a S. Theresia* et alii [5].

b) Alii docent praefatam virtutem esse qualitatem, non quidem completam, sed incompletam et ex natura sua fluentem ac transeuntem, quamvis aliquando longo tempore duret et sit per accidens permanens. Ita *Capreolus, Ferrariensis, Complutenses abbreviati, Salmanticenses* [6] et alii plures.

---

1 *In III p.,* q. 13, a. 2.
2 *III p.,* q. 13, a. 3.
3 *In III p.,* q. 13, a. 2.
4 *De incarnat.,* lib. 10, diss. 5, c. 2, specul. 3.
5 **Cabrera,** *In III p.,* controv. 4, concl. 2; **Joannes a S. Thoma,** *De incarnat.,* disp. 15, a. 3, concl. 4; **Laurentius a S. Theresia,** *Spicil. theol.,* t. 5, controv. 19, n. 22 sqq.
6 **Capreolus,** *In IV Sent.,* dist. 1, q. 1, a. 3 ad arg. contra 4; **Ferrariensis,** *Contra Gent.,* lib. 4, c. 56; **Complutenses abbrev.,** *Physic.,* disp. 12, q. 1, n. 7; et q. 2, n. 39; **Salmanticenses,** *De incarnat.,* disp. 23, n. 66.

http://www.obrascatolicas.com

Hic secundus modus dicendi magis mihi arridet. Virtus siquidem elevans humanitatem Christi ad rationem instrumenti physici debet esse principium *quo* operationum, et continere in actu primo ac modo viali effectus producendos. Qualitas autem incompleta et transiens, non motio transiens nec qualitas completa, est principium *quo* operationum continens in actu primo per modum vialem et tendentiae effectus supernaturales et miraculosos. *S. Thomas* ait ad rem: «Impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima» [1].

Nihil tamen obstat, quominus haec qualitas incompleta, et ab intrinseco transiens, longo tempore perseveret et sit per accidens permanens, quia tandiu durare debet, quandiu durat actio principalis agentis atque productio effectus, sicut ignis inferni, qui est instrumentum Dei durabit in aeternum.

ARTICULUS III

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU EXECUTIONIS SUAE VOLUNTATIS

740. Status quaestionis. 1) Christus volebat aliqua facienda per se, et alia facienda per alium, v. gr., per divinam virtutem.

2) Volebat aliqua fieri omnino absolute pensatis omnibus circumstantiis, alia vero voluntate antecedenti et quasi conditionata.

Hic excitatur dubium, an Christus ut homo habuerit potentiam faciendi omnia, quae voluit, sive fuerint facienda per se sive per alium, et an voluntas ejus semper fuerit impleta.

741. THESIS I. **Anima Christi habuit potentiam faciendi omnia, quae voluit implere per se, non vero potentiam faciendi omnia, quae voluit implere per alium.**

Arg. *S. Thomas* ait: «Anima Christi dupliciter aliquid voluit. Uno modo quasi per se implendum. Et sic dicendum est, quod, quidquid voluit, potuit. Non enim conveniret sapientiae ejus, ut aliquid vellet per se facere, quod suae virtuti non subjaceret. Alio modo voluit aliquid ut implendum virtute divina, sicut resuscitationem proprii corporis, et alia hujusmodi miraculosa opera. Quae quidem non poterat propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum divinitatis» [2].

742. THESIS II. **Voluntas Christi absoluta semper impleta fuit, non vero voluntas ejus antecedens inefficax et quasi conditionata.**

Pars 1.ª

Voluntas Christi absoluta, utpote pensatis omnibus circumstantiis formata, nunquam voluit nisi quod Deus volebat voluntate sua absoluta et consequenti. Christus enim id solum voluit voluntate absoluta et attentis omnibus circumstantiis, quod per scientiam beatam et infusam noverat a Deo volitum fuisse voluntate absoluta et consequenti. Sed voluntas Dei absoluta et consequens semper fuit completa, ut probavimus in tractatu *De Deo uno*. Ergo.

[1] *II-II*, q. 178, a. 1 ad 1.
[2] *III p.*, q. 13, a. 4.

Pars 2.ª

Voluntas antecedens et quasi conditionata Christi ferebatur ad aliqua bona, quorum executio impedivisset alia majora bona. Ergo nihil obstabat, quominus voluntas antecedens Christi maneret aliquando incompleta.

QUAESTIO LII

DE DEFECTIBUS CORPORIS A FILIO DEI ADSUMPTIS

ARTICULUS UNICUS

AN ET QUOS DEFECTUS CORPORIS ADSUMPSERIT FILIUS DEI IN INCARNATIONE

743. Status quaestionis. 1) Defectus corporalis dicitur carentia alicujus perfectionis in corpore, ut deformitas, mortalitas, etc.

2) Quidam ex his defectibus sunt *communes* tum toti generi humano tum singulis ejus individuis, quia consequuntur naturam humanam sibi relictam; alii *particulares* quorumdam individuorum, quia non consequuntur naturam humanam nec reperiuntur in omnibus individuis, sed derivantur in aliquibus ex causis particularibus, ut mala complexio ex defectu generationis et ex vitiis, lepra ex corruptione sanguinis, etc.

3) Compertum est Verbum Dei in incarnatione adsumpsisse verum corpus humanum, sed quaestio oritur, num hoc corpus per unionem hypostaticam obnoxium fuerit defectibus naturalibus.

744. Errores. 1) *Julianus* halicarnassenus et *Gajanus* alexandrinus apud *S. Joannem Damascenum* [1] docuerunt «Domini corpus jam inde ab ipsa formatione incorruptibile fuisse», ac passiones, famem, sitim et lassitudinem non naturali necessitate nec naturae legibus serviens sed sponte sustinuisse. Vocati sunt *aphthartodocetae*.

2) *Justinianus imperator* scripsisse dicitur edictum, «in quo corpus Domini incorruptibile, et in quod irreprehensibiles etiam perpessiones non caderet, vocavit...; et quod idem corpus incorruptibilitatem ipsam non post passionem tantum... verum etiam ante passionem, ab ipsa usque divina seminisque experte conceptione obtinuit» [2].

3) *Philippus Harveng*, abbas monasterii Bonae Spei, in epistolis datis ad quemdam Joannem monachum, contendebat carnem Christi naturaliter impassibilem fuisse, sed miraculo et caelestis gratiae sacramento infirmitates, dolores ac molestias sustinuisse [3].

[1] *De haeresibus*, n. 84; MG **94**, 756.
[2] **Nicephorus**, *Eccl. hist.*, lib. 17, c. 29; MG **147**, 297. Aliqui dicunt pium imperatorem postea hunc errorem reprobasse.
[3] *Epistolae* 5, 6, etc.; ML **203**, 40 sqq., 51 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

745. THESIS I. **Corpus Christi ex conditione naturae habuit omnes defectus, qui dicuntur naturae humanae communes.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Christus Dominus *fatigatus* est ex itinere [1], sitivit [2], esuriit [3], passus est [4], etc.

2) *Ex symbolo apostolorum.* «Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus» [5].

3) *Ex conciliis.* Concilium Ephesinum I definivit: «Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis (Col. 1, 18), secundum quod vita est et vivificator ut Deus, a. s.» [6].

4) *Ex SS. Patribus. S. Athanasius:* «An non ergo esurivit (Christus)? Ita sane est: Pro corporis proprietate esurivit» [7]. *S. Cyrillus Hierosolymitanus:* «Unigenitus Filius Dei propter peccata nostra de caelis ad terram descendit, adsumpta humanitate ista, iisdem quibus subjicimur affectibus obnoxia» [8].

5) *Ex ratione.* Conveniebat Christum adsumere defectus naturales communes, a) ut pro peccato humani generis condigne satisfaceret; b) ut fidem incarnationis plenius adstrueret; et c) ut exemplum patientiae nobis praeberet [9].

Difficultatibus satisfit.

746. Obj. 1.° *Clemens alexandrinus* ait: «Ipse autem prorsus passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor» [10]. Ergo.

Resp. 1) *Aliqui* volunt hunc *Clementis alexandrini* locum fuisse ab haereticis corruptum. 2) *Alii* censent praeclaro auctori *Stromatum* errorem humana fragilitate excidisse. 3) *Alii* verius, benigne procedendo, dicunt *Clementem alexandrinum* in verbis relatis non dolorem et affectiones absolute sed necessitatem patiendi vel manducandi, affectusque mentem alterantes, excludere voluisse [11].

Obj. 2.° *S. Hilarius:* «In quo (Unigenito Deo), quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent... Virtus corporis, sine sensu poenae, vim poenae in se desaevientis excepit» [12].

Resp. 1) Aliqui plane confitentur *S. Doctorem* in hoc aliquando bona fide errasse «ob non cognitam certo oppositam Ecclesiae doctrinam», sed probabiliter errorem retractasse [13]. «Quidam enim dicunt, ait *Angelicus*, Hilarium hoc retractasse; et hoc dicebat Willelmus Episcopus parisiensis, qui viderat epistolam retractationis, et fuerat sibi scriptum a quodam, qui eum legerat» [1].

2) *S. Thomas* benignius explicat mentem S. Hilarii dicens: «In omnibus illis verbis et similibus Hilarius a carne Christi non veritatem doloris sed necessitatem excludere intendit... et accepit necessitatem per comparationem ad causam primam horum defectuum, quae est peccatum... ut scilicet ea ratione dicatur caro Christi non subjacuisse necessitati horum defectuum, quia non fuit in ea peccatum» [2].

1 *Joan.*, 4, 6.
2 *Joan.*, 19, 28.
3 *Matth.*, 4, 2.
4 *I Petri*, 2, 21.
5 **Denz-Bannw.**, 6.
6 **Denz-Bannw.**, 124.
7 *De incarnat. Verbi*, n. 21; MG **25**, 134.
8 *Catechesis*, 4, 9; MG **33**, 465.
9 Cfr. **S. Thomas**, *III p.*, q. 14, a. 1.
10 **Strom.**, lib. 6, c. 9; MG **9**, 292.
11 Cfr. **Sylvius**, *In III p.*, q. 15, a. 5.
12 *De Trinitate*, lib. 10, n. 23; ML **10**, 361.
13 Ita **Salmanticenses**, *De incarnat.*, disp. 24, n. 6.

747. Scholion. Hos defectus corporales non contraxit Christus sed adsumpsit et voluntarie suscepit propter nostram salutem [3]. Hinc omnes fuerunt simpliciter voluntarii: 1) Respectu quidem voluntatis divinae Christi fuerunt omnes voluntarii tum antecedenter tum concomitanter, quia a voluntate divina Christi effecti sunt. 2) Respectu voluntatis humanae Christi, ut erat instrumentum divinitatis, fuerunt etiam omnes voluntarii, quia a voluntate humana Christi, quatenus erat instrumentum divinitatis, poterant impediri. 3) Respectu virtutis propriae humanae voluntatis Christi, erant voluntarii, tum antecedenter tum concomitanter, omnes qui efficiebantur per virtutem naturalem humanae voluntatis, ut mortificationes voluntariae; antecedenter tantum illi qui non efficiebantur a voluntate humana nec poterant ab ea impediri, ut sensus frigoris.

Omnes tamen erant Christo involuntarii ac necessarii *secundum quid*, quatenus voluntas humana Christi, ut causa secunda principalis, vel nequibat eos impedire, vel saltem refugiebat eos per modum naturae.

748. THESIS II. **Christus non adsumpsit defectus corporales provenientes ex causis particularibus.**

Arg. Cum Verbum factum esset homo, ut satisfaceret pro peccatis nostris, eos tantum defectus corporales adsumpsit, qui consequebantur conditionem naturae communis et erant poena immediata peccati primi parentis, ut mors, fames, sitis, etc. Defectus autem corporales provenientes ex causis particularibus, ut lepra ex corruptione sanguinis et infirmitates ex inordinato victu et potu, non consequuntur ex conditione naturae communis. Ergo. «Caro ejus, ajebat *S. Thomas*, de Spiritu Sancto concepta est, qui est infinitae sapientiae et virtutis, errare et deficere non potens; et ipse nihil inordinatum in regimine suae vitae exercuit» [4].

Quare non sunt audiendi qui dicunt Christum, dum viveret, infirmitatibus laborasse.

Hinc: 1) Christus subjectus fuit fami, siti, morti, etc., quia hi defectus consequuntur totam humanam naturam ex conditione naturae.

2) Christus fuit immunis a lepra et infirmitatibus, quae non immediate ex peccato naturae sed ex aliis causis particularibus proveniunt.

1 *In III Sent.*, dist. 15 in exposit. textus.
2 *III p.*, q. 15, a. 5 ad 1.
3 **S. Thomas**, *III p.*, q. 14, a. 3.
4 *III p.*, q. 14, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

S. Athanasius ait ad rem: «Nec morbo laborare Dominum decebat, ut qui aliorum morbos sanabat; nec infirmitates aliquas corporis eum pati oportebat, in quo et aliorum infirmitates confirmabat» [1].

3) Dominus Jesus non fuit deformis sed potius pulcher, ut defendunt SS. Patres et refert *Nicephorus* [2].

QUAESTIO LIII

DE DEFECTIBUS ANIMAE CHRISTI

749. Inter defectus animae recenseri possunt peccatum, potentia peccandi, fomes peccati, transgressio consiliorum, ignorantia et passiones. De singulis pauca.

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS HABUERIT ALIQUOD PECCATUM

750. Status quaestionis. Peccatum, quod est factum dictum vel concupitum contra legem Dei, dividitur in originale et actuale; actuale potest esse mortale vel veniale.

Quaeritur, an Christus inquinatus fuerit aliquo ex his peccatis.

751. THESIS. **Nullum fuit in Christo peccatum.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Peccatum originale excludit S. Scriptura a Christo dicens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* [3].

b) Peccata quoque actualia negavit Christo S. Scriptura his verbis: *Decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* [4]. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [5]. Unde merito dicebat Jesus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* [6].

2) *Ex SS. Patribus.* Patres Ecclesiae unanimi consensu docent nullum in Christo fuisse peccatum. Unde *S. Epiphanius* ait: «An periculum est, ne illum (Christum) peccatis obnoxium fuisse suspicemur? Absit. Peccatum quippe non fecit» [7].

3) *Ex ratione.* «Christus suscepit defectus nostros, ut pro nobis satisfaceret, et ut veritatem humanae naturae comprobaret, et ut nobis fieret exemplum virtutis». Ad haec autem peccatum non necessarium

[1] *De incarnatione*, ante med.; MG **25,** 133.
[2] *Hist. eccl.*, lib. 1, c. 40; MG **145,** 748. Plures scripserunt de pulchritudine et venustate Christi. Conferri possunt **Menendez y P.,** *Hist. de las ideas estéticas*, Introd., § 5; **Josephus a J. M.,** *Hist. de la vida y excelencias de la Sacratísima Virgen María*, t. 1, c. 42.
[3] *Luc.*, 1, 35.
[4] *Hebr.*, 7, 26.
[5] *I Petr.*, 2, 22.
[6] *Joann.*, 8, 46.
[7] *Anchoratus*, n. 80; MG **43,** 167.

sed obstaculum fuit, a) «quia peccatum nihil operatur ad satisfactionem, quinimo virtutem satisfactionis impedit, quia, ut dicitur *Eccl.*, 31, *dona iniquorum non probat Altissimus*»: b) quia «ex peccato non demonstratur veritas humanae naturae, quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cujus Deus est causa, sed magis est contra naturam per seminationem diaboli introductum, ut Damascenus dicit *(De fide orth.*, lib. 2, c. 30; MG **94,** 976; et lib. 3, c. 20; MG **94,** 1081); c) quia «peccando exemplum virtutis praebere non potuit, cum peccatum contrarietur virtuti» [1]. Nulla igitur ratione habuit Christus peccatum.

Soli ariani, qui Jesum faciebant hominem purum, ausi sunt Christo tribuere peccata; et *Renan* docuit plures defectus Jesu potuisse manere in occulto [2]; sed audiendi non sunt.

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS HOMO, PRAESCINDENDO A GRATIA SANCTIFICANTE ET VISIONE BEATIFICA, FUERIT IMPECCABILIS

752. Status quaestionis. 1) *Renan* petulanter docuit Jesum non fuisse impeccabilem et passionum luctam sicut nos sustinuisse [3]. Sed hoc dicere blasphemia est.

2) Omnes theologi catholici facile concedunt Christum Dominum secundum praesentem Dei providentiam fuisse impeccabilem. Fruebatur enim visione beatifica, quae rejicit potentiam peccandi. Unde *S. Cyrillus alexandrinus* ait: «Stolidi vero ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, peccare potuisse affirmant» [4].

3) Quaestio agitatur inter theologos, an Christus homo, quatenus humana ejus natura terminatur a divina Verbi persona, praescindendo a gratia sanctificante et visione beatifica, sola vi unionis hypostaticae, dicendus sit impeccabilis, adeo ut ex hoc solo capite denominetur non potens peccare.

753. Placita theologorum. 1) *Durandus, Scotus, Biel* [5] et generatim scotistae [6] dixerunt Christum hominem ex vi unionis hypostaticae, praescindendo a gratia sanctificante et visione beatifica, non fuisse absolute impeccabilem, et ideo, demonstrato Christo potuisse dici: *Hic homo est potens peccare.*

2) Alii multo communius docent Christum hominem secundum se consideratum, qualibet facta hypothesi, etiamsi concipiamus eum gratia sanctificante et visione beatifica destitutum, per solam unionem hypostaticam, quatenus humana natura terminatur a divina Verbi persona, esse absolute

[1] **S. Thomas,** *III p.*, q. 15, a. 1.
[2] *Vie de Jésus*, ch. 28.
[3] *Vie de Jésus*, ch. 28.
[4] *Adv. anthropomorphitas*, c. 23; MG **76,** 1120.
[5] **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 12, q. 2; **Scotus,** *In III Sent*, dist. 12, q. un.; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 12, q. unica.
[6] Cfr. **Henno,** *De incarnat.*, disp. 7, q. 2, a. 5.

http://www.obrascatolicas.com

impeccabilem seu non potuisse peccare. Ita *S. Thomas* [1] et omnes fere theologi [2] contra scotistas.

Contrariam *Durandi* et scotistarum sententiam *Vazquez* vocat *absurdam* [3], Alvarez *temerariam* [4], Godoy *impiam et piarum aurium offensivam* [5].

754. THESIS. **Christus homo, facta qualibet hypothesi, vi praecise unionis hypostaticae erat absolute impeccabilis.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus.* SS. Patres non solum vocant Christum impeccabilem, sed rationem adducunt hujus impeccabilitatis, unionem scilicet humanae naturae ad divinam Verbi personam.

S. Cyrillus alexandrinus docet animam Christi per unionem ad Verbum factam esse superiorem omni peccato [6].—*S. Hilarius:* «Homo Christus... non est in peccati proprietate, dum Christus est; quia... qui Christus est, non potuit amisisse, quod Christus est» [7].

2) *Ex ratione.* Si Christus homo, habens humanam naturam completam per divinam Verbi personam, potuisset sub aliqua hypothesi peccare, persona Verbi fuisset peccabilis. Hoc autem est impossibile. Ergo. **Prob. maj.** Cum actiones sint suppositorum, ea quae erant in Christo ab humanitate ut a principio *quo*, procedebant a Verbo ut a principio *quod*. Ergo si Christus ratione humanitatis potuisset peccare, persona Verbi fuisset peccabilis ut principium *quod*.

Nec valet dicere cum *Durando* [8] et scotistis [9] actiones esse suppositorum denominative, non elicitive. Non inquam, valet hoc dicere:

a) Quia falsum est. Cum enim operari sequatur esse, id, quod complet principaliter esse in suo termino, est principium operationis elicitive. Suppositum autem complet naturam in suo esse, ac idcirco natura et suppositum influunt in operationem, natura quidem ut *quo* et suppositum ut *quod* [10].

b) Quia, licet actiones essent suppositorum denominative tantum, valeret argumentum propositum. Si sola humanitas Christi esset principium elicitivum actionis peccaminosae, et actio peccaminosa tribueretur supposito denominative, Verbum divinum denominaretur vere peccans, quod nefas est dicere.

c) Sicut gratia sanctificans recepta in anima facit totum hominem seu personam hominis simpliciter bonum et amore divino condignum,

---

1 *III p.*, q. 18, a. 1 ad 4; et *In III Sent.*, dist. 12, q. 2, aa. 1 et 2.

2 Cfr. **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 12, q. unica, aa. 1 et 3; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 15, a. 1, p. 2; **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 33, sect. 2; **Laurentius a S. Theresia,** controv. ult., n. 9 sqq.; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnatione*, disp. 7, dub. 6; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 25, n. 8; **Becanus,** *De incarnatione*, c. 12, q. 3; **Van Noort,** *De Deo Redemptore*, n. 121.

3 *In III p.*, disp. 61, n. 16.

4 *De incarnatione*, disp. 68, n. 4.

5 *De incarnatione*, disp. 41, n. 124.

6 *Adv. anthropomorphitas*, c. 23; MG **76,** 1119.

7 *De Trinitate*, lib. 10, n. 25; ML **10,** 365.

8 *In III Sent.*, dist. 12, q. 2.

9 Cfr. **Henno,** *De incarnatione*, disp. 7, q. 2, a. 5.

10 Cfr. **Complutenses abbrev.,** *De generatione*, disp. 15, q. 6, § 1.

ita peccatum a voluntate commissum facit totum hominem peccatorem, odio divino condignum et a Deo ultimo fine aversum. Unde, si voluntas humana Christi posset committere peccatum, Christus seu persona divina Christi esset odio divino simpliciter condignus, quod est impossibile.

Objicies. Christus Dominus, omnino liber, poterat non adimplere praeceptum moriendi, quod acceperat a Patre. Ergo poterat peccare.

Resp. 1.° Hoc argumentum, si quid valeret, probaret Christum Dominum in praesenti providentia et potestate ordinaria potuisse peccare, quod, ut par est, negant adversarii.

Resp. 2.°—Dist. ant. Christus Dominus poterat non adimplere praeceptum moriendi, potestate antecedenti et in sensu diviso, **conc.;** potestate consequenti et in sensu composito, **neg.** Potestas antecedens et facultas non adimplendi praeceptum in sensu diviso, satis erat pro salvanda libertate Christi, sed ad peccatum, quod est transgressio actualis praecepti, requirebatur potestas consequens et facultas non adimplendi praeceptum in sensu composito, quae in Christo non fuit.

Instabis. Ex hoc sequitur Christum non potuisse quidem peccare peccato composito cum gratia unionis, sicut justus non potest peccare peccato composito cum gratia sanctificante, bene tamen peccato destruente gratiam unionis, sicut homo peccat peccato destruente gratiam sanctificantem.

Resp.—Neg. conseq. et paritatem. Gratia unionis constituit personam Verbi in humana natura principium *quod* operationum, et tollit potestatem agendi in sensu composito ea, quae non conveniunt dignitati Christi; gratia vero habitualis non constituit sed perficit accidentaliter in ordine supernaturali personam justi, relicta ei facultate destruendi ipsam gratiam per peccatum.

755. Corollaria. 1) Haec argumenta probant, ne veniale quidem peccatum potuisse committi a Christo, quia quodlibet peccatum, sive mortale sit sive veniale, est incompatibile cum infinita perfectione Verbi.

2) Ex hoc facile consequitur nullum in Christo potuisse esse reatum ad poenam aeternam aut temporalem. Quia, cum reatus sit obligatio luendi poenam pro delicto, Christus omnino impeccabilis nequivit habere reatum nec sustinere poenam.

756. Scholion. Poterat Verbum proculdubio adsumere naturam humanam proprio supposito terminatam et peccato habituali infectam. Quod si fecisset, statim disparuisset peccatum.

Ratio est, quia: 1) Peccatum habituale personale est semper subjecto voluntarium saltem per modum termini et effectus. Nullum autem peccatum potest esse Christo voluntarium.

2) Subjectum peccati habitualis non est natura sed persona. In data autem hypothesi, destructa fuisset persona humana, quae erat subjectum peccati, et cum ea disparuisset peccatum habituale, quin transmitti posset ad personam adsumentem.

3) Oportebat Christum in qualibet hypothesi esse Deo gratum amoreque divino condignum. Unde per gratiam unionis destrueretur omnis macula.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS III

UTRUM FUERIT VEL ESSE POTUERIT FOMES PECCATI IN CHRISTO

757. Status quaestionis. 1) Fomes peccati, qui etiam concupiscentia dici solet, est appetitus sensitivus expedite tendens ad objecta contra vel praeter ordinem rationis. Importat pro materiali appetitum sensitivum, et pro formali carentiam rectitudinis, quam exigit recta ratio.

2) Fomes peccati potest considerari *in actu primo*, quatenus appetitus sensitivus est habilis ad actus inordinatos, et *in actu secundo*, quatenus de facto pergit ad eos.

3) Quaerimus, an Christus habuerit vel habere potuerit de potentia Dei extraordinaria, fomitem peccati saltem in actu primo.

758. Placita theologorum. 1) Non solum auctores, qui tribuerunt Christo facultatem peccandi de potentia Dei absoluta, sed etiam alii putarunt Christum potuisse in alia providentia habere fomitem peccati. Ita *Vazquez, Lugo* et alii [1].

2) Alii multo communius docent Christum Dominum quoad sua intrinseca consideratum, praecisione facta de gratia sanctificante et beatitudine, non potuisse habere fomitem peccati nequidem in actu primo. Ita *Suarez, Joannes a S. Thoma, Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses*, etc. [2].

759. THESIS I. **Christus non habuit de facto fomitem peccati nec in actu secundo nec in actu primo.**

Pars 1.ª Non habuit fomitem in actu secundo.

1) In Concilio Cpolitano II dicitur: «Si quis defendit Theodorum impiissimum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, et alium Christum a passionibus animae et desideriis carnis molestias patientem... a. s.» [3]. Unde *S. Augustinus* expresse docet in Christo non fuisse pugnam illam carnis et spiritus, quae describitur ad *Rom.*, 7: *Video aliam legem* [4].

2) Appetitus inordinati proveniunt ex peccato. Christus autem nullum habuit peccatum. Ergo Christus non habuit fomitem in actu secundo.

Pars 2.ª Non habuit fomitem in actu primo.

1) Fomes peccati in actu primo est effectus peccati originalis. Unde Adam in statu innocentiae non habuit fomitem peccati, quia expers erat peccati originalis. Sed Christus non contraxit peccatum originale, ut de fide certum est. Ergo.

---

[1] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 61, c. 8, n. 55; **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 26, sect. 4, n. 52.

[2] **Suarez,** *De incarnatione*, disp. 34, sect. 2; **Joannes a S. Thoma,** *De incarnatione*, disp. 16, aa. 2-3; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnatione*, disp. 7, dub. 6; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 25, n. 55.

[3] *Collat.* 8, can. 12; **Mansi,** 9, 383.

[4] *De corrept. et gratia*, c. 11, n. 29; ML **44,** 934.

2) Fomes peccati in actu primo est principium proxime expeditum ad motus inordinatos appetituum. Christus autem persona divina, et in ordine naturae et gratiae omnino perfectus, non habuit principium proxime expeditum ad motus contra rationem. Ergo.

760. THESIS II. **Christus, homo Deus, in nulla providentia potuit habere fomitem peccati, nequidem in actu primo.**

Arg. Fomes peccati, sive consideretur in actu secundo sive in actu primo, cum sit praeparatio et dispositio quaedam ad peccandum, non potest esse nisi in eo, qui habet potentiam peccandi. Sed Christus, homo Deus, in nulla providentia potuit habere potentiam peccandi, ut diximus. Ergo.

ARTICULUS IV

UTRUM CHRISTUS COMMISERIT VEL COMMITTERE POTUERIT DEFECTUS OB TRANSGRESSIONEM CONSILIORUM

761. Status quaestionis. Transgressio legis dicitur peccatum, mortale vel veniale juxta gravitatem materiae et voluntatem legislatoris; transgressio consiliorum vocatur defectus vel imperfectio. Sicut opera consilii non pertinent ad substantiam justitiae, sed important perfectionem ultra debitum praecepti, ita violatio consilii, licet ex natura sua non sit peccatum, est tamen quaedam imperfectio seu defectus, quatenus actus ex regulis morum honestus non habet gradum perfectionis, qui correspondeat majori Dei beneplacito.

Disputatur, an Christus transgredi potuerit consilia Dei, adeo ut ejus opera defecerint a proposito majoris beneplaciti Dei.

762. Placita theologorum. Communiter docent theologi Christum Dominum nunquam transgressum fuisse consilia Dei, sed, qui admittunt in eo possibilitatem habendi fomitem peccati, censent pariter potuisse Christum, absolute loquendo, transgredi consilia Dei, adeo ut ejus operibus potuerit deesse illa perfectio, quae excedit bonitatem habitam ex regulis morum, et correspondet majori Dei beneplacito.

763. THESIS. **Christus Dominus nunquam transgressus est nec absolute transgredi potuit consilia divina sibi proposita.**

Arg. 1) Beati nequeunt transgredi consilia divina; quia, cum necessario Deum diligant quantum possunt, nequeunt ab ejus beneplacito recedere. Sed Christus fuit excellentissime beatus. Ergo.

2) Qui transgreditur consilia divina sibi nota, non obsequitur in omnibus voluntati Dei. Sed impossibile est Christum non obsequi in omnibus voluntati divinae. Ergo.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS V

UTRUM IN CHRISTO FUERIT VEL ESSE POTUERIT ERROR AUT IGNORANTIA

764. Status quaestionis. 1) *Error* est discrepantia rei et intellectus. Potest esse speculativus vel practicus, culpabilis vel inculpabilis.

Ignorantia proprie dicta est carentia debitae cognitionis in subjecto capaci. Carentia cognitionis non debitae est proprie *nescientia*. Ignorantia, si non contineat errorem, vocatur ignorantia *purae privationis;* si importet errorem, appellatur ignorantia *pravae dispositionis*. Utraque potest esse culpabilis vel inculpabilis.

2) Certum est Christum secundum humanam naturam plura de facto nescivisse, ea scilicet quorum cognitio ipsi non competebat, ut erant possibilia; sed defectus hujus cognitionis non fuit ignorantia sed *nescientia*.

3) Christus nullum de facto habuit errorem. Ratio est, quia Christus omnia sine errore cognovit per scientiam visionis. Oportebat autem cognitionem experimentalem omnino conformari scientiae visionis circa eadem objecta. Ergo scientiam acquisitam habuit absque ullo prorsus errore.

4) Christus non habuit ignorantiam proprie dictam, quia certa scientia cognovit omnia. Ad rem *S. Thomas:* «Sicut in Christo fuit plenitudo gratiae et virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiae... Sicut autem in Christo plenitudo gratiae et virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo scientiae excludit ignorantiam, quae scientiae opponitur. Unde, sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia» [1].

5) *Quantum ad possibilitatem* multum probabile est Christum potuisse habere, absolute loquendo, ignorantiam purae privationis alicujus veritatis. Haec quippe ignorantia, in quantum est pura privatio physica cognitionis, non importat maculam moralem. Unde, sicut poterat Verbum adsumere naturam humanam gratia habituali privatam, ita poterat sibi adsumere naturam humanam cognitione aliquorum objectorum destitutam.

6) Difficultas est, an Christus potuerit, absolute loquendo, habere aliquem errorem vincibilem vel invincibilem, aut aliquam ignorantiam pravae dispositionis, quae errorem complectatur.

765. Placita theologorum. 1) *Vazquez* et alii theologi [2] docuerunt Christum potuisse, absolute loquendo, habere errorem invincibilem et consequenter ignorantiam pravae dispositionis.

2) Alii cum *Medina, Nazario* et *Salmanticensibus* [3] multo communius negant.

---

[1] *III p.*, q. 15, a. 3.

[2] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 61, c. 9.

[3] **Medina,** *In III p.*, q. 15, a. 3; **Nazarius,** *In III p.*, q. 15, a. 3, controv. unica; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 25, n. 85.

766. THESIS. **Christus habere non potuit errorem, quantumvis minimum, sive vincibilem sive invincibilem, nec proinde ignorantiam pravae dispositionis.**

Pars 1.ª Christus non potuit habere errorem vincibilem.

Arg. Error vincibilis est formaliter peccatum, et praeparatio ad peccatum, ut expresse docet *S. Thomas* his verbis: «Error autem est approbare falsa pro veris: Unde addit actum quemdam super ignorantiam... Quando jam (aliquis) falsam notitiam fert de his, quae nescit; tunc proprie dicitur errare. Et quia peccatum in actu consistit, error manifeste habet rationem peccati» [1]. Sed Christus non potuit absolute habere peccatum nec preparationem ad peccatum. Ergo.

Pars 2.ª Non potuit habere errorem invincibilem.

Arg. Omnis error, quamtumvis invincibilis, est fundamentaliter et objective peccatum, et accedente voluntate fit peccatum formale. Impossibile autem est Christum personam divinam concurrere ad peccatum materiale et objectivum. Ergo.

Pars 3.ª Non potuit habere ignorantiam pravae dispositionis.

Arg. Ignorantia pravae dispositionis involvit errorem. Ergo Christus, errare non valens, non potuit habere ignorantiam pravae dispositionis.

ARTICULUS VI

AN ET QUALES PASSIONES HABUERIT CHRISTUS

767. Status quaestionis. 1) Passio definitur a philosophis: *Motus appetitus sensitivi ex apprehensione boni vel mali sensibilis cum aliqua transmutatione*. Per se non est mala sed indifferens. Saepe tamen fit in nobis mala tum ratione excessus tum ratione materiae.

2) Duplex est in homine appetitus, concupiscibilis scilicet et irascibilis, et plures enumerantur passiones juxta numerum motuum, quibus uterque excitatur.

3) Passiones appetitus concupiscibilis sunt sex, nempe: *amor, odium; desiderium, fuga; gaudium* et *tristitia*. Passiones appetitus irascibilis sunt quinque: *spes, desperatio; timor, audacia; ira*. Totidem enim motibus excitantur appetitus concupiscibilis et irascibilis in homine.

In appetitu concupiscibili ex apprehensione boni et mali simpliciter oritur *amor* et *odium;* ex apprehensione boni et mali futuri *desiderium* et *fuga;* ex praesentia boni et mali possessi *gaudium* et *tristitia*.

In appetitu irascibili, qui versatur circa ardua, ex apprehensione

---

[1] *De malo*, q. 3, a. 7.

http://www.obrascatolicas.com

boni ardui absentis quod sit acquisitu possibile, oritur *spes*, et quod sit acquisitu impossibile, *desperatio;* ex apprehensione mali ardui absentis, quod videatur superabile, oritur *audacia*, et quod videatur insuperabile, *timor;* ex praesentia mali ardui nascitur *ira*. Praesentia boni ardui praesentis nullum excitat motum in appetitu irascibili [1].

4) Certum est Christum habuisse appetitum tum concupiscibilem tum irascibilem, quia habuit naturam humanam perfectam, sed dubium est, an habuerit omnes species passionum.

768. THESIS. **In Christo fuerunt omnes species passionum, quae imperfectionem non important, aliter tamen quam in nobis.**

Arg. 1) *S. Augustinus* ait: «Ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas (passiones), ubi adhibendas esse judicavit, neque enim, in quo erat verum hominis corpus et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus» [2].

2) *Ex ratione.* Christus habuit appetitum expeditum ad omnes passionum species, perfecte excitabatur ab objectis, et non privabatur a motibus appetituum licitis. Ergo.

Aliter tamen quam in nobis. Et hoc propter tria. «Primo quidem *quantum ad objectum;* quia plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita; quod in Christo non fuit. Secundo *quantum ad principium;* quia hujusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt judicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis... Tertio *quantum ad effectum*, quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit» [3].

Doctores his rationibus ducti dicunt motus appetitus sensitivi in Christo *propassiones* potius quam passiones appellari [4].

QUAESTIO LIV

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM

ARTICULUS UNICUS

UTRUM IN CHRISTO ADMITTENDA SIT COMMUNICATIO IDIOMATUM

769. Status quaestionis. 1) Idioma a voce graeca ἴδιον (proprium) idem est ac proprietas. Hinc communicatio idiomatum vi vocis est communicatio proprietatum in praedicando. Quando enim duae naturae seu formae recipiuntur in uno subjecto, proprietates utriusque de se invicem et de subjecto quodammodo praedicantur. Hinc, quia sac-

1 Vid. **Goudin,** *Ethica*, q. 3.
2 *De civ. Dei*, lib. 14, c. 9; ML **41**, 415.
3 **S. Thomas,** *III p.*, q. 15, a. 4.
4 Cfr. **S. Hieronymus,** *In Matth.*, 5, 28; ML **26**, 39.

charus recipit albedinem et dulcedinem, attributa sacchari, albedinis et dulcedinis, praedicantur de se invicem, et possumus dicere: *album est dulce, dulce est album; saccharum est dulce et album.*

2) Cum Christus habeat duplicem naturam in una Verbi persona, habet proprietates solius Dei, ut esse aeternum, solius hominis, ut esse mortalem, et Christi Dei hominis, ut esse redemptorem. Unde communicatio idiomatum, quatenus ad Christum refertur, definiri potest: *Naturae divinae et humanae earumque proprietatum de Christo atque de se invicem mutua praedicatio.*

Quaeritur, utrum in Christo verificetur hujusmodi communicatio idiomatum.

Circa hanc quaestionem diversitas fuit inter haereticos et catholicos.

Haeresis nestoriana. «Nestoriani enim voces, quae dicuntur de Christo, dividere volebant hoc modo, ut ea, quae pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo; nec ea, quae pertinent ad divinam naturam, dicerentur de homine. Unde Nestorius dixit: *Si quis Dei Verbo tentat passiones tribuere, anathema sit.* Si qua vero nomina sunt, quae pertinere possunt ad utramque naturam, de talibus praedicabant ea, quae sunt utriusque naturae, sicut hoc nomen *Christus* vel *Dominus*. Unde concedebant Christum esse natum de Virgine et fuisse ab aeterno, non tamen dicebant vel Deum natum de Virgine vel hominem ab aeterno fuisse» [1].

Haeresis euthychiana. Eutyches et Dioscorus «posuerunt quod ex duabus naturis est constituta una natura ita quod confiterentur Christum esse ex duabus naturis, quasi ante unionem distinctis, non autem in duabus naturis, quasi post unionem naturarum distinctione cessante» [2].

Catholica doctrina. «Catholici vero posuerunt hujusmodi, quae dicuntur de Christo (sive secundum divinam naturam sive secundum humanam) dici posse tam de Deo quam de homine» [3].

770. THESIS. **In Christo admittenda est communicatio idiomatum.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) *Deo tribuuntur, quae sunt hominis.* Apostolus ait: *Si enim cognovissent* (principes hujus saeculi), *nunquam Dominum gloriae crucifixissent* [4]. S. Petrus: *Vos... auctorem vero vitae interfecistis* [5]. Ergo Dominus gloriae crucifixus est, et auctor vitae interfectus. b) *Homini tribuuntur, quae sunt Dei.* Christus ait: *Antequam Abraham fieret, ego sum* [6]. *Ego et Pater unum sumus* [7].

2) *Ex symbolo apostolorum.* «Credo... in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus

1 **S. Thomas,** *III p.*, q. 16, a. 4.
2 **S. Thomas,** *III p.*, q. 2, a. 6.
3 **S. Thomas,** *III p.*, q. 16, a. 4.
4 *I Cor.*, 2, 8.
5 *Act.*, 3, 14-15.
6 *Joan.*, 8, 58.
7 *Joan.*, 10, 30.

http://www.obrascatolicas.com

et sepultus»[1]. Ergo Filius Dei natus est, etc., quod dicitur per communicationem idiomatum.

3) *Ex ratione.* «Cum (in Christo) sit eadem hypostasis utriusque naturae, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturae. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis divinae et humanae naturae. Et ideo de homine possunt dici ea, quae sunt divinae naturae, tanquam de hypostasi divinae naturae; et de Deo possunt dici ea, quae sunt humanae naturae tanquam de hypostasi humanae naturae»[2].

Hinc praedicationes substantivae de Christo in concreto, sive pertineant ad Deum sive ad hominem, significant quidem naturam sed supponunt personam. Unde, cum Christus habuerit personam Verbi in divina et humana natura, quoties, designato Christo, dicitur *Deus* vel *homo*, supponit personam Verbi, eique possunt applicari proprietates utriusque naturae. Quapropter Christus dicitur Deus, aeternus, immortalis, quia revera Deus; e contra dicitur homo, natus, mortalis, quia etiam homo. Similiter immortalis est mortalis, quia simul Deus et homo, id est, persona divina habens divinam et humanam naturam.

Ex hoc sequitur opposita de Christo praedicari, non secundum idem, sed secundum diversas naturas. Item, designato Christo, vere dicimus: *Deus moritur, Deus mutatur*, quatenus significat suppositum, quod est Deus, mori vel mutari in humana natura.

771. *Regulae pro recto usu communicationis idiomatum de Christo.* Quatuor in terminis fieri solent combinationes, et quaeritur, an praedicari possint concreta de concretis, abstracta de abstractis, concreta de abstractis, et abstracta de concretis.

Regula 1.[a] *Nomina concreta unius naturae ac proprietatum, nisi derivata sint vel particula reduplicativa contrahantur aut aliquo termino vel verbo modificentur, in propositionibus affirmativis vere praedicantur in Christo de concretis alterius naturae ejusque proprietatum.* Sic bene dicitur: *Deus est homo:—Homo est Deus:* Ratio est, quia nomina concreta supponunt pro persona, quae est una in Christo; et propositiones enunciatae faciunt hunc sensum: *Hic* (Christus) *est habens naturam divinam: hic est habens naturam humanam.*

Dixi 1) *Nisi derivata sint;* quia adjectiva derivata, ut *divinus, humanus, dominicus, deifer*, etc., non exprimunt proprie Verbi hominisve proprietates, sed potius innuunt participationem proprietatum. Unde minus recte dicuntur de Deo et homine in Christo, quia significare videntur Christum esse Deum vel hominem per participationem, quod est omnino falsum.

2) *Nisi particula reduplicativa contrahantur;* quia particulae reduplicativae, *quatenus, ut*, etc., faciunt, ut nomina supponant pro natura. Unde falsa est propositio: *Homo quatenus homo est Deus.*

3) *Nisi aliquo termino vel verbo modificentur.* Hinc falsa est propositio: *Christus est homo purus;* quia homo purus excludit a Christo divinam personam. Item falsa est propositio: *Hic homo factus est Deus*, quia innuit Christum fuisse personam humanam, antequam esset Deus.

[1] *Symbol. Ap.;* **Denz-Bannw.**, 6.
[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 16, a. 4.

4) *In propositionibus affirmativis.* In negativis enim non datur communicatio nec praedicatio sed potius exclusio proprietatum. Unde dici nequit: *Filius Dei non est natus.*

5) *De concretis alterius naturae ejusque proprietatum;* quia concreta naturae humanae non praedicantur de concretis significantibus notiones Patris aut Spiritus Sancti. Hac ratione non potest dici: *Hic homo est ingenitus, spiratus*, etc.

Regula 2.[a] *Abstracta unius naturae nequeunt praedicari in Christo de abstractis alterius naturae ejusque proprietatum.* Hinc falsa est propositio: *Divinitas est humanitas: Humanitas est divinitas.*

Ratio est, quia nomina abstracta supponunt et significant naturam. In Christo autem natura divina et humana manserunt integrae et realiter distinctae post unionem.

Regula 3.[a] *Concreta nequeunt ordinarie praedicari in Christo de abstractis.* Sic falsa est propositio: *Deitas est passibilis, mortalis: Divinitas est nata: Humanitas est aeterna.*

Haec regula est contra eutychianos et veteres quosdam protestantes, qui *ubiquistae* appellati sunt.

Eutychiani, negantes in Christo distinctionem naturarum post unionem, dixerunt de unica Dei natura posse praedicari ea, quae divinitatis et humanitatis sunt propria, ita ut dicere liceat: *Divinitas nata, passa et crucifixa est.*

Lutherus et aliqui ejus asseclae, praesertim *ubiquistae*, ut realem corporis Christi praesentiam in multis simul locis sine transsubstantiatione vindicarent, contra hanc regulam locuti sunt, et affirmarunt humanitatem Christi esse aeternam, omnipotentem et omnipraesentem.

Sed perperam haec dicta sunt. Eutychiani negant dogma catholicum de duplici natura Servatoris nostri, et ubiquistae contradicunt testimonio Christi, qui ait: *Gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum* (ad Lazarum)[1].

Regula 4.[a] *Abstracta divinae naturae possunt praedicari in Christo de concretis humanae naturae identice non logice.* Hinc identice vera est haec propositio: Hic homo est deitas. Subjectum in hac propositione supponit pro persona Verbi, et praedicatum pro natura divina. Cum autem persona Verbi sit idem ac natura divina, propositio: *Hic homo est deitas:* identice hunc facit sensum: *Hic homo est Deus*, et est vera.

Dixi *non logice:* quia praedicatio logica attenditur penes rationem formalem subjecti. Ratio autem formalis subjecti *hic homo* est humanitas in concreto, et humanitas in concreto non est deitas.

Regula 5.[a] *Abstracta naturae humanae nullatenus possunt praedicari in Christo de concretis divinae naturae.* Quare non licet dicere: *Filius Dei est humanitas: Deus est humanitas: Christus est mortalitas.* Ratio est obvia, quia nomina abstracta significant naturam. Natura autem humana significata per illa distinguitur a persona divina, quam significant concreta divinae naturae.

772. Quaeres 1.° Utrum dicere liceat: *Christus est divinitas et humanitas simul sumptae.*

[1] *Joan.*, 11, 15.

http://www.obrascatolicas.com

Aliqui putantes Christum in praefata propositione supponere pro composito, et compositum non distingui a partibus componentibus collective sumptis, dixerunt propositionem esse admittendam [1].

Alii tamen melius negant, quia Christus supponit pro persona divina, quae non potest dici humanitas. Praeterea suppositum imo et compositum non recte dicitur idem ac partes, sed unum tertium habens partes, sicut Petrus non est idem ac corpus et anima, sed habens corpus et animam. Unde Christus non est divinitas et humanitas simul sumptae, sed habens divinitatem et humanitatem.

Damnatio propositionis 4.ae Joannis Hus: *Duae naturae, divinitas et humanitas, sunt unus Christus*, non videtur dirimere quaestionem, quia propositio damnata est non in sensu collectivo, sed in sensu divisivo, quatenus innuebat Christum esse seorsim divinitatem et seorsim humanitatem.

Quaeres 2.° An permitti possit locutio: *Christus incepit esse?*

Resp. *Negative.* Haec propositio secundum proprietatem sermonis significat personam Christi, pro qua supponit *Christus*, incepisse in tempore. Hoc autem est simpliciter falsum et haereticum [2].

Quaeres 3.° An vera sit propositio: *Christus est creatura?*

Affirmant *Vazquez* et *Lugo* [3].

Sed verius neganda mihi videtur. Quia Christus significat personam Verbi vel, si mavis, totum compositum ex persona Verbi et naturis in ea unitis. Persona autem Verbi vel compositum cujus hypostasis sit divina, non potest absolute dici creatura.

Si tamen propositio modificetur particula *quatenus* vel simili, et dicatur *Christus quatenus homo est creatura*, concedi posset, quia subjectum hac particula contrahitur ad significandam naturam humanam [4].

QUAESTIO LV

DE UNITATE CHRISTI QUANTUM AD ESSE

ARTICULUS UNICUS

UTRUM CHRISTUS SIT UNUM VEL DUO

773. Status quaestionis. Unum potest accipi in *genere masculino*, quatenus refertur ad suppositum, vel in *genere neutro*, quatenus significat naturam in concreto.

Cum Christus habeat duas naturas in una Verbi persona, dubitatur, an sit unus et unum tam in genere masculino quam in neutro, vel aliquo modo dici possit duo.

In traditione ecclesiastica Christus nominatur semper *unus* in genere

[1] Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 26, n. 11.
[2] Cfr. **Cajetanus,** *In III p.*, q. 16, a. 9; **Philippus a SS. Trinitate,** *De incarnatione*, disp. 8, dub. 4.
[3] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 65, c. 2; **Lugo,** *De incarnatione*, disp. 23, sect. 4.
[4] **S. Thomas,** *III p.*, q. 16, a. 10.

masculino, et in hoc conveniunt theologi, sed putavit *Durandus* [1] Servatorem nostrum posse appellari unum vel duo cum aliquo addito in genere neutro.

774. THESIS. **Christus est unus et unum tam in genere masculino quam in neutro.**

Pars 1.a Christus est unus in genere masculino.

Arg. 1) Concilium Ephesinum damnavit eos, qui non confitebantur unum esse Christum [2]. Et in symbolo *S. Athanasii* dicimus: «Non duo tamen sed unus est Christus» [3]. Unde *S. Cyrillus alexandrinus* ex professo docet Christum non esse duos sed unum [4].

2) Hanc veritatem unanimi consensu tradidere theologi, inter quos consulendi sunt *S. Thomas, S. Bonaventura, Biel* et alii [5].

3) Ratio est, quia *unus* in genere masculino refertur ad personam. Persona autem Christi non est nisi una.

Unde, si Verbum adsumeret plures humanitates, Christus non esset plures homines sed unus tantum propter unitatem personae.

Pars 2.a Christus est etiam unum in genere neutro.

Arg. 1) *S. Thomas* ait: «Non solum Christus est unus masculine sed etiam... unum neutraliter» [6].

2) Christus nequit appellari duo in genere neutro, quin natura divina et humana praedicentur de eo, et verificentur hae propositiones: *Natura divina est Christus: natura humana est Christus.* Natura autem humana non praedicatur de Christo, et ex praefatis propositionibus prima quidem est identice vera ob identitatem naturae divinae cum persona Christi, sed altera est falsa ob realem distinctionem humanae naturae a persona Christi. Unde licet unum et duo significent naturam vel naturas, important tamen personam vel personas, et individuum, cui una est persona, quamvis habeat duas naturas, non potest appellari duo in genere neutro.

775. Objicies. *S. Augustinus* ait de Christo: «Est aliud propter Verbum, aliud propter hominem» [7]. Et *S. Anselmus:* «Non enim est alius Deus, alius homo in Christo, quamvis aliud sit Deus, aliud homo» [8]. Sed aliud et aliud sunt duo. Ergo Christus est duo in genere neutro.

Resp.—Dist. effata Patrum. Christus est aliud propter Verbum et aliud propter hominem, causaliter a principio, unde venit denominatio, id est, a natura divina et humana, **conc.;** directe per multiplicationem subjecti significati in recto, **neg.** [9]. Unde *S. Augustinus* explicat suam mentem dicens: «In mediatore Dei et hominum aliud Dei Filius aliud hominis filius... aliud, inquam, pro discretione substantiae, non alius pro unitate personae» [10].

[1] *In III Sent.*, dist. 6, q. 1, n. 13.
[2] *Can.* 2; **Denz-Bannw.,** 114.
[3] **Denz-Bannw.,** 40.
[4] Liber *Quod unus sit Christus;* MG **75,** 1253.
[5] **S. Thomas,** *III p.*, q. 17, a. 1; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 6, a. 1, q. 1; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 6, q. 2, a. 2, concl. 3.
[6] *III p.*, q. 17, a. 1.
[7] *Enchiridion*, c. 35; ML **40,** 250.
[8] *De fide Trinit.*, et *De incarnat. Verbi*, c. 6; ML **158,** 278.
[9] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 17, a. 1 ad 2.
[10] *Contra Felicianum*, c. 11; ML **42,** 1166.

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO LVI

DE DUPLICI VOLUNTATE ET OPERATIONE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM SINT DUAE VOLUNTATES IN CHRISTO

776. Status quaestionis. 1) Naturam intellectualem sponte consequuntur tum intellectus, qui objecta cognoscit, tum voluntas, quae bonum cognitum amat. Unde voluntas est *facultas inorganica, quae movet intellectum ad cognitionem et amat bonum ab intellectu cognitum.*

2) Fide catholica docemur, et ex supra dictis constat, in Christo esse duas naturas, divinam et humanam, integras atque inconfusas, in una Verbi persona. Ex hac speciali Christi conditione exurgit dubitandi ratio, an Christus, sicut habet duplicem intellectum, habeat etiam duplicem voluntatem, duplicemque operationem ab utraque voluntate elicitam.

3) Natura divina Christi habet certe suam voluntatem et volitionem, ut jam diximus in tractatu *De Deo uno*, n. 330 sqq., quia, cum natura divina Christi sit intellectualis et personalitate propria compleatur, non datur ratio, ut voluntate et volitione careat.

Difficultas se offert ex parte naturae humanae Christi, quae a) juxta monophysitas vel absorpta est a divina natura vel una cum divinitate ad tertiam naturam efformandam concurrit, et b) juxta monotheletas et monenergetas voluntate ac volitione caruit.

4) Unde quaeritur, an in Christo sint duae voluntates et duae operationes.

777. Errores. 1) *Apollinaristae*, qui in Christo ponebant Verbum loco mentis; *manichaei*, qui Christo negabant veram humanitatem; et *monophysitae*, qui unam tantum in Christo agnoscebant naturam, noluerunt admittere in Christo duplicem voluntatem et operationem.

2) Severus antiochenus saeculo VI, videns in Christo non fuisse nisi unum subjectum unamque personam, praescindit de duplici voluntate, et docuit unam tantummodo in eo fuisse operationem [1].

3) Sergius, Patriarcha cpolitanus, et post ipsum Cyrus Phasidis et Alexandriae successive Episcopus, Pyrrhus cpolitanus, Macharius antiochenus et alii dixerunt in Christo fuisse unam virtutem (θέλημα) et unam operationem (ἐνέργεια). Inde dicti sunt *monotheletae* et *monenergetae*.

Non certo constat de mente monotheletarum. Docuisse tamen videntur Verbum secundum divinam naturam fuisse in Christo unicum principium operationum et volitionum, omnesque actus fuisse elicitos a divinitate, dum natura ejus humana passive ac inerter recipiebat in se operationem Verbi [2].

4) Heraclius imperator, monotheletarum praedicatione deceptus, prohibuit in sua celebri *Ecthesi*, ne quid diceretur aut praedicaretur circa unam vel duplicem operationem Christi. Hoc decretum Pyrrhus, in sede cpolitana Sergii successor, aliique plures episcopi orientales probavere.

---

1 Cfr. **Mansi**, 10, 1117.
2 Cfr. **Franzelin**, *De Deo incarnato*, th. 40; et **Katschthaler**, *Christologia*, n. 147.

Doctrina catholica. Errorem vix ortum et a Sophronio hierosolymitano acriter impugnatum Joannes IV Romanus Pontifex reprobavit [1]. Concilium Lateranense 1.um sub Martino I Ecthesim imperatoris atque monothelismum condemnavit [2]; ac tandem Concilium 3.um Cpolitanum sub Agathone (680-681) diserte declaravit duplicem in Christo cum propriis actibus fuisse voluntatem [3].

778. THESIS. **In Christo sunt duae voluntates, divina scilicet et humana, et duae operationes ab utraque voluntate elicitae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Dominus ait in horto: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me, veruntamen non mea voluntas sed tua fiat* [4]. Hic proculdubio loquitur Jesus tum de voluntate Patris, quae erat ipsi essentialis, in quantum erat Deus, tum de voluntate humana, qua dum refugiebat calicem, se conformabat cum voluntate Patris. Hac duplici voluntate exercebat Christus actus divinos et humanos, ut liquido constat ex verbis Scripturae relatis: *non mea voluntas* (humana), *sed tua* (divina) *fiat.*

b) Christus obtulit preces supplicationesque Patri [5], factus est obediens [6], humiliavit semetipsum [7]. Hi autem sunt actus voluntatis humanae. Ergo Christus praeter voluntatem divinam, quam habebat cum Patre communem, habuit voluntatem humanam cum actibus propriis.

2) *Ex conciliis.* Concilium Cpolitanum III ait: «Duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum doctrinam adaeque praedicamus» [8].

3) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Damascenus*: «Quoniam igitur duae Christi naturae sunt, duas proinde ejus naturales voluntates, et duas naturales operationes dicimus» [9].

4) *Ex ratione theologica.* In Christo sunt duae naturae intellectuales integrae, inconfusae ac perfectae. Naturam autem intellectualem sponte sequitur voluntas ut quaedam ejus proprietas et potentia naturalis, et voluntatem sequitur operatio. Ergo in Christo sunt duae voluntates et totidem operationes.

779. Corollaria. 1) Principium *quod* operationum et volitionum in Christo est unum, ipse scilicet Christus, persona divina in duabus naturis exsistens; quia actiones sunt suppositorum. Unde quidquid agit, cogitat, vult ac patitur Christus, agit, cogitat, vult ac patitur persona divina seu Verbum ut principium *quod.*

2) Principium *quo* remotum volitionum Christi est duplex, natura scilicet divina et natura humana; et principium *quo* proximum iterum

---

1 **Denz-Bannw.**, 253.
2 **Denz-Bannw.**, 263 sqq.
3 **Denz-Bannw.**, 289 sqq.
4 *Luc.*, 22, 42.
5 *Hebr.*, 5, 7.
6 *Phil.*, 2, 8.
7 *Philip.*, 2, 8.
8 **Denz-Bannw.**, 291.
9 *De fide orth.*, lib. 3, c. 14; MG **94**, 1033.

http://www.obrascatolicas.com

duplex, voluntas divina et voluntas humana. Duplex igitur natura per voluntatem divinam et humanam exserit suos actus.

780. Scholion I. Humana Christi voluntas subjecta fuit divinae ejusdem voluntati, ut diserte declaravit Concilium Cpolitanum III [1]. Unde *Angelicus Doctor* expresse docuit «voluntatem humanam in Christo omnino sub voluntate divina ordinatam fuisse, ita quod nihil voluntate humana Christus voluit, nisi secundum quod eum velle voluntas divina disposuit... secundum illud: *Quae placita sunt ei facio semper (Joan., 8, 29)*» [2].

781. Dices. Verba *transeat a me calix iste* et *non mea voluntas sed tua fiat*, quibus usus est Christus, innuunt discrepantiam voluntatis humanae a voluntate divina. Ergo.

Resp. Ut haec difficultas explicetur, notandum est voluntatem humanam posse ratione diversitatis actuum dupliciter considerari, nempe *ut natura* et *ut ratio*. Voluntas *ut natura* est motus appetitus rationalis in objectum absolute consideratum, prout ex se est appetibile vel non: Hoc sensu voluntas appetit bonum et refugit dolorem per se. Voluntas *ut ratio* est motus appetitus rationalis ad objectum omnibus circumstantiis vestitum et praesertim ordinatum ad finem. Hoc pacto voluntas aliquando appetit ipsum dolorem.

Voluntas Christi *ut natura* reluctabatur subire passionem et mortem, quae secundum se displicebant, et ideo erumpere faciebat verba: *Pater... transfer calicem istum a me*. Sed voluntas *ut ratio* appetebat passionem et mortem, quae, ordinatae ut erant ad finem redemptionis humanae, maxime placebant. Hac voluntate Christus libere acceptavit calicem dicens: *Verumtamen, non mea voluntas sed tua fiat.*

Non est hic proprie contrarietas aut pugna voluntatum, quia passionem aliter refugit voluntas *ut natura* et aliter appetiit voluntas *ut ratio;* refugit passionem absolute et in se consideratam, et appetiit quatenus erat medium ad nostram redemptionem. Sic pariter operarii rejiciunt laborem in se consideratum, sed amant illum, quatenus est medium ad obtinendas divitias.

782. Scholion II. *Operationes theandricae.* In Christo Jesu, quamvis fuerit unum principium *quod* actionum, scilicet persona Verbi, ex parte tamen naturae fuit triplex genus operationum, quatenus sola natura divina, vel sola natura humana, vel utraque simul concurrebat cum Verbo ad operationem. Quaedam erant pure *divinae*, ut creatio, conservatio, providentia, etc., quarum principium *quo* fuit sola natura divina, quia Christus ut Deus creat, conservat atque gubernat omnia; aliae mere *humanae*, ut manducare, bibere, loqui, etc., quarum principium *quo* erant natura humana Christi et ejus facultates; aliae *mixtae*, ut resurrectio Lazari et miracula, quae Christus operatus est, utraque natura suo modo concurrente, quatenus scilicet natura divina influebat ut causa principalis et natura humana ut causa instrumentalis.

Operationes primae classis, ut creatio, et conservatio, in quibus ne instrumentaliter quidem concurrebat natura humana, fuerunt in Christo omnino divinae, toti Trinitati communes, et nullatenus poterant dici *theandricae* seu *Dei-viriles*.

---

[1] **Denz-Bannw.**, 291.
[2] *Contra Gent.*, lib. 4, c. 36.

Operationes secundae classis, quas Christus eliciebat per solam naturam humanam, et quas pseudo-Dionysius ανδρωπικην θεουριαν appellabat [1], erant mere humanae nec proprie vocabantur *theandricae* seu *Dei-viriles*, quia non procedebant a natura divina et humana. Saepe tamen lato quodam sensu appellantur *theandricae* et *Dei-viriles*, quatenus principium *quod* earum erat Christus Deus, et principium *quo* natura humana.

Operationes denique *mixtae*, ut resuscitatio Lazari, restitutio visus caeco a nativitate, etc., quas Christus eliciebat, utraque natura suo modo concurrente, fuerunt proprie *theandricae*— θεανδρικη ενεργεια — *operatio Dei-virilis* [2]. In his operationibus intervenit Christus ut principium *quod*, natura divina ut principium *quo* principale, et natura humana ut principium *quo* instrumentale.

Actio divina in operationibus theandricis est communis toti Trinitati, quia principium *quo* principale earumdem est una divina natura in tribus personis Trinitatis [3].

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS HABUERIT LIBERUM ARBITRIUM

783. Status quaestionis. 1) Duplex datur libertas in genere, *libertas* scilicet *a coactione*, quae dicitur exemptio determinationis a causa extrinseca seu a violentia, et *libertas a necessitate*, quae definitur: *Facultas electiva mediorum servato ordine finis.*

2) Libertas a necessitate potest esse *libertas specificationis* seu *contrarietatis*, quae est facultas eligendi contraria, ut amare et odisse; et *libertas exercitii* seu *contradictionis*, quae est facultas eligendi contradictoria, ut amare et non amare, velle et non velle, facere aliquid et suspendere actum. Ad perfectum liberum arbitrium requiritur saltem libertas a coactione et libertas exercitii seu contradictionis, ut docet Ecclesia contra Jansenium [4], non semper libertas specificationis.

784. Error. *Jansenius* [5] et alii tribuerunt Christo libertatem tantummodo a coactione non a necessitate.

785. THESIS. **In Christo fuit perfectum liberum arbitrium.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* De Christo dixit Isaias: *Ut sciat repro-*

---

[1] *De div. nom.*, c. 2, n. 6; MG **3**, 644.
[2] Hi termini suam celebritatem debent pseudo-Dionysio, a quo primo usurpati sunt *ep. 4 ad Cajum;* MG **3**, 1072. Quidam haeretici dixerunt his vocabulis significari unam mixtam operationem in Christo, sed traditio christiana verius docet per ea demonstrari unionem duplicis operationis in una persona ob duplicem naturam, quae in Christo agebat ea, quae erant unicuique propria.
[3] Cfr. **Franzelin,** *De Verbo incarnato*, th. 40.
[4] *Prop. 3 Jansenii;* **Denz-Bannw.**, 1094.
[5] *De gratia Christi*, lib. 6, c. 9; et lib. 7, c. 15.

http://www.obrascatolicas.com

bare malum et eligere bonum [1]. Marcus: *Ascendens in montem vocavit ad se, quos voluit ipse* [2]. Matthaeus: *Cum gustasset, noluit bibere* [3].

2) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus:* «Licebat ei nihil pati, si voluisset... erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem» [4]. *S. Hieronymus:* «Ut pateretur, non fuit necessitatis sed voluntatis Patris et suae» [5]. *S. Augustinus:* «Non eam (carnem) deseruit invitus; sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit» [6].

3) *Ex ratione.* a) Christus Dominus, ut in Conciliis Oecumenicis saepe definitum est, habuit omnes proprietates humanae naturae, quia adsumpsit humanam naturam integram atque perfectam. Liberum autem arbitrium est proprietas humanae naturae. Ergo.

b) Christus vere meruit justificationem nostram, ut omnes sacrae paginae testantur. Sed meritum est opus liberi arbitrii. Ergo.

Difficultatibus satisfit.

786. Obj. 1.° *S. Thomas* tribuit Christo libertatem tantum a coactione, cum ait: «Quod si etiam esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti; quia in illud non coacte sed sponte tendit; et ita est actus sui dominus» [7].

Resp. 1) Aliqui voluerunt S. Doctorem *in III p.*, q. 18, a. 4 ad 3, hanc sententiam retractasse. Sed non videtur necessarium ad hoc recurrere.

2) *S. Thomas* usus est terminis *non coacte sed sponte* pro *non necessario sed libere* juxta significationem, quam veteres theologi saepe tribuerunt illis vocabulis. Hanc interpretationem *S. Doctor* statim confirmavit dicens: «et ita est actus sui dominus».

Obj. 2.° Liberum arbitrium supponit in subjecto facultatem exercendi actus moraliter imperfectos. Haec autem facultas in Christo non fuit, ut jam diximus superius. Ergo. **Prob. maj.** Liberum arbitrium supponit facultatem exercendi unum actum bonum, relicto ejus contradictorio meliori. Sed hic actus, utpote contradicens bono meliori, est moraliter imperfectus. Ergo.

Resp.—Neg. maj. Ad probationem, **dist. min.;** actus ex se bonus, contradicens actui meliori, est moraliter imperfectus, in subjecto capaci progressus in perfectione, *transeat;* in subjecto incapaci progressus in perfectione, **neg.** Nobis viatoribus consilia suadent semper opera meliora, ut majorem inde capiamus fervorem caritatis, et ea sine motivo relinquere pro opere minus perfecto, videtur quoddam genus imperfectionis. Sed Christus in omnibus operibus liberis habebat aequale meritum infinitum, et poterat sine ulla imperfectione exercere actus bonos, relictis eorum contradictoriis ex objecto melioribus.

---

1 *Is.*, 7, 15.
2 *Marc.*, 3, 13.
3 *Matth.*, 27, 34.
4 *In Hebr.*, hom. 28, n. 2; MG **63**, 193.
5 *In Is.*, 53, 7; ML **24**, 530.
6 *De Trinitate*, lib. 4, c. 13, n. 16; ML **42**, 898.
7 *In III Sent.*, dist. 18, q. un., a. 2 ad 5.

ARTICULUS III

QUOMODO CONCILIETUR HUMANA CHRISTI LIBERTAS CUM EJUS IMPECCABILITATE

787. Status quaestionis. Difficultatem non levem tangit hic titulus.

S. Scriptura saepe testatur Christum accepisse a Patre praeceptum subeundi mortem pro genere humano. Quo supposito, proponitur difficultas his terminis: Poterat Christus praeceptum Patris transgredi vel non. Si primum, non erat impeccabilis; si secundum, non erat liber. En quaestio dilucidanda.

788. Placita theologorum. *Prima sententia.* Aliqui ab hac difficultate se expedire putant dicentes Deum Patrem non imposuisse Christo verum ac strictum praeceptum moriendi pro genere humano, sed tantummodo manifestasse ei beneplacitum suae voluntatis, quod metaphorice dicitur praeceptum in SS. Scripturis. Ita *Petavius, Wirceburgenses, Franzelin, Mendive, Billot, Mazzella* et alii [1].

Cl. *Franzelin* hanc opinionem explicans non modo negat praeceptum Patris stricte dictum, verum etiam rejicit voluntatem Dei antecedentem absolutam circa passionem et mortem Christi. Solum admittit voluntatem Dei antecedentem conditionatam, quae «deinde ad praeviam Christi liberam electionem transiit... in voluntatem consequentem, ut Christus hoc modo a se electo genus humanum redimeret» [2].

Cardinalis *Billot* non admittit praeceptum Patris de morte Christi, bene tamen voluntatem absolutam beneplaciti, adeo ut Deus «in sua praescientia disposuit ac decrevit ordinem illum in quo cognovit, et judaeos ex propria malitia occisuros Christum, et Christum *per conformitatem ad divinum beneplacitum* amplexurum crucem» [3].

Secunda sententia. Alii docuerunt Christum accepisse a Patre verum ac strictum praeceptum subeundi mortem quoad substantiam, non quoad circumstantias temporis, loci, affectus, intensionis, etc., et ita fuisse liberum in subeunda morte crucis. Ita *Vazquez* et *Isambertus* [4].

Haec sententia innuit praeceptum obstare libertati, et Christum non fuisse liberum in acceptanda morte quoad substantiam.

Tertia sententia. Alii dixerunt Christum accepisse quidem a Patre verum praeceptum moriendi, sed habuisse potestatem petendi et obtinendi dispensationem a praecepto, et ita liberum fuisse in acceptanda morte. Sic *Lugo* [5].

Haec sententia caret fundamento solido. Quando datur lex pro communitate, liberum est particularibus petere dispensationem, adducta ad illam causa legitima, sed nemini in singulari imponitur praeceptum dependens a postulanda dispensatione.

Quarta sententia. Plurimi theologi tenent Christo Domino impositum fuisse a Petre verum ac strictum praeceptum subeundi mortem, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias, et sub hoc praecepto

---

1 **Petavius,** *De incarnat.*, lib. 9, c. 8, n. 6 sqq.; **Wirceburgenses,** *De Verbo incarnato*, n. 413; **Franzelin,** *De Verbo incarnato*, th. 44; **Mendive,** *De Verbi div. incarnatione*, n. 143 sqq.; **Billot,** *De Verbo incarn.*, th. 30; **Mazzella,** *De Verbo incarn.*, n. 183 sqq.
2 *De Verbo incarnato*, th. 44.
3 *De Verbo incarnato*, th. 30.
4 **Vazquez,** *In III p.*, disp. 74, c. 5, n. 31 sqq.; **Isambertus,** *In III p.*, q. 18, disp. 2, a. 6.
5 *De incarnatione*, disp. 26, sect. 8, n. 102 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

optime conciliari libertatem Christi cum ejus impeccabilitate. Ita omnes thomistae et plures extranei.

In hac sententia duplici adhuc via contendunt auctores conciliare libertatem et impeccabilitatem Christi.

Molinistae docent praeceptum Patris ante praevisionem consensus Christi fuisse conditionatum, sed, cognito per scientiam mediam consensu Christi, transiisse in absolutum. Dicunt itaque voluntatem humanam Christi in morte subeunda, non obstante Patris praecepto, fuisse liberam, quia sub auxiliis indifferentibus sese determinavit ad acceptandum Patris praeceptum, et simul fuisse impeccabilem quia Christus erat suppositum divinum.

Thomistae admittunt praeceptum Patris undequaque absolutum, et contendunt humanam Christi voluntatem sub hoc praecepto absoluto moriendi fuisse in acceptanda morte crucis omnino liberam simulque impeccabilem, quatenus Christus omnino impeccabilis, non obstante praecepto absoluto Patris, poterat non mori in sensu diviso et in eodem actu mortis recusare mortem in se consideratam, quod sufficiebat ad libertatem. Sed potentia peccandi in Christo importaret facultatem conjungendi praeceptum Patris cum actu non moriendi in sensu composito, quae absit a Filio Dei.

789. THESIS I. **Christus accepit a Patre verum ac strictum praeceptum absolutum moriendi non solum quoad substantiam sed etiam quoad omnes circumstantias.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Dominus Jesus, loquendo de sua proxima morte, ait: *Hoc mandatum accepi a Patre meo* [1]. Rursum: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus omnes* [2]. S. Lucas: *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit* [3]. Apostoli: *Convenerunt... adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus... facere, quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri* [4].

b) Praeterea omnes sacrae paginae testantur Christum fuisse obedientem usque ad mortem [5]. Obedientia autem non datur sine praecepto vel lege.

2) *Ex ratione.* Christus, sicut et alii homines, accepit a Patre praecepta juris naturae, et nihilominus erat circa illa omnino liber. Quidni acceperit praeceptum moriendi? Theologi, qui putant praeceptum rigorosum tollere libertatem, concipiunt vel praeceptum vel libertatem modo admodum imperfecto.

790. THESIS II. **Christus, accepto Patris praecepto de morte subeunda, liberrime passionem et mortem crucis sustinuit, et sub hac libertate fuit omnino impeccabilis.**

Arg. *Ex S. Scriptura.* Libertatem moriendi cum praecepto Patris optime in se conciliavit Christus dicens: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi a Patre meo* [6].

---

[1] *Joan.*, 10, 18.
[2] *Joan.*, 14, 31.
[3] *Luc.*, 22, 22.
[4] *Act.*, 4, 27.
[5] *Philipp.*, 2, 8.
[6] *Joan.*, 10, 17-18.

791. Scholion I. *Concordia libertatis et impeccabilitatis Christi sub praecepto Patris.*

Praenotanda. 1) Praeceptum unius nunquam afficit intrinsece voluntatem alterius, sed extrinsece dirigit eam in bonum. Voluntas itaque libera per se circa unam materiam creatam, quamvis adveniat praeceptum alterius obligans, semper manet libera.

2) Ad veram libertatem non requiritur libertas specificationis seu contrarietatis, sed sufficit libertas exercitii seu contradictionis, quae est facultas ponendi vel suspendendi actum.

3) Omissio cujuslibet actus, v. gr. *non mori*, potest considerari vel secundum se ex objecto, quatenus idem significat ac vitare mortem, vel formaliter contradicens praecepto moriendi, quatenus est recusare praeceptum obligans. Ad libertatem sufficit facultas omittendi actum secundum se, quamvis absit facultas transgrediendi praeceptum formaliter. Unde, qui impeccabilis est vel caret potentia peccandi, potest habere libertatem acceptandi vel non acceptandi mortem praeceptam, quatenus *non mori* consideratur secundum se ex objecto, licet aliunde nequeat recusare mortem ut formaliter praeceptam.

4) Potentia antecedens seu possibilitatis et in sensu diviso versatur circa rem consideratam secundum se ex objecto; potentia vero consequens seu positionis et in sensu composito versatur circa objectum vestitum omnibus circumstantiis. Unde, qui motus est influxu efficaci et praecepto Dei ad faciendum aliquid, potest, etiam in ipso actu operationis, non facere illud secundum potentiam antecedentem et in sensu diviso; non tamen potest illud omittere secundum potentiam consequentem et in sensu composito, quia, licet libere operetur, nequit unire actum cum non actu.

His praenotatis statuenda sunt sequentia:

1) Christus accepit a Patre verum ac rigorosum moriendi praeceptum sine laesione humanae libertatis, quia praeceptum non afficit intrinsece voluntatem.

2) Stante hoc praecepto acceptavit libere passionem et mortem, quia in eodem momento passionis poterat potentia antecedenti et in sensu diviso non pati et non mori.

3) Christus non obstante libertate moriendi, erat omnino impeccabilis, quia potentia antecedens et facultas non moriendi sub praecepto Patris, non importabat potentiam peccandi. Facultas quippe peccandi innuit potentiam consequentem et sensum compositum.

Scholion II. Amor, quo Christus gerebatur in Deum, fuit quodammodo necessarius et quodammodo liber.

1) Amor Dei in Christo, quatenus dirigebatur scientia beata et terminabatur ad bonitatem Dei in se consideratam, erat certe necessarius, quia erat amor comprehensoris circa objectum principale beatitudinis.

2) Amor Dei in Christo erat liber, vel quatenus regulabatur scientia infusa, ut volunt *Soto, Ferrariensis, Medina, Suarez* et alii [1], vel quate-

---

[1] **Soto,** *De natura et gratia*, lib. 3, c. 7; **Ferrariensis,** *Contra Gentiles*, lib. 3, c. 62, *Ideo posset;* **Medina,** *In III p.*, q. 19, a. 3; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 39, sect. 2.

http://www.obrascatolicas.com

nus terminabatur ad divinam bonitatem, ut erat ratio diligendi creaturas, ut defendunt *Salmanticenses, Gonet* et alii [1]. Utraque solutio est satis fundata, sed secunda magis mihi probatur.

QUAESTIO LVII

DE CHRISTO UT EST FILIUS DEI, SEU DE FILIATIONE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM DEUS ALIQUEM ADOPTET IN FILIUM

792. Status quaestionis. 1) Duplex dicitur esse filiatio, una naturalis, altera adoptiva; unde alii dicuntur filii naturales, alii adoptivi. *Filiatio naturalis* est origo, qua quis per naturalem generationem accipit naturam patris. *Filiatio adoptiva* est gratuita adsumptio personae extraneae ad haereditatem. Homo, qui ita adsumitur, dicitur filius adoptivus.

2) Nemo potest esse simul filius naturalis et adoptivus, quia nemo potest simul esse proprius et extraneus, sicut nec genitus et ab alieno vocatus.

3) Novimus in societate aliquos ab aliis saepe adoptari solemnitatibus in lege praescriptis, quatenus aliqui extranei adsumuntur ad familiam cum jure ad haereditatem adsumentis. Quaerimus, an etiam Deus adsumat aliquos homines ad participationem suae haereditatis.

793. THESIS. **Deus de facto adoptat plures homines in filios.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes commendat nobis bona opera, *ut filii Dei nominemur et simus* [2]; et Apostolus, *ut adoptionem filiorum reciperemus* [3]; qui iterum adserit: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba (Pater)... si autem filii et haeredes* [4].

2) *Ex ratione.* Deus secundum suam magnam misericordiam plures vocat ad suam amicitiam per collationem gratiae supernaturalis. Qui autem ditantur gratia supernaturali, veluti induuntur naturam Dei et acquirunt jus ad beatitudinem, in qua haereditas Dei consistit. Ergo plures homines adoptat Deus in filios.

Est tamen, ut vides, differentia non parva inter adoptionem humanam et divinam. Homines adsumunt extraneos ad haereditatem, quae consistit in bonis materialibus, auro, argento, titulis ac praediis, nullam efficiendo mutationem intrinsecam in adoptatis. Sed Deus adoptat homines in filios, elevando eos ad participationem suae naturae per gratiam sanctificantem, eisque tribuendo jus ad divitias gloriae suae seu beatitudinis. «Id autem, ait *Angelicus*, quo Deus dives est, est perfruitio sui ipsius, quia ex hoc beatus est, et ita haec est haereditas ejus. Unde in quantum hominibus, qui ex naturalibus ad illam fruitionem pervenire non possunt, dat gratiam, per quam homo illam beatitudinem meretur..., secundum hoc dicitur aliquem in filium adoptare» [1].

794. Scholion. Adoptio divina, utpote actio Dei ad extra, est communis toti Trinitati.

Per hanc actionem Deus adoptavit semel angelos, et adoptat quotidie homines, cum per gratiam sanctificantem eos ad suam amicitiam vocat.

[1] **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 27, n. 50; **Gonet,** *De incarnat.*, disp. 21, nn. 48-49.
[2] *I Joann.*, 3, 1.
[3] *Gal.*, 4, 5
[4] *Rom.*, 8, 15 sqq.

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS IN QUANTUM HOMO SIT FILIUS DEI NATURALIS TANTUM, VEL ALIQUO MODO DICI POSSIT FILIUS DEI ADOPTIVUS

795. Status quaestionis. 1) Christus, utpote verus Deus et verus homo, est dupliciter genitus, duplicemque naturam, divinam et humanam, in una sola persona habet. Genitus a Patre per aeternam generationem accepit naturam divinam, et est Filius naturalis Patris; genitus a matre per temporalem generationem accepit naturam humanam, et est filius naturalis beatae Mariae Virginis.

2) Christum Dominum a matre tempore genitum, id est, personam divinam subsistentem in natura humana ditavit Deus gratia sanctificante. Quos autem Deus locupletat gratia sanctificante, adoptat in filios, et inde exsurgit dubitatio, an Deus Christum Dominum adoptaverit in filium sicut alios homines.

3) Triplici modo fingi posset Christum ut hominem esse filium Dei adoptivum: a) Supponendo Christum esse hominem purum et ideo filium Dei adoptivum tantum; et hoc est arianum. b) Ponendo in Christo duo supposita, unum divinum, quo sit filius Dei naturalis, et alterum humanum, quo denominetur filius Dei adoptivus; et hoc est nestorianum. c) Considerando in Christo unam personam compositam, adeo ut persona divina subsistens in natura divina, seu Christus ut Deus, dicatur Filius Dei naturalis, et persona divina subsistens in natura humana, perfusa gratia sanctificante, seu Christus ut homo Deo carus, nominetur filius Dei adoptivus; et hoc in controversiam venit.

4) Quaeritur itaque, a) an et qua ratione Christus ut homo sit filius Dei naturalis; b) utrum aliquo modo dici possit filius Dei adoptivus.

796. Errores et theologorum placita.
Quoad 1.um 1) Erravit Arius, docendo, ut diximus [2], Verbum esse creaturam non Filium Dei naturalem.

2) Communiter docent theologi Christum ut hominem esse Filium Dei naturalem.

[1] *In III Sent.*, dist. 10, q. 2, a. 1.
[2] *De Deo trino*, n. 466.

http://www.obrascatolicas.com

Quoad rationem tamen, qua dicatur Filius Dei naturalis, diversi diversimode opinantur.

a) *Salmanticenses, Lugo* et alii [1] optime probant unicam rationem filiationis naturalis in Christo esse aeternam Filii a Patre generationem.

b) *Vazquez* [2] existimat Christum ut hominem dici filium Dei naturalem ob solam sanctificationem substantialem per gratiam unionis; et *Suarez* [3], admissa filiatione naturali Christi per aeternam generationem a Patre, vult Christum hominem posse etiam dici Filium Dei naturalem, quatenus per gratiam unionis formaliter sanctificatus est factusque haeres regni caelestis.

Quoad 2.um 1) *Nestorius* et alii haeretici ipsum sequuti docuerunt in Christo fuisse duo supposita, divinum et humanum, et Christum vocari Filium Dei naturalem ratione suppositi divini, et filium Dei adoptivum ratione suppositi humani. Est haeresis damnata in Concilio Ephesino.

2) *Felix* episcopus urgellensis et *Elipandus* archiepiscopus toletanus saeculo VIII in Hispania dixerunt Christum ut Verbum esse quidem Filium Dei naturalem, sed ut hominem esse filium Dei adoptivum. Vocati sunt *adoptionistae* et videntur nestorianismo deflectisse, ponendo duas personas in Christo [4].

3) *Durandus* [5] contendit Christum Deum et hominem ut suppositum esse Filium Dei naturalem, sed quatenus ejus natura humana sanctificata est per gratiam habitualem, posse dici filium Spiritus Sancti per adoptionem.

797. THESIS. **Christus ut hic homo est Filius Dei naturalis, quia ab aeterno genitus a Patre, et nullatenus potest dici Filius Dei adoptivus.**

Pars 1.a Est Filius Dei naturalis.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Christum ut hominem vocat Sanctus Joannes *Unigenitum Filium, qui est in sinu Patris* [6]; et Apostolus non dubitat eum appellare proprium Filium Dei [7].

b) Jesus Christus ut homo diversimode quam angeli vocatur filius Dei juxta illud Apostoli: *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* [8]. Angeli autem sunt filii Dei adoptivi. Ergo Jesus Christus est filius magis quam adoptivus, id est, naturalis.

2) *Ex SS. Patribus. S. Hilarius,* loquendo de Christo homine, ait: «Hic enim et verus et proprius est Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione» [9].

3) *Ex ratione.* Cum filius, sive naturalis sive adoptivus, non possit esse nisi persona, in hac propositione *Christus ut homo est Filius Dei,* terminus *homo* importat personam subsistentem in natura humana [10]. Sed persona subsistens in natura humana Christi, utpote nata a Patre per aeternam generationem, est Filius Dei naturalis. Ergo Christus ut homo est Filius Dei naturalis.

---

1 **Salmanticenses,** *De incarnat.,* disp. 33, dub. 3; **Lugo,** *De incarnat.,* disp. 23, sect. 6; et disp. 31, sect. 3.
2 *In III p.,* disp. 90, c. 14.
3 *De incarnat.,* disp. 49, sect. 2, n. 31 sqq.
4 Cfr. **Suarez,** *De incarnat.,* disp. 49, sect. 3, n. 8 sqq.
5 *In III Sent.,* dist. 4, q. 1.
6 *Joann.,* 1, 18.
7 *Rom.,* 8, 32.
8 *Hebr.,* 1, 5.
9 *De Trinitate,* lib. 3, n. 11; ML **10,** 82.
10 Confer egregium articulum *De mystica unione in Christo Jesu* apud ephemeridem *Biblica,* a. 1920, p. 309 sqq.

Dixi, *quia ab aeterno genitus a Patre,* ut innuerem rationem unicam filiationis naturalis Christi esse solam generationem aeternam a Patre, ut defendunt *Salmanticenses* et *Lugo,* et non sanctificationem substantialem per gratiam unionis, ut volunt *Vazquez* et *Suarez.* Gratia enim unionis et sanctificatio substantialis ab ea producta in anima Christi sunt quid creatum, ut alibi dictum est. Christus autem non potest appellari filius Dei naturalis ratione perfectionis creatae.

Pars 2.a Christus nullatenus potest dici Filius Dei adoptivus.

Arg. 1) Adrianus Papa I in epistola *Institutio universalis* ad episcopos Hispaniae a 785, lamentatur quod «quidam episcopi ibidem (in Hispania) degentes... Filium Dei adoptivum confiteri non erubescunt» [1]. «Quo solo audito, omnis christianus gemens pavescit» [2]. Unde Concilium Francofordiense (a. 974) damnavit Felicem et Elipandum, qui «adstruebant Dominum nostrum Jesum Christum (fuisse) adoptivum Dei filium de Virgine natum» [3]. Et Patres ejusdem concilii episcopos Hispaniae sic affati sunt: «Nec apostoli eum sic (adoptivum) nominaverunt, nec sancta Dei et catholica Ecclesia consuetudinem habuit sic eum appellare, imo nec credere illum adoptivum esse sed proprium Filium juxta praecedentia apostolorum testimonia et sanctorum Doctorum dogmata» [4].

2) *Ex ratione.* Adoptio nihil aliud est quam *gratuita et liberalis personae extraneae ad haereditatem adsumptio.* Cadit semper in personam extraneam, cui haereditas non competit per generationem et nativitatem. Sed Christus ut homo non fuit persona Deo extranea nec adsumptus est ad haereditatem alienam. Ergo. Ad rem Patres Concilii Francofordiensis: «Adoptivus dici non potest, nisi is, qui alienus est ab eo, a quo dicitur adoptatus, et gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio praestatur» [5].

798. Corollarium. Ex his deduces Christum hominem dici non posse Filium Dei adoptivum:

1) *In sensu arianorum;* quia Verbum seu persona Christi non fuit creatura; nec

2) *In sensu nestorianorum et adoptionistarum,* quia in Christo non fuerunt duae personae, sed una tantum, eaque aeterna a Patre genita; nec

3) *In sensu Durandi,* quia, quamvis natura humana Christi sanctificata fuerit per gratiam unionis et habitualem, natura non adoptatur sed persona.

Solvuntur difficultates.

799. Obj. 1.° *S. Irenaeus* haec habet: «Qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius

---

1 **Adrianus,** ep. *Institutio universalis;* ML **98,** 376; et **Denz-Bannw.,** 299.
2 **Adrianus,** ibid.; ML **98,** 377.
3 *In Sacrosyllabo ad hispanos;* apud **Harduinum,** t. 4, p. 874.
4 Ep. ad episcopos Hisp.; apud **Harduinum,** t. 4, p. 893.
5 *In Sacrosyllabo;* apud **Harduinum,** t. 4, p. 875.

http://www.obrascatolicas.com

Dei» [1]. Idem sonant expressiones *S. Cyrilli alex.* [2], *S. Hilarii* [3] et aliorum.

Resp. Traductio verborum *S. Irenaei* non est fidelis et parit confusionem. En verba *S. Doctoris:* ινα ο ανθρωπος τον Λογον χορησας και υιοθησιαν λαβον, υιος γενηται Θεου; quae sic verti debent: «Ut homo ad Verbum accedens et adoptionem percipiens, filius Dei efficiatur». Haec verba referuntur non ad Christum sed ad hominem, qui accedit ad Verbum et efficitur filius Dei adoptivus.

S. Cyrillus alex., S. Hilarius et alii, si qui videantur huic doctrinae adversari, explicandi sunt in sensu obvio, in quantum nomine *adoptionis* significare volunt gratuitam adsumptionem humanitatis a Verbo [4].

Obj. 2.° *S. Thomas* [5] expresse docet Christum ut hominem non esse Deum. Ergo Christus ut homo non est filius Dei naturalis.

Resp. *S. Thomas* docet Christum ut hominem non esse Deum, quia, ut ipse adnotat, particulae *ut homo* reduplicant naturam humanam, et Christus ratione naturae humanae non est Deus. Sed statim subjungit: «Alio modo potest accipi ratione suppositi, et sic... verum est, quod Christus, secundum quod homo sit Deus».

Obj. 3.° Effectus formalis gratiae habitualis est facere subjectum filium Dei adoptivum. Sed Christus abunde recepit gratiam habitualem. Ergo Christus fuit filius Dei adoptivus.

Resp.—Dist. maj. Effectus formalis secundarius gratiae habitualis est facere subjectum filium Dei adoptivum, **conc.;** effectus formalis primarius, **neg.** Effectus siquidem formalis primarius gratiae habitualis est facere animam deiformem seu participem divinae naturae. Ex hac participatione divinae naturae oritur filiatio adoptiva in subjecto ad adoptionem capaci; secus vero in subjecto incapaci. Ad rem *Angelicus:* «Quamvis (Christus) secundum humanam naturam sit creatus et justificatus, non tamen debet dici filius Dei neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est filius Patris solius» [6].

800. Scholion I. *Christus non potest dici Filius naturalis SS. Trinitatis.* Est contra *Suarez,* qui ait: «Christus ut homo non est filius ex vi generationis aeternae ut sic, sed ex eo quod filiatio, quam habuit per generationem aeternam, communicata est et unita humanitati», et ex eo quod sanctificatur per gratiam unionis; quod utrumque «est opus totius Trinitatis; ergo relatio filiationis, quae hinc proxime resultat, est ad Trinitatem, ut est unus Deus ad extra operans» [7].

Verius dicendum videtur cum *S. Augustino:* «Neque enim Jesus, etiam Spiritus Sancti Filius, aut etiam suus Filius credi aut intelligi potest» [8]. Ratio est, quia ad producendam filiationem naturalem non sufficit quaelibet actio Trinitatis in Christum, sed necessario requiritur actio generativa. Christus autem ut homo non est genitus a Trinitate. Unde *S. Thomas:* «Nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus Sancti, nec etiam totius Trinitatis» [9].

---

1 *Contra haer.*, lib. 3, c. 19, n. 1; MG **7**, 939.
2 *De Trinitate*, dial. 3; MG **75**, 827.
3 *De Trinitate*, lib. 2, n. 27; ML **10**, 68.
4 Cfr. **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 21, a. 2; et **Hugon,** *Le mystère de l'Incarnation*, 3 me part., c. 1, § 7.
5 *III p.*, q. 16, a. 11.
6 *III p.*, q. 32, a. 3.
7 *De incarnat.*, disp. 49, sect. 2, n. 24 sqq.
8 *De Trinitate*, lib. 2, c. 10; ML **42**, 857.
9 *III p.*, q. 32, a. 3.

Scholion II. *Christus ut homo bene dicitur filius naturalis B. Mariae Virginis.* Ratio est obvia, quia Christus ut homo conceptus est in ventre purissimo B. Mariae Virginis, et ideo ortus est vivens a vivente conjuncto in similitudinem naturae.

QUAESTIO LVIII

DE SERVITUTE CHRISTI

ARTICULUS UNICUS

UTRUM CHRISTUS UT HOMO FUERIT SERVUS DEI

801. Status quaestionis. Servitus in genere est status quo homo subjicitur alteri. Potest esse *naturalis,* qua quis ratione originis alteri subest ac deservit, ut filius patri; *legalis,* qua quis justo titulo venditus vel haereditate possessus sub domini potestate, lege sic disponente, manet; *moralis,* qua quis servit peccato, ut omnis peccator.

Compertum est Christum ut hominem non fuisse servum servitute legali et morali, quia nunquam legis dispositione alteri se mancipavit, nec peccato aliquando deservivit.

Disputatur, an vere fuerit servus Dei servitute naturali.

802. Placita theologorum. 1) Aliqui, putantes conditionem servitutis esse ignobilem, dixerunt Christum ut hominem non esse vere servum Dei servitute naturali. Ita *Vazquez* [1].

2) Alii communius defendunt servitutem naturalem non esse ignobilem, et idcirco Christum ut hominem vere esse servum Dei servitute naturali. Sic *S. Thomas, Suarez* et alii [2].

803. THESIS. **Christus ut homo vere fuit servus Dei servitute naturali.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apud Isaiam dicitur: *Ecce servus meus suscipiam eum* [3]. *Justificabit ipse justus servus meus multos* [4]. Et Apostolus ait: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* [5]. Quod recte interpretatus est *S. Joannes Chrysostomus* dicens: «Si forma Dei perfectus Deus est, certe et forma servi perfectus est servus» [6].

2) *Ex SS. Patribus. S. Gregorius M.:* «Qui bene etiam servus dictus est, quia formam servi suscipere dedignatus non est» [7].

---

1 *In III p.*, disp. 80, c. 3 sqq.
2 **S. Thomas,** *III p.*, q. 20, a. 1; et **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 44, sect. 1, n. 37 sqq.
3 *Is.*, 42, 1. Hic locus authentice interpretatur de Christo a S. Matth., 12, 17 sq.
4 *Is.*, 53, 11.
5 *Philipp.*, 2, 7.
6 *In ep. ad Philipp.*, hom. 7, n. 3; MG **62**, 232.
7 *Moral.*, lib. 2, c. 23, n. 42; ML **75**, 576.

http://www.obrascatolicas.com

3) *Ex ratione.* a) Servitus naturalis quoad praesens non est nisi subjectio ad Deum, et praedicatur de persona ratione naturae. De persona enim habente naturam divinam et humanam, praedicantur ea, quae sine dedecore spectant ad Deum vel ad hominem ratione unius vel alterius naturae. Sed Christus habens naturam divinam et humanam, se subjecit seu servivit Deo servitute naturali; cum semetipsum exinanivit. Ergo.

b) Christus ut homo est vere ac realiter sub dominio Dei constitutus, quia a Deo dependet in esse et conservari. Ergo est vere servus Dei servitute naturali.

804. Corollarium I. Expressio *Christus est servus Dei* absolute prolata non videtur nos in errorem inducere, sicut expressio *Christus passus est* nullum offert periculum, quia subintelligitur limitatio *ut homo*, sed ad scandalum vitandum satius est, ut Christus non dicatur *servus Dei*, nisi adjecta particula restrictiva *ut homo*.

Coroll. II. Nihil impedit, quominus servus alicujus servitute naturali simul sit ejusdem filius naturalis. Servitus naturalis solum exigit subjectionem ad superiorem, quae optime stat cum filiatione naturali, quia filius quoque subjicitur patri.

Difficultatibus satisfit.

805. Obj. 1.° Adrianus Papa in epistola, quae praemittitur Concilio Francofordiensi, sic Felicem et Elipandum adloquitur: «Tanta vos temeritatis dementia deludit, ut... adoptivum eum Filium quasi purum hominem calamitati humanae subjectum, et quod pudet dicere, servum eum, impii et ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare» [1]. Eadem verba repetit Concilium Francofordiense in epistola ad episcopos Hispaniae.

Resp. Adrianus et Concilium Francofordiense non damnarunt servitutem naturalem ratione humanae naturae in Christo, sed servitutem ratione personae sensu nestoriano. Felix et Elipandus, ponentes duas personas in Christo, dixerunt Christum ratione personae humanae esse filium Dei adoptivum et consequenter servum Dei [2], et hoc sensu Adrianus accusat eos, quod temerarie «adoptivum eum Filium quasi purum hominem» dixerint, et servum eum eodem sensu susurraverint.

Obj. 2.° *S. Joannes Damascenus* ait: «Illud quoque sciendum est, eum ne servum quidem dicere nos posse» [3]. Ergo.

Resp. *S. Joannes Damascenus* nomen servi accepit pro subjectione alicujus ad superiorem ratione personae, et hoc sensu verum est Christum non fuisse servum. Se ipsum statim explicat *S. Doctor* his verbis: «servitutis enim ac dominationis vocabula non naturas indicat, sed ex eorum sunt genere, quae ad aliud referuntur, quemadmodum et paternitatis et filiationis voces».

Obj. 3.° Conditio servitutis est magis aliena a Christo filio Dei naturali quam conditio filii adoptivi. Sed Christus filius Dei naturalis non fuit filius Dei adoptivus. Ergo multo minus potuit esse Dei servus.

Resp.—Dist. maj. Conditio servitutis ratione personae est magis aliena a Christo filio Dei naturali quam conditio filii adoptivi, **conc.;** conditio servitutis ratione naturae solum, **neg.** Inter servum et filium adoptivum

[1] **Labbé,** 7, p. 1017.
[2] Cfr. **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 44, sect. 1, n. 49.
[3] *De fide orth.*, lib. 3, c. 21; MG **94,** 1085.

non datur paritas. Christus non potuit esse filius Dei adoptivus, quia filius adoptivus dicitur ratione adsumptionis personae extraneae, quae in Christo filio naturali verificari non potuit; sed servus servitute naturali dicitur persona ratione naturae, et nihil obstat, quominus Christus, qui erat filius naturalis ut persona, esset servus ratione naturae.

QUAESTIO LIX

DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS PRAEDESTINATUS FUERIT

806. Status quaestionis. Praedestinatio adaequate sumpta, ut alibi diximus [1], est *ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae in mente divina ab aeterno exsistens.* Inadaequate tamen et latiori quodam sensu praedestinatio dicitur *aeterna Dei praeordinatio de his, quae per gratiam facienda sunt in tempore.* Unde datur praedestinatio ad gloriam et ad gratiam tantum.

Dubium hic pulsat animum, an de facto Christus praedestinatus fuerit.

807. THESIS. **Christus ab aeterno praedestinatus fuit.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium Toletanum XI ait: «Per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est... et praedestinatus esse credendus est» [2].

2) *Ex ratione.* Ab aeterno Deus praeordinavit, ut homo Christus per unionem hypostaticam esset Deus et per visionem Dei esset beatus. Ergo Christus bene dicitur praedestinatus.

ARTICULUS II

QUIS FUERIT TERMINUS PRIMARIUS AD QUEM PRAEDESTINATUS EST CHRISTUS UT HOMO

808. Status quaestionis. Praedestinatio, ut ipsum vocabulum sonat, est praeordinatio ad aliquem terminum, ut ad gloriam, ad gratiam, etc. Cum autem in Christo fuerint filiatio naturalis, visio beatifica, gratia habitualis, gloria accidentalis, etc., dubitari solet, ad quem terminum primario ordinatus fuerit Christus per praedestinationem.

[1] *De Deo uno*, n. 397.
[2] **Denz-Bannw.,** 285.

http://www.obrascatolicas.com

809. Placita theologorum. 1) Aliqui ad litteram intelligentes textum graecum Apostoli του ορισθέντος υιου Θεου, *qui declaratus est Filius Dei* [1], dixerunt manifestationem Filii naturalis esse terminum primarium praedestinationis Christi [2].

2) Alii, insistentes versioni Vulgatae *qui praedestinatus est Filius Dei in virtute* [3], defenderunt Christum posse dici primario praedestinatum ad virtutem miraculorum. Sic *Cajetanus* [4].

3) Alii censuerunt Christum primario praeordinatum fuisse ad gloriam animae. Ita *Altisiodorensis, Scotus, Durandus* et alii [5].

4) Alii denique multo communius docuerunt Christum primario praedestinatum fuisse ad filiationem Dei naturalem, secundario vero ad gloriam animae, gratiam, aliaque dona supernaturalia. Sic fere communiter thomistae et plures extranei [6].

810. THESIS I. **Christus ut homo praedestinatus est, ut esset Filius Dei naturalis.**

Nota. 1) Haec doctrina non caret difficultate. Christus namque ut homo supponit pro secunda persona Trinitatis. Persona autem Christi semper fuit Filius Dei naturalis. Quomodo ergo Christus praedestinatus fuit, ut esset Filius Dei naturalis? Solutio ut videbitur, est subtilis, et eo fine proposita, ut *SS. Patrum* effata salventur.

2) Contendunt plures hanc doctrinam contineri in textu Apostoli ad Romanos juxta Vulgatam: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute* [7]. Sed textus originalis in graeco non dicit *praedestinatus est*, sed *declaratus est*, et Patres graeci verius interpretantur hunc locum de manifestatione Jesu Christi per virtutem miraculorum, «secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum» [8].

Arg. 1) *Ex SS. Patribus.* Patres latini communi fere consensu docent Christum qua hominem fuisse praedestinatum, ut esset Filius Dei naturalis. Unde *S. Bernardus* ait: «Divinitas (sibi adstrinxit) hominem illum, qui praedestinatus est filius Dei in virtute» [9].

2) *Ex ratione.* Subjectum hujus praedestinationis est Christus homo seu hic homo, et terminus ejusdem est Filius Dei naturalis. Quomodo potest salvari distinctio et praecedentia sufficiens inter Christum hominem et Filium Dei naturalem, ut sint respective subjectum et terminus praedestinationis? Subtili expositione praemissa facile intelligitur.

Praedestinatio est actus intellectus, qui in una sola re distinguit diversas formalitates seu rationes, et inter ipsas rationes concipit diversas prioritates, praesertim in hac materia.

Subjectum *quod* hujus praedestinationis est, ut diximus, Christus seu

---

1 *Rom.*, 1, 4.
2 Ita nonnulli apud **S. Thomam**, *Rom.*, 1, lect. 3.
3 *Rom.*, 1, 4.
4 *In III p.*, q. 24, a. 1.
5 **Altisiodorensis**, *Summa*, lib. 3, tr. 1, c. 2; **Scotus**, *In III Sent.*, dist. 7, q. 3; **Durandus**, *In III Sent.*, dist. 7, q. 3, n. 6.
6 Cfr. **S. Thomas**, *III p.*, q. 24, aa. 1 et 2; **Suarez**, *De incarnat.*, disp. 50, sect. 2.
7 *Rom.*, 1, 3-4.
8 En textus originallis: του ορισθεντος υιου Θεου εν δυναμει, *Rom.*, 1, 4. Cfr. **Cornely**, *In ep. ad Romanos*, 1, 4.
9 *De consideratione*, lib. 5, c. 11, n. 21; ML **182**, 800.

hic homo subsistens, et subjectum *quo* natura humana; terminus *qui* est Filius Dei naturalis et terminus *quo* filiatio naturalis. Unde «ordine rationis cum fundamento in re prius fuit Deum esse hominem quam hominem esse Deum»; prius fuit «Deum incarnari, quam hominem deificari. Prius namque exsecutum est, quod Verbum fieret suppositum humanum et verus homo, quam quod hic verus homo et suppositum humanum esset Deus» [1]. Hoc signo rationis, quo concipitur Deum prius esse hominem Christum, praeordinavit Deus, ut Christus homo esset Filius Dei, et sic vere dicitur Christus praedestinatus Filius Dei.

Subjectum itaque inter et terminum hujus praedestinationis adest distinctio rationis, et subjectum praecedit terminum ordine rationis cum fundamento in re [2].

«Quamvis enim sit naturale, ait *S. Thomas*, illi personae secundum se consideratae, quod sit Filius Dei in virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc ei convenit per gratiam unionis» [3]. «Illa antecessio, quam importat hoc participium *praedestinatus*, non refertur ad personam secundum se ipsam, sed ratione humanae naturae, quia scilicet persona illa, etsi ab aeterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in natura humana fuerit Filius Dei» [4]. Rursum: «Licet ille homo non praeintelligatur ad Filium Dei ratione suppositi, tamen praeintelligitur ratione humanae naturae» [5].

Hoc bene explicant *Salmanticenses* his verbis: «Subjectum *quod* praedestinationis Christi fuit re ipsa persona Filii Dei ut subsistens in humanitate, et haec fuit subjectum *quo*; sed praedestinatum est, quod hic homo elevaretur ad dignitatem Filii naturalis Dei sive ad naturalem filiationem, quae proinde se habuit ut terminus *quo* seu formalis» [6].

811. Scholion. Ex hoc tamen male concluderes Christum hominem *factum fuisse* Filium Dei. «Licet hoc participium *praedestinatus*, ait *S. Thomas*, importet antecessionem, sicut et hoc participium *factus*, aliter tamen et aliter. Nam fieri pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est; praedestinari autem pertinet ad aliquem, secundum quod est in apprehensione alicujus praeordinantis. Id autem, quod subest alicui formae et naturae secundum rem, potest apprehendi, vel prout est sub forma illa vel etiam absolute. Et quia absolute non convenit personae Christi, quod inceperit esse Filius Dei, convenit autem ei, secundum quod intelligitur vel apprehenditur ut in natura humana exsistens, quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana exsistens esset Filius Dei; ideo magis haec est vera: *Christus est praedestinatus Filius Dei*, quam ista: *Christus est factus Filius Dei*» [7].

---

1 **Salmanticenses**, *De incarnat.*, disp. 34, n. 37.
2 Cfr. **Suarez**, *De incarnat.*, disp. 50, sect. 2, n. 11; et **Billot**, *De Verbo incarnato*, th. 36.
3 *III p.*, q. 24, a. 1 ad 2.
4 *III p.*, q. 24, a. 1 ad 3.
5 *In III Sent.*, dist. 7, q. 3, a. 1 ad 5.
6 *De incarnatione*, disp. 34, n. 49.
7 *III p.*, q. 24, a. 1 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

812. THESIS II. **Terminus primarius praedestinationis Christi fuit filiatio Dei naturalis.**

Arg. 1) *S. Thomas* expresse hoc tradidit dicens: «Illud autem, ad quod est praedestinatio, non est unius rationis in Christo et in nobis: quia praedestinatio Christi est ad unionem in persona; praedestinatio autem nostra ad unionem per operationem aut per habitum adsimilantem. Et hae duae uniones non sunt unius rationis, sed se habent secundum prius et posterius; et perfectum et diminutum»[1]. «Ipse enim est praedestinatus ad hoc, quod esset Dei Filius naturalis; nos autem praedestinamur ad filiationem adoptionis, quae est quaedam participata similitudo filiationis naturalis»[2].

2) *Ex ratione.* Finis primarius seu terminus principalis praedestinationis dicitur illud bonum, quod est principale et majus ex omnibus bonis a Deo volitis praedestinato. Sed filiatio Dei naturalis, utpote summum bonum tam in esse unionis quam in esse entis ac beneficii, est majus ex omnibus bonis Christo a Deo volitis. Ergo. «Gratia, quae est accidens, ait *S. Thomas*, est quaedam similitudo divinitatis participata in homine. Per incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam divinae naturae, sed dicitur esse conjuncta ipsi divinae naturae in persona Filii. Majus autem est ipsa res quam similitudo ejus participata»[3].

813. Corollarium. Visio beatifica, gratia habitualis, et reliqua dona supernaturalia in Christo fuerunt terminus secundarius praedestinationis, quia fuerunt secundario a Deo intenta.

ARTICULUS III

UTRUM ET QUOMODO PRAEDESTINATIO CHRISTI FUERIT CAUSA NOSTRAE PRAEDESTINATIONIS

814. Status quaestionis. 1) Praedestinatio potest considerari a) «secundum ipsum actum praedestinantis, et sic praedestinatio Christi non potest» esse causa nostrae praedestinationis, tum quia Deus eodem actu aeterno praedestinavit nos et Christum; tum quia actus aeternus Dei praedestinantis nos nullam habet causam; b) «secundum illud, ad quod aliquis praedestinatur, quod est praedestinationis terminus et effectus»[4]. Agimus de praedestinatione sub hoc secundo respectu.

2) Causa, ad praesens quod attinet, potest esse *exemplaris, finalis* et *efficiens*, et quaeritur, an praedestinatio Christi considerata ex parte termini sit causa exemplaris, finalis et efficiens nostrae praedestinationis.

---

1 *In III Sent.*, dist. 10, q. 3, a. un.
2 *III p.*, q. 24, a. 3.
3 *III p.*, q. 2, a. 10 ad 1.
4 **S. Thomas,** *III p.*, q. 24, a. 3.

815. THESIS. **Praedestinatio Christi, considerata ex parte termini est causa exemplaris, finalis et efficiens nostrae praedestinationis.**

1) *Causa exemplaris.* Christus praedestinatus est, ut esset Filius Dei naturalis, nos autem, ut essemus filii Dei adoptivi. Sed filiatio Dei naturalis est exemplar filiationis nostrae adoptivae, quae consummatur in gloria. Ergo. Ad rem Apostolus: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*[1]. Et *S. Augustinus:* «Est etiam praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator, ipse Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus»[2].

Praedestinatio tamen Christi nequit dici exemplar homogeneum nostrae praedestinationis, ut aliqui voluerunt, sed heterogeneum, quia terminus primarius praedestinationis Christi fuit filiatio Dei naturalis, valde diversa a nostra filiatione adoptiva.

2) *Causa finalis.* Salutem nostram ordinavit Deus ad gloriam Christi juxta illud Apostoli: *Omnia vestra sunt..., vos autem Christi, Christus autem Dei*[3].

3) *Causa efficiens.* Dupliciter Christus effecit hominum salutem aeternam; primo quidem *physice*, quatenus virtute instrumentali produxit redemptionem et sanctificationem nostram; et secundo *efficienter meritorie*, in quantum bonis operibus meruit nostram praedestinationem omnesque ejus effectus.

QUAESTIO LX

DE ADORATIONE CHRISTI AC VENERATIONE SANCTORUM ATQUE SACRARUM IMAGINUM

ARTICULUS I

TRADUNTUR NOTIONES PRAEVIAE

816. I. **Adorationis etymon.** Adoratio, si etymon spectes, vel est *ad os*, ut aliqui volunt, quia antiquitus, manus ad os ferebatur in protestationem reverentiae, vel, ut alii probabilius contendunt, est vocabulum compositum ex particulis *ad* et *orare*, et designat actum reverentiae, quem plerumque inter orandum superiori exhibemus, ut cum genua flectimus vel caput inclinamus.

II. **Definitio.** Adoratio definiri potest: *Exhibitio submissionis erga superiorem in testimonium excellentiae et superioritatis ejus.* Est quidam cultus, imo et honor, cum hac differentia, quod omnis adoratio est honor, non viceversa, quia adoratio solum exhibetur superiori, dum honor, qui est testimonium de excellentia alterius tribuitur aequaliter superiori,

---

1 *Rom.*, 8, 29.
2 *De praedestinatione Sanctorum*, c. 15; ML 44, 981.
3 *I Cor.*, 3, 22-23.

http://www.obrascatolicas.com

aequali et inferiori. «Honorat enim omnis, qui adorat, ait *S. Augustinus*, non autem adorat omnis, qui honorat» [1]. Honorat non adorat Deus sanctos in caelo, et sancti honorant et adorant Deum.

Complectitur tres actus: 1) *actum intellectus* agnoscentis excellentiam et superioritatem personae adorandae; 2) *actum voluntatis* moventis nos ad exhibitionem submissionis; 3) *exhibitionem submissionis* actu interno spiritus vel externo corporis manifestatam.

Objectum ejus materiale seu objectum *cui* est id, quod adoratur; *objectum formale* seu *ratio formalis* est excellentia ejus, cui cultus tribuitur.

III. **Adoratio interna et externa.** Disputant theologi, an executio submissionis perfici possit actu interno spiritus, vel necessario compleri debeat externo corporis gestu.

Gabriel Vazquez [2], putans adorationem esse vel signum internae submissionis vel ipsam submissionem externe manifestatam, contendit necessario ad illam requiri actum externum.

Magis mihi probatur sententia *S. Thomae, S. Bellarmini, Suarez* et *Salmanticensium* [3], qui docent adorationem posse compleri actione mere interna. Ratio est, quia creaturae pure spirituales, ut angeli et animae separatae sanctorum, adorant Deum juxta illud psalmi: *Adorate eum omnes angeli ejus* [4]. Et nos ipsi, cum actum internum nostrae submissionis mentaliter manifestamus Deo, certe Deum adoramus. Unde *S. Thomas* ait: «Adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis» [5]. Imo verius tenendum existimo contra *Lugo* [6] gestum corporis externum non esse vere adorationem, nisi conjungatur actui interno submissionis.

IV. **Adoratio interna non est actus fidei, spei et caritatis.** Meo judicio falluntur *Alensis, Biel* et alii [7], qui existimant adorationem internam esse quodammodo actum fidei, spei et caritatis, quia adoratio interna versatur circa cultum Dei et est manifestatio mentalis nostrae submissionis erga Deum. Fides autem, spes et caritas non versantur circa cultum Dei, sed respiciunt immediate ipsum Deum.

Melius ego dixerim adorationem internam, quando ad Deum refertur, esse actum religionis, et quando refertur ad Beatam Virginem vel sanctos procedere a virtute observantiae religiosae, quae dulia vocatur [8].

V. **Divisio.** Adoratio ob diversitatem actuum et objectorum potest esse

1) *Interna* et *externa*, prout actibus tantum internis animae vel actibus externis corporis submissio erga alterum explicatur.

---

1 *Contra serm. Arian.*, c. 23; ML **42**, 700.
2 *In III p.*, disp. 93, c. 4 sqq.
3 **S. Thomas**, *II-II*, q. 84, a. 2 ad 2; **S. Bellarminus**, *De Ecclesia triumphante*, lib. 1, c. 12; **Suarez**, *De incarnat.*, disp. 51, sect. 2; **Salmanticenses**, *De incarnat.*, disp. 35, n. 7 sqq.
4 *Ps.* 96, 7.
5 *II-II*, q. 84, a. 2 ad 2.
6 *De incarnat.*, disp. 33, n. 14.
7 **Alensis**, *III p.*, q. 30, membro 1, a. 2; **Biel**, *In III Sent.*, dist. 9, q. un., a. 3.
8 Cfr. **S. Thomas**, *II-II*, q. 103, aa. 3-4.

2) *Civilis* seu *politica* et *religiosa*. *Civilis* exhibet submissionem alteri ob excellentiam ejus creatam et naturalem, v. gr., propter auctoritatem, scientiam, etc.; *Religiosa* propter excellentiam increatam Dei vel creatam supernaturalem angelorum et sanctorum. Hic solum agimus de adoratione religiosa.

3) *Latria* et *dulia*. *Latria* (λατρεια famulatus) est adoratio, quae exhibetur Deo propter excellentiam ejus increatam et infinitam. *Dulia* (δουλεια = servitus) est cultus, qui tribuitur angelis et sanctis in caelo exsistentibus propter eorum excellentiam supernaturalem [1]. Inter sanctos eminet Beata Virgo Maria ob praestantissimam, qua pollet, sanctitatem, et cultus, qui ei exhibetur, vocatur *hyperdulia*, quasi excellentissima dulia, quae a simplici dulia nonnisi gradu distinguitur [2].

4) *Absoluta* et *relativa*. *Absoluta* est adoratio alicujus propter excellentiam ipsi propriam et intrinsecam, ut Deus adoratur sub ratione entis a se perfectissimi, et angeli ob sanctitatem et perfectiones supernaturales, quibus fulgent. *Relativa* est adoratio alicujus ob excellentiam, quae in ipso non est, sed est in re, quam repraesentat, ut imago adoratur propter excellentiam Christi vel sanctorum, quam repraesentat. Absoluta debetur dumtaxat Deo et creatutis intellectualibus, relativa tribuitur tum creaturis intellectualibus tum rebus inferioribus, quando repraesentant excellentiam Dei vel sanctorum.

VI. **Signa adorationis.** Actus adorationis internae est manifestatio seu explicatio mentalis submissionis animi erga alterum.

Signa externa adorationis praecipua sunt: sacrificium soli Deo proprium, genuflexio, inclinatio, detectio capitis, elevatio manuum, etc. His quippe actibus externe manifestamus nostram erga superiores submissionem.

VII. **Animadversio.** Adoratio et cultus a pluribus promiscue usurpantur, sed mos in populo christiano obtinuit, ut cultus solius Dei *adoratio* nominetur, et aliae exhibitiones religiosae cultus sanctorum appellentur.

ARTICULUS II

QUO CULTU ADORANDUS SIT CHRISTUS HOMO

817. Status quaestionis. 1) Verbum Dei, prout est secunda persona SS. Trinitatis, adorandum est proculdubio cultu latriae, quia est verus Deus excellentiam habens infinitam. Consequenter *Christus ut Deus* reduplicative, quatenus exprimit rationem formalem, qua praedicatum convenit subjecto, adorandus est cultu latriae, quia est ipsum Verbum Dei habens pariter excellentiam infinitam.

---

1 **Rabanus Maurus**, *In Ex.*, lib. 3, c. 5; ML **108**, 133; et **S. Thomas**, *III p.*, q. 25, a. 2, docent Deo Patri deberi honorem latriae propter deitatem, et honorem duliae propter dominium, quo gubernat creaturas, sed usus jam obtinuit, ut latria soli Deo et dulia solis angelis et sanctis tribuatur.
2 Protestantes nolunt admittere distinctionem inter latriam et duliam, ex eo quod in graeco sermone idem significent. Minime negaverim haec duo vocabula origine et proprietate idem fere, nempe servitutem, non tamen in eodem gradu significare.

http://www.obrascatolicas.com

2) Difficultas est de adoratione, qua colendus est *Christus homo*. Hic potest considerari

a) *Complexive*, quatenus est Christus totus, seu ut est persona composita exsistens in duabus naturis, et designatur particulis *hic homo;* nam expressio *hic homo*, designato Christo, complectitur personam Christi, naturam divinam et naturam humanam.

b) *Specificative*, quatenus particulae *ut homo* significant compositum Christi, et innuunt aliquid Christo homini aut etiam humanitati convenire non quidem ratione humanitatis sed ratione personae divinae; ut cum dicimus: *Christus ut homo est Filius Dei naturalis*.

c) *Reduplicative*, in quantum particulae *ut homo* significant quidem compositum, sed exprimunt rationem formalem, qua praedicatum convenit subjecto et innuunt aliquid convenire Christo ratione humanitatis, ut in hac locutione: *Christus ut homo est passibilis*.

Investigandum est hic, quae adoratio debeatur Christo homini in hac triplici acceptione.

818. Errores. 1) *Nestoriani*, qui duplicem in Christo ponebant personam, duplicem quoque docebant Christo convenire adorationem, latriam nempe Christo Deo, et duliam Christo homini.

2) *Wicleffistae* dicebant humanitati Christi tribuendam esse adorationem relativam, eam scilicet quae ipsi conveniret in hypothesi separationis a Verbo.

3) *Sociniani*, qui negabant Christi divinitatem, adserebant Christum, vel nullatenus esse colendum, vel ad summum, quatenus erat legatus divinus, esse adorandum cultu latriae.

4) *Modernistae*, qui distinguunt inter Christum historicum et Christum conscientiae christianae, volunt Christum historicum, utpote hominem purum, non esse cultu latriae adorandum.

819. THESIS I. **Christus totus complectens personam Verbi, naturam divinam et naturam humanam, una adoratione latriae colendus est.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus ait: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei* [1].— *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium et infernorum* [2].

2) *Ex conciliis.* Concilium Cpolitanum II: «Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt separatim Deo Verbo et separatim homini..., sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat sicut ab initio Dei Ecclesiae traditum est, talis anathema sit» [3].

3) *Ex SS. Patribus. S. Cyrillus alex.:* «Si quis... Domini nostri carnem, veluti nudi hominis, minime adorandam dixerit, hunc anathemate plectit sancta et catholica Ecclesia» [4]. *S. Joannes Damascenus:* «Unus

[1] *Hebr.*, 1, 6.
[2] *Philipp.*, 2, 9-10.
[3] *Can.* 9; **Denz-Bannw.**, 221.
[4] *De recta fide ad Reginas;* MG **76**, 1214.

igitur est Christus Deus perfectus et homo perfectus, cui unam eamdemque adorationem cum Patre et Spiritu, non exclusa immaculata ejus carne adhibemus» [1].

4) *Ex ratione.* Quando totum compositum adoratur, non est necesse, ut ratio adorationis inveniatur in omnibus et singulis ejus partibus, sed sufficit, ut motivum adorationis afficiat aliquam ejus partem, ut sanctus colitur non ob pulchritudinem corporis sed propter excellentiam animae. Sed Christus est compositum quoddam ex humanitate et divinitate, et ratione divinitatis habet motivum adorationis latriae. Ergo totus Christus est adorandus adoratione latriae.

820. THESIS II. **Christus homo specificative, quatenus est subjectum susceptivum alicujus praedicati ratione personae, est colendus adoratione latriae.**

Haec thesis parum differt a praecedenti et continet certissimam et juxta aliquos catholicam doctrinam.

Christus siquidem homo specificative, quatenus significatur ut susceptivus eorum, quae ei conveniunt ratione suppositi, est revera totus Christus compositus ex humanitate et divinitate. Particulae enim *ut homo* specificative sumptae non contrahunt Christum ad significandam rationem unius vel alterius naturae, sed significant Verbum subsistens in natura humana et consequenter totum Christum.

821. THESIS III. **Christus ut homo reduplicative, quatenus significat ea, quae conveniunt ei ratione humanitatis, non est colendus adoratione latriae.**

Sensus hujus theseos est excellentiam et perfectiones, quae Christo conveniunt ratione humanitatis, non esse motivum sufficiens, ut mereatur adorationem latriae.

Arg. Nemo potest adorari cultu supremo latriae, nisi habeat excellentiam et perfectionem increatam. Sed Christus ut homo reduplicative seu ratione humanitatis non habet excellentiam increatam. Ergo.

Unde Christus reduplicative ut homo, etiam si consideretur ut sanctificatus per gratiam unionis; vel auctus gratia sanctificante ac donis supernaturalibus; vel etiam ornatus muneribus prophetae, sacerdotis ac regis, adorari potest et de facto adoratur hyperdulia.

822. Scholion. *Utrum et qua adoratione colenda sit humanitas Christi.*

Praenotamina. 1) Definitiones conciliorum diserte nos docent humanitatem Christi adorandam esse eodem cultu latriae, quo adoratur Verbi divinitas, sed haec doctrina explicatione indiget.

2) Humanitas seu natura humana Christi potest considerari dupliciter: a) *Ut est Verbo Patris hypostatice unita* et cum eo componens Christum hominem. b) *Praecisive a Verbo per abstractionem*, id est, con-

[1] *De fide orth.*, lib. 3, c. 8; MG **94**, 1014.

http://www.obrascatolicas.com

siderando humanitatem, revera quidem unitam Verbo sed intellectu abstractam, quatenus complectitur perfectiones humanae naturae atque gratias et dona, quibus aucta est:

I. *Humanitas Christi, quatenus est Verbo Patris hypostatice unita, adoranda est eodem, quo Verbum adoramus, supremo latriae cultu.*

Arg. 1) *Pius VI* anno 1794 damnavit pistoriensium propositionem quae dicebat: «Adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae» [1].

2) *S. Augustinus*, vel quisquis fuerit auctor sermonum appendicis inter Augustini opera, ajebat: «Ego dominicam carnem imo perfectam in Christo humanitatem, propterea adoro, quod a divinitate suscepta atque deitati unita est; ut non alium atque alium sed unum eumdemque Deum et hominem Dei Filium esse confitear» [2].

3) *S. Thomas* ait: «Adoratio igitur humanitatis Christi dupliciter potest intelligi: uno modo, ut sit ejus sicut rei adoratae; et sic adorare carnem Christi nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem regis nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latriae» [3].

4) Fundamentum hujus adsertionis in promptu est. Unico enim actu, quo adoramus compositum, adoramus partes ejusdem. Christus autem est compositus ex divinitate et humanitate in una Verbi persona. Ergo uno eodemque actu adoramus Verbum Dei ac ejus humanitatem.

Gabriel Biel contradixit huic doctrinae dicens: «Humana natura in Christo ut divinae hypostatice unita non est adoranda latria proprie dicta» [4]. Quod sequenti argumento probare conatur: «Latria proprie dicta solus Deus adoratur. Humana autem natura unita deitati in persona Christi non est Deus, etiam qualitercumque considerata».

Sed immerito hoc esse dictum puto. Nam 1) distinctio inter latriam proprie et improprie dictam caret fundamento; et 2) concilia ac SS. Patres diserte docuerunt Verbum Dei et humanitatem Christi uno supremo latriae cultu adorari. Unde argumentum *Biel* praeoccupatum est ab *Angelico* his verbis: «Sic adorare carnem Christo nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum» [5].

II. *Humanitas Christi praecisive a Verbo, quatenus per intellectum abstrahitur a deitate, et consideratur tam in se quam in ordine gratiarum perfecta, colenda est, non quidem latria, sed hyperdulia, motivo scilicet sapientiae, gratiae unionis, gratiae sanctificantis*, etc.

Nota. Hanc doctrinam acerrime impugnavit *Vazquez* [6], sed *S. Thomas, S. Albertus Magnus, Scotus, Biel* [7], aliique summi theologi defenderunt.

---

1 *Prop.* 61; **Denz-Bannw.**, 1561.
2 *Serm.* 246, n. 5 (append.); ML **39**, 2200.
3 *III p.*, q. 25, a. 2.
4 *In III lib. Sent.*, dist. 9, a. 2, concl. 3.
5 *III p.*, q. 25, a. 2.
6 *In III p.*, disp. 96, c. 4 sqq.
7 **S. Thomas,** *III p.*, q. 25, a. 1; **S. Albertus M.,** *In III Sent.*, dist. 9, a. 9; **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 9, q. un.; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 9, a. 2, concl. 2.

Arg. 1) *S. Thomas* ait: «Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quae fit ratione humanitatis Christi perfectae omni munere gratiarum. Et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriae sed adoratio duliae» [1]. «Et tunc sic intellectae, ut separatae (per intellectum) a Dei Verbo, deberetur ei adoratio duliae, non cujuscumque, puta quae communiter exhibetur aliis creaturis, sed cujusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant» [2].

2) Ratio id facile ostendit. Humanitas Christi secundum se, praecisa per intellectum a Verbo Dei, non solum est perfecta donis naturalibus animae et corporis, sed etiam aucta est gratia sanctificante, virtutibus et donis supernaturalibus excellentissimo gradu, adeo ut constituta fuerit in praestantissima dignitate. Sed humanitas in tali dignitate constituta adoranda est, non quidem latria, quae solis perfectionibus increatis debetur, sed hyperdulia. Ergo.

Dices. Adoratio terminatur ad personam. Sed humanitas Christi praecisive a Verbo non est persona. Ergo.

Resp. Adoratio terminatur quidem ad personam non tamen ita ut non possit ad aliquam ejus partem dirigi ex intentione adorantis, praesertim si illa pars ornata sit propria excellentia, quae constituat motivum adorationis, ut contingit in humanitate Christi.

ARTICULUS III

QUO CULTU ADORANDUS SIT CHRISTUS IN EUCHARISTIA

823. *Calvinus* [3] et plures protestantes, qui renuerunt admittere realem praesentiam corporis et sanguinis Christi in sanctissimo eucharistiae sacramento, negaverunt eucharistiam esse adorandam latria.

Sed Ecclesia catholica contrarium solemniter definivit.

824. THESIS. **Fide tenendum est Christum Dominum in eucharistia adorandum esse latria.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium Tridentinum ait: «Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica Ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant» [4]. Rursum: *Si quis dixerit in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum..., vel non publice, ut adoretur populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, a. s.* [5].

2) *Ex ratione.* Christus Dominus ubicumque inveniatur, cum sit verus Deus et habeat excellentiam increatam, adorandus est cultu perfectissimo latriae. Sed Christus vere et realiter est in eucharistia. Ergo.

---

1 *III p.*, q. 25, a. 2.
2 *III p.*, q. 25, a. 2 ad 1.
3 *Instit.*, lib. 4, c. 17, n. 35.
4 *Sess.* 13, Decr. *De Eucharistia*, c. 5; **Denz-Bannw.**, 788.
5 *Sess.* 13, Decr. *De Eucharistia*, can. 6; **Denz-Bannw.**, 888.

http://www.obrascatolicas.com

Objectum absolutum et terminus hujus adorationis latreuticae sunt conjunctim Jesus Christus et species sacramentales, quatenus Verbum, humanitas et accidentia adorantur per modum unius, eo modo quo diximus humanitatem adorari cum Verbo per modum unius. Ipsae quoque species sacramentales praecisive sumptae, adorantur, non quidem adoratione absoluta, sed relativa. Sicut enim imagines Christi coluntur latria respectiva, imagines B. Mariae Virginis hyperdulia respectiva, et imagines sanctorum dulia respectiva, ut dicemus inferius, ita pariter species sacramentales continentes corpus et sanguinem Domini, cum sint signa Christi et specialem cum eo conjunctionem habeant, adorantur adoratione latriae respectiva.

Dices. Nefas est adorare Christum in eucharistia et species sacramentales continentes Christum, sicut nefas est adorare Deum in creaturis vel colere creaturas continentes Deum. Deus intime praesens adest omnibus creaturis, ut alibi diximus, et nihilominus nemo adorat Deum in asino, nec colit latreutice canem continentem Deum.

Resp. 1.° *Vazquez* respondet: «Quaevis etiam alia res mundi sive inanima et irrationalis, sive rationalis ex natura rei, et secluso periculo (de quo postea dicemus), rite cum Deo, sicut imago ipsius, adorari potest» [1]. Generatim tamen theologi Vazquezium impugnant.

Resp. 2.° Neg. paritatem. Ut res aliqua ratione imaginis Dei, vel Deus in ipsa adoretur, non sufficit quodlibet signum Dei in creatura, nec manifestatio causae primae in effectibus, sed requiritur speciale ac expressum Dei signum. Species autem sacramentales in eucharistiae sacramento specialem conjunctionem habent cum Christo, quem continent, et rationem dicunt sufficientem, ut cum eo adorentur per modum unius; imo, si in se praecisive considerentur, cum specialissime Deo consecratae sint, et jure dicantur signum practicum Christi, quem ex ordinatione divina repraesentant, adorandae sunt latria respectiva.

ARTICULUS IV

IN QUO CONSISTAT CULTUS SACRATISSIMI CORDIS JESU, ET AN LEGITIMUS SIT ET UTILIS IN ECCLESIA

825. I. **Status quaestionis.** Quamvis objectum totale adorationis, quam Christo tribuimus, sit ipse Christus cum omnibus suis partibus per modum unius, nihil tamen fuit antiquius in Ecclesia, quam usus adorandi nunc unam nunc alteram partem sacratissimae humanitatis Jesu. Sic aliqui adorant caput Christi spinis coronatum, alii osculantur pedes ejus clavis confixos, alii latus crudeli lancea perforatum Quandoque veneramur corpus exsangue in cruce pendens, saepe pretiosissimum sanguinem pro nobis fusum.

Inter omnes corporis Christi partes eminet *sacratissimum Cor*, ut objectum adorationis fidelium. Inquirendum hic venit, in quo consistat haec adoratio, et an sit legitima et utilis.

II. **Brevis historia.** Aliqui dixerunt cultum sacratissimi Cordis Jesu initium habuisse saeculo XVII, agente S. Margarita Maria Alacoque, sed nihil puto levius dictum.

[1] *In III p.*, disp. 110, c. 2.

S. Joannes evangelista, qui supra pectus Domini in coena recubuit, primus omnium sacratissimum Cor Jesu publice adoravit. Deinde Sancti Ecclesiae simplici devotione semper illud coluerunt. *S. Augustinus, S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura* [1] et alii expresse de eo locuti sunt, et mansionem in eo facere exoptarunt. Ac tandem Sancta Gertrudis et Sta. Mathildes saeculo XIII secreta Cordis Jesu cognoverunt [2].

Saeculo XVII S. Joannes Eudes miro pietatis affectu motus, et S. Margarita Maria Alacoque († 1690) revelationibus atque apparitionibus Jesu illustrata, magnopere devotionem erga SS. Cor Jesu propagarunt. Exinde cultus ejus publicus et solemnis in Ecclesia incepit. Clemens XIII anno 1765, instantibus episcopis Poloniae, officium et missam in honorem hujus SS. Cordis benigne celebrari concessit, Pius VI illud non parum mutavit, Pius IX anno 1856 reformatum approbavit et ad universam Ecclesiam extendit, ac tandem Pius XI anno 1929 novum officium et missam composuit ac definitive approbavit.

III. **Definitio.** Cultus SS. Cordis Jesu definiri potest: *Adoratio latriae exhibita Christo in ejus Corde sub symbolo amoris theandrici erga hominēs ob excellentiam increatam personae Verbi.*

1) Est *adoratio latriae*, quia tribuitur Christo vero Deo.

2) Dirigitur Cordi, nobilissimae parti humanitatis Christi, hypostatice unitae Verbo Dei.

3) *Sub symbolo amoris theandrici erga homines*, quia in Corde Jesu praecipue manifestatur amor Dei hominis erga nos.

4) Ratio adorationis est excellentia increata personae Christi.

IV. **Objectum.** *Objectum materiale* seu objectum adoratum hujus cultus est Cor physicum Jesu hypostatice Verbo unitum seu Christus consideratus in nobilissima parte Cordis amore flagrantis. Sicut enim «adorare carnem Christi nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum» [3], ita adorare SS. Cor Jesu nihil aliud est quam adorare personam Christi seu ipsum Christum in ejus Corde physico ac vivo, quod est hypostatice unitum Verbo Dei, et pro nobis amore flagrat. Unde Leo XIII in litteris encyclicis *Annum sacrum*, 25 Maji 1899, ait: «Quidquid honoris, obsequii, pietatis divino Cordi tribuitur vere et proprie Christo tribuitur ipsi» [4]. Et Pius VI ad episcopum pistoriensem: «Substantia devotionis SS. Cordis Jesu eo spectat, ut in symbolica Cordis imagine immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur» [5].

Objectum formale seu motivum et ratio hujus adorationis est excellentia increata personae Christi sub respectu amoris theandrici erga homines [6].

[1] **S. Augustinus,** *In Joann.*, tr. 120, n. 2; ML **35,** 1953; **S. Bernardus,** *In Cant. Cant., serm.* 61, n. 3; ML **183,** 1071; **S. Thomas,** *Opusc.* 51, cc. 27-28; (ed. Parmae); **S. Bonaventura,** *De ligno vitae.*

[2] Cfr. *Revel. S. Gertrudis*, praef.

[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 25, a. 2.

[4] *Acta S. Sedis*, vol. 31, p. 649.

[5] Litt. ad Ep. Pistoriensem, 30 Junii 1781.

[6] S. Scriptura, theologi ac philosophi saepe tribuunt cordi actum amoris. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris (Rom.*, 5, 5); *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo (Matth.*, 22, 37). «Amor enim, ait **S. Alphonsus M. de Ligorio,** cordi

http://www.obrascatolicas.com

V. Quaeritur hic, an cultus SS. Cordis Jesu ita expositus sit legitimus ac utilis in Ecclesia.

Ratio dubitandi fundari potest in decreto S. Officii 6 Febr. 1896 «quo prohibentur omnia scripta sive typis edita, sive non, in quibus speciales formulae novae devotionis, etiam sub praetextu quod sint privatae, erga SS. Manus D. N. J. C., quomodolibet proponantur et propagentur»[1]. Nonne cultus specialis SS. Cordis Jesu comprehenditur sub hoc decreto?

826. VI. **Errores.** 1) *Jansenistae* dicebant devotionem SS. Cordis Jesu esse novam, erroneam et periculosam.

2) *Protestantes* adserunt per hanc devotionem dividi Christum contra decreta Concilii Ephesini[2].

3) *Rationalistae*, qui plerumque negant divinitatem Christi, contendunt cultum SS. Cordis Jesu esse superstitiosum.

827. VII. **Doctrina catholica.** Ex quo festum SS. Cordis Jesu solemniter celebratum est, hanc devotionem fideles extulerunt, scriptores acerrime defenderunt, divini verbi praecones dilucide explicuerunt, et episcopi enixe commendaverunt[3]. His ultimis temporibus familiae christianae suas domos, et Principes catholici sua regna SS. Cordi devoverunt[4].

828. THESIS. **Specialis cultus latriae, qui SS. Cordi Jesu in Ecclesia defertur, est legitimus et maxime commendandus.**

Pars 1.ª Cultus latriae defertur SS. Cordi Jesu.

Arg. 1) Pius VI expresse contra pistorienses docet, quod fideles «illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro»[1].

2) Cum SS. Cor Jesu veneramur, ipsum Jesum Christum personam divinam adoramus. Sed Jesu Christo, personae divinae, deferimus adorationem et cultum latriae. Ergo.

Pars 2.ª Cultus SS. Cordis Jesu est legitimus.

Arg. 1) Propositio 62 pistoriensium, quae hanc devotionem inter novas, erroneas et periculosas referebat, damnata est a Pio VI[2].

2) Valde legitimum ac pium est adorare Christum. Qui autem colit Cor Jesu, adorat Jesum Christum, sicut qui osculatur pedem Pontificis, adorat Pontificem. Ergo. Omnes et singulae partes humanitatis Christi adorantur per modum totius, adeo ut motus specialis cultus, qui ordinatur in unam partem, terminetur ad totum Christum. Et quamvis non singulae humanitatis Christi partes speciali cultu adorentur, potest tamen Ecclesia commendare, ut uni vel alteri membro ob peculiares circumstantias, specialis cultus deferatur.

3) Ratio, quae impulit Ecclesiam ad hanc partem prae ceteris colendam, fuit certe, quia Cor Jesu, utpote pars nobilissima humanitatis et symbolum amoris theandrici erga nos, exhibet peculiares perfectiones Hominis Dei, et dignum est, ut speciali cultu adoretur in Ecclesia.

Pars 3.ª Cultus SS. Cordis Jesu est maxime commendandus in Ecclesia.

Arg. 1) Rationes fere omnes, quibus commendatur cultus SS. Cordis Jesu, adlegarunt Episcopi Poloni in Memoriali oblato S. Rituum Congregationi his verbis: «Jure coli patet ex eo, quod Cordi Jesu eae sunt proprietates, quae illud speciali cultu dignissimum reddunt, imo, si attente res perpendatur, constabit nullam rem corpoream et sensibilem exsistere, quae cultui fidelium decentius, justius, fructuosius proponi possit, quam hoc amantissimum aeque ac aflictissimum Cor; nulla quippe res est, quae mysteria sublimiora contineat ac repraesentet; nulla, cujus adspectus et consideratio affectiones sanctiores in cordibus fidelium parere queat; nulla, quae amorem immensum Jesu Christi Domini nostri oculis corporeis simul ac mentis melius exprimat; nulla, quae aptior sit ad beneficiorum omnium amantissimi Redemptoris nostri memoriam in mentem hominum revocandam; nulla, quae acerbissimos Christi dolores interiores nostra causa toleratos sensibilius exhibeat. Haec enim et plura alia in eo Sacratissimo Corde, prout pingi solet et ad adorandum exhiberi, non contenta modo et repraesentata, sed inscripta quodammodo et quasi insculpta et oculis subjecta cernuntur. Quae omnia efficiunt objectum nullum fidelibus proponi potuisse

communiter tribuitur». (Nov. SS. Cordis Jesu, Introd.). Et vulgo dici solet cor esse organum et sedem amoris. Sed alii hoc plene negant. Quare, cum *J. de Gallifet*, primus postulator institutionis festi SS. Cordis porrigeret preces fundatas in hoc principio dubio, promotor fidei, qui postea fuit Benedictus XIV respondit: id quaestionem philosophicam involvere, cum recentiores philosophi amorem, odium et reliquas animi affectiones non in corde tanquam sede sua sed in cerebro collocent... Quamobrem... reverenter insinuavi non esse petitioni annuendum, innixae potissimum antiquorum philosophorum sententiae, cui recentiores adversantur». *De servorum Dei beatif.*, lib. 4, p. 2, c. 31. Precibus deinde aliter redactis annuit Clemens XIII, anno 1765. Ego crediderim amorem spiritualem elici a voluntate et amorem sensibilem probabilius operari in cerebro, sed utrumque manifestari in corde, sicut cognitio elicita ab intellectu exprimitur in cerebro.

[1] *Acta S. Sedis*, vol. 28, p. 640.

[2] *Concil. ephes.*, can. 8; **Denz-Bannw.**, 120.

[3] Ex scriptoribus consulendi sunt **Gallifet**, *De cultu SS. Cordis Dei ac D. N. J. C.*, Romae, 1726; **L. Lerroy**, *De S. Corde Jesu*, Leodii, 1882; **N. Nilles**, *De rationibus festorum SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae*, Oeniponte, 1885; **Manning**, *Glories of the Sacred Heart*; **Sauvé**, *Le Culte du S. Cœur*, Paris, 1905; **Terrien**, *La dévotion au S. Cœur*, Paris, 1893; **J. Bucceroni**, *Comment. de S. Corde Jesu*, Romae, 1896; et alii bene multi.

[4] Gratulationes meretur Alphonsus XIII, Rex Hispaniae, qui anno 1919 occasione inaugurationis monumenti SS. Cordis Jesu in «Cerro de los Angeles» prope Matritum, plaudentibus catholicis, egregiam formulam consecrationis recitavit.

[1] Const. *Auctorem fidei*, 28 Aug. 1794, prop. 63; **Denz-Bannw.**, 1563.

[2] *Prop.* 62; **Denz-Bannw.**, 1562.

http://www.obrascatolicas.com

aut sanctius aut aptius ad gratum animum erga amantissimum Redemptorem potentius excitandum, amorem inflamandum, pia desideria accendenda, ad omnes denique sanctas affectiones corda nostra efficacius stimulanda» [1].

2) S. Rituum Congregatio sub die 28 Junii 1889 evexit festum SS. Cordis Jesu in ritum primae classis, «ut fideles in hac saluberrima devotione perfugium et munimen» invenirent [2].

3) Leo XIII in litteris encyclicis *Annum sacrum* 25 Maji 1899 ait: «Quoniamque inest in sacro Corde symbolum atque expressa imago infinitae Jesu Christi caritatis, quae movet ipsa nos ad amandum mutuo, ideo consentaneum est dicare se Cordi ejus augustissimo... Haec, quam cunctis suademus, cunctis est profutura devotio» [3].

4) In SS. Corde Jesu facile discunt fideles atque directores animarum triplicem viam sanctitatis, purgativam nempe, illuminativam et unitivam: a) *Viam purgativam* percurrunt, quando, Cor Jesu vulneratum et pro peccatis nostris sauciatum adspicientes, peccatorum dolorem concipiunt et conscientiam purgant. b) *Viam illuminativam* prosequuntur, cum in SS. Corde flammis coruscante omnes virtutes praesertim obedientiam, caritatem, humilitatemque discunt. c) *Viam unitivam* ingrediuntur, cum in vulnere Cordis Jesu admissi, habitationem sanctam in illo foramine constituunt, et dulcissimis amplexibus cum sponso recreantur.

Dignetur Dominus Jesus nos imprimis ab omni peccati labe purgare, virtutibus dein christianis ornare ac confortare, et in Corde suo denique velut in refugio et asylo recipere, atque recondere, ut in illo, ab exterioribus perturbationibus omnino liberi, securius habitare possimus.

829. Scholion. *Emblemata SS. Cordis Jesu.* S. Congregatio S. R. U. Inquisitionis die 3 Junii 1891 edidit decretum, quo praecepit «nova emblemata sacratissimi Cordis Jesu in eucharistia non esse ab Apostolica Sede approbanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse imagines sanctissimi Cordis in Ecclesia jam usitatas et approbatas; quia cultus erga sanctissimum Cor Jesu in eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam eucharistiam, neque alius a cultu erga sanctissimum Cor Jesu» [4].

Cum in cultu SS. Cordis Jesu totus Christus adoretur, vitandae sunt omnino repraesentationes, in quibus Cor Jesu separatim depingitur vel a corpore Christi quomodocumque avulsum apparet, vel ab ipso Christo manu gestatum offertur fidelibus. Melius depingeretur Christus sinistra manu indigitans in medio pectore Cor suum «sacratissimum, super imposita cruce, splendidissimo candore inter flammas ducens» [5], et dextera fideles benedicens.

---

1 Apud **Nilles,** *De rationibus fest. SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae,* lib. 1, p. 1, c. 3, § 3.
2 *Acta S. Sedis,* vol. 21, p. 694.
3 *Acta S. Sedis,* vol. 31, p. 649.
4 *Acta S. Sedis,* vol. 24, p. 573.
5 **Leo XIII,** *Annum sacrum,* 25 Maji, 1899; *Acta S. Sedis,* vol. 31, p. 651.

ARTICULUS V

UTRUM ET QUO CULTU COLENDI SINT SANCTI

830. Status quaestionis. *Sancti* proprie dicuntur illi homines, qui post adeptam in terris sanctitatem, vitam in amicitia Dei clauserunt, et cum Christo regnant in caelis. His admunerandi sunt angeli boni, qui praesentia Dei fruuntur. Omnes habent gratiam consummatam per visionem Dei, ac ideo excellentia creata supernaturali pollent.

Quaeritur hic, an homines et angeli sancti propter excellentiam supernaturalem, qua eminent, colendi sint a fidelibus.

831. Errores. 1) *Vigilantius* [1], *Faustus* manichaeus [2] et alii improbarunt cultum sanctorum martyrum.

2) *Wicleffistae* dicebant christianos paganizare Deumque relinquere ex quo inceperunt sanctos colere vel angelos venerari [3].

3) *Lutherus, Calvinus, Melanchthon* [4] et generatim *protestantes,* etsi doceant sanctorum memoriam esse propagandam, ut eorum exempla imitemur, negant sanctos esse invocandos. Sanctorum exempla laudant, sed eorum efficaciam in caelo inficiantur [5].

832. THESIS I. **Omnes caelites, sive angeli sint sive homines, merito coluntur ab Ecclesia.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Cultus Angelis et sanctis hominibus delatus laudatur saepe in sacris litteris: a) Cum vidisset Lot duos angelos venientes Sodomam, *surrexit et ivit obviam eis; adoravitque pronus in terram* [6]. Josue pariter, cum conspexisset principem exercitus Domini, *cecidit... pronus in terram et adorans ait: Quid Dominus,* etc. [7]. b) *Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Jericho e contra dixerunt: Requievit spiritus Eliae super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram* [8]. *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua* [9]. *Beatam me dicent omnes generationes* [10].

2) *Ex conciliis.* In Concilio Nicaeno II (VII generali) dixerunt Patres: «Apostolicas autem Ecclesiae traditiones, quibus veneratio culturaque sanctorum docetur, recipimus et veneramur» [11].

---

1 Cfr. **S. Hieronymus,** ep. 109, n. 1; ML **22,** 907.
2 Cfr. **S. Augustinus,** *Contra Faustum manichaeum,* lib. 20, c. 21; ML **42,** 384.
3 Cfr. **Thomas Waldensis,** *Doctrinale fidei,* t. 3, cc. 118 et 130.
4 **Lutherus,** in Evangelium dominicae 23 post Trinitatem; **Calvinus,** *Inst.,* lib. 3, c. 20, n. 20 sqq.; **Melanchthon,** Apologia confessionis, art. 21, De invocatione sanctorum; et *Breves commentarii in Matthaeum,* c. 6. De praedicatione.
5 Cfr. *Confessio augustana,* anni 1530, art. 21; et anno 1540 Wormartiae copiosius declarata. Apud **Melanchthon,** *Opera,* t. 1, fol. 31 et 45 (ed. Witebergae, 1601).
6 *Gen.,* 19, 1.
7 *Josue,* 5, 13 sqq.
8 *IV Reg.,* 2, 15.
9 *Eccli.,* 44, 1.
10 *Luc.,* 1, 48.
11 *Act.* 2 et 3.

http://www.obrascatolicas.com

3) *Ex SS. Patribus. S. Ambrosius:* «Obsecrandi sunt angeli pro nobis, qui nobis ad praesidium dati sunt» [1].

Smirnensis ecclesia in martyrio S. Polycarpi (c. annum 156) scribebat: «Illum enim (Christum), utpote Filium Dei adoramus; martyres vero tanquam Domini discipulos et imitatores diligimus propter ipsorum eximiam erga regem ac magistrum suum benevolentiam» [2]. «Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, in exsultatione et gaudio congregatis Dominus praebebit natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum qui certamina jam pertulerunt, tum ut posteri exercitati sint et parati ad eadem sustinenda» [3].

S. Augustinus: «Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti Dei homines, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus» [4].

4) *Ex praxi Ecclesiae.* Ecclesia catholica ab antiquis temporibus a) festa in honorem sanctorum instituit; b) solemniter quosdam canonizavit et cultus publici dignos declaravit; c) templa in honorem sanctorum exstruxit, et d) peregrinationes saepe ad visitanda corpora et sepulcra sanctorum instituit.

5) *Ex ratione.* Quibusdam personis passim defertur honor juxta dignitatem et excellentiam, quibus eminent. Sic colimus Deum ob perfectionem increatam, regem ob dignitatem civilem, patrem ob auctoritatem paternam. Angeli autem et sancti caelites ratione gratiae et gloriae habent excellentiam specialem, inferiorem quidem perfectioni divinae, sed superiorem dignitati mere civili. Ergo angelis et sanctis caelitibus deferendus est cultus sacer.

Objicies. Christus Dominus damnasse videtur cultum sanctorum, cum respondit diabolo: *Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* [5]. Item Apostolus, cum ait: *Soli Deo honor et gloria* [6].

Resp. Christus Dominus et Apostolus docuerunt in praefatis locis cultum latriae, qui est adoratio suprema, soli Deo esse deferendum, sed non reprobaverunt cultum duliae deferre sanctis.

833. THESIS II. **Angeli boni et sancti homines colendi sunt dulia.**

Cultus religiosus, ut diximus superius, est latria vel dulia, prout dignitas increata vel creata fuerit ratio adorandi vel colendi objectum.

Urbanitas seu *observantia naturalis*, qua colimus homines naturali perfectione excellentes, non facit ad rem.

Latria est ipsa virtus religionis, ut expresse docet *Angelicus* [7], et defert Deo cultum ex motivo excellentiae et dignitatis increatae. *Dulia* vero est observantia quaedam supernaturalis, virtus distincta a religione, ut ratio facile ostendit, et defert cultum personae ob excellentiam creatam supernaturalem. Sed angeli boni et sancti homines in caelo habent

[1] *De viduis*, c. 9, n. 55; ML **16**, 264.
[2] *Ep. Eccl. smirnensis de martyrio S. Policarpi*, § 17; MG **5**, 1041.
[3] *Ibid.*, § 18; MG **5**, 1044.
[4] *Contra Faustum*, lib. 20, c. 21; ML **42**, 384.
[5] *Matth.*, 4, 10.
[6] *I Tim.*, 1, 17.
[7] *II-II*, q. 84, a. 1.

excellentiam creatam supernaturalem, sanctitatem scilicet consummatam per visionem Dei. Ergo angeli boni et sancti homines colendi sunt dulia.

Hanc doctrinam dilucide exponit *S. Thomas* dicens: «Ubi est alia ratio debiti, ibi necesse est, quod sit alia virtus, quae debitum reddat. Alia autem ratione debetur servitus Deo et homini, sicut et alia ratione dominium competit Deo et homini. Nam Deus plenarium et principale dominium habet respectu totius et cujuslibet creaturae, quae totaliter ejus subjicitur potestati. Homo autem participat quamdam similitudinem divini dominii, secundum quod habet particularem potestatem super aliquem hominem vel super aliquam creaturam. Et ideo dulia, quae debitam servitutem exhibet homini dominanti, alia virtus est a latria, quae exhibet debitam servitutem divino dominio. Et est quaedam observantiae species, quia per observantiam honoramus quascumque personas dignitate praecellentes» [1].

834. Corollarium. Hinc, virtus, qua adoramus Deum ob eminentiam increatam, vocatur *latria;* virtus, qua colimus angelos et sanctos dicitur *dulia* seu *observantia religiosa;* virtus denique, qua colimus homines aliqua dignitate praecellentes, est *urbanitas* seu *observantia naturalis*.

ARTICULUS VI

QUO CULTU COLENDA SIT BEATA VIRGO MARIA

835. Errores. 1) *Iconoclastae*, ut fertur, dicebant Beatam Virginem Mariam eo tantum tempore fuisse colendam, quo Christum in utero gestabat, quasi solum esset venerationis digna ratione depositi, quod gerebat.

2) *Lutherus, Calvinus, Melanchthon* et alii irridebant catholicos, quod Beatissimam Virginem Mariam religiose colerent, et «Christi propemodum nudati spoliis eam ornarent» [2].

836. Doctrina catholica. Sed Sancti Patres eam saepe *regeneratricem, spem nostram, advocatam, dominam angelorum*, et *matrem omnium hominum* vocaverunt [3]. Exinde omnes fideles summis laudibus matrem Christi semper extulerunt.

Supponimus ergo Beatissimae Virgini Mariae sicut aliis sanctis cultum religiosum ex motivo dignitatis supernaturalis esse deferendum, ut fides nos docet. «Dignum est certe, ait *S. Joannes Chrysostomus*, vel quisquis fuerit auctor Liturgiae, quae ejus nomine circumfertur, beatam praedicare deiparam» [4].

837. Quaestio. Cum Beata Virgo Maria, Mater Dei, prae omnibus creaturis sanctitate praecellat, dubium adhuc pulsat animum, an spe-

[1] *II-II*, q. 103, a. 3.
[2] **Lutherus,** in postillis Nativitatis et Annuntiationis; **Calvinus,** *Harmonia*, c. 2 Joann., n. 4; **Melanchthon,** *Responsiones ad articulos babaricos*, a. 25 (t. 1, p. 376), et *Responsiones ad clerum secundarium coloniensem*, prop. med. (t. 2, p. 101).
[3] Cfr. **S. Irenaeus,** *Adv. haer.*, lib. 3, c. 22, n. 4; MG **7**, 958; et lib. 5, c. 19, n. 1; MG **7**, 1175; **S. Epiphanius,** *Adv. haer.*, haer. 78, n. 18; MG **42**, 728; **S. Augustinus,** *De virginitate*, c. 6; ML **40**, 399. **Eadmerus,** *De excellentia B. Mariae*, c. 6; ML **159**, 570; et **Adamus Perseniae,** *Sermo de Assumptione B. M. V.*, in fine; ML **211**, 743.
[4] *Liturgia*, MG **63**, 917.

http://www.obrascatolicas.com

ciali etiam cultu digna sit. Discutiendum ergo venit, quo genere cultus colenda sit Virgo Maria, an scilicet latria vel dulia.

838. Placita theologorum. 1) Aliqui doctores dixerunt Beatissimam Virginem Mariam adorandam esse adoratione latriae ex motivo maternitatis divinae, cujus dignitas sit suo genere infinita. Ita nonnulli apud *Vazquez* [1].

2) Alii communius defendunt Beatam Virginem Mariam colendam esse ex solo motivo sanctitatis, et idcirco ipsi deferendam esse duliam, quae ob singularem excellentiam ejus sanctitatis *hyperdulia* seu insignis dulia vocatur [2].

839. THESIS. **Beatissima Virgo Maria colenda est, non quidem latria, quae soli Deo debetur, sed hyperdulia seu insigni dulia.**

Arg. Beatissima Virgo Maria est excellentissima creatura, insigni sanctitate et virtutibus heroicis ornata, donis caelestibus ditata, dignitate matris Dei aucta, atque visione beatifica in caelis recreata. Quatenus est creatura non meretur cultum latriae, excellentiae increatae solummodo debitum; quatenus miris perfectionibus, quae excellentissimam dignitatem constituunt, est ornata, colenda est dulia. Ergo Beatissima Virgo Maria colenda est dulia. «Non debetur ei, ait *S. Thomas*, adoratio latriae, sed solum veneratio duliae» [3].

Excellentia tamen seu dignitas supernaturalis Beatissimae Virginis Mariae excedit plurimum excellentiam aliorum sanctorum, et idcirco decet SS. Virginem coli insigni quodam cultu, qui vocatur hyperdulia, dulia scilicet in summo gradu [4].

Dices. *S. Epiphanius* reprehendit quasdam mulieres, quod Beatissimam Virginem Mariam colerent, et addidit: «Sanctum erat Mariae corpus, fateor: non tamen Deus illa fuit; eadem et Virgo exstitit, minime tamen nobis ad adorandum proposita, sed eum adorans, qui sua carne genitus, e caelo ac paterno sinu descenderat» [5].

Resp. 1) *S. Epiphanius* reprehendit mulieres, non quod Beatam Virginem Mariam colerent, sed quod, cum feminae essent, auderent modo superstitioso sacrificium et tortam panis offerre.

2) Quando adserit Mariam non fuisse ad adorationem nobis datam, loquitur de adoratione latriae, ut liquet ex contextu.

840. Scholion. Quaerunt hic aliqui, quae sit praecipua dignitas, ob quam Beata Virgo Maria mereatur cultum absolutum hyperduliae, an scilicet maternitas vel sanctitas.

Nonnulli voluerunt maternitatem Dei non autem sanctitatem esse titulum digniorem seu excellentiorem colendae Beatae Mariae Virginis, quia putarunt majorem dignitatem afferri Beatae Mariae Virgini per maternitatem Dei quam per sanctitatem. Ita *Campano* [6].

Sub distinctione crediderim hic loqui oportere.

---

1 *In III part.*, disp. 100, c. 1.
2 Cfr. **Salmanticenses**, *De incarnat.*, disp. 36, n. 27.
3 **S. Thomas**, *III p.*, q. 25, a. 5.
4 Cfr. **Medina**, *In III p.*, q. 25, a. 5.
5 *Haeres.* 79, n. 4; MG **42**, 745.
6 *Maria nel dogma cattolico*, lib. 1, p. 1, q. 1, c. 1, a. 3, n. 9.

1) Si accipiatur maternitas Dei complexive cum omnibus gratiis et dispositionibus, quae eam praevenerunt ac comitatae sunt, proculdubio est major dignitas quam sanctitas, quia complectitur ipsam sanctitatem aliaque dona.

2) Si maternitas Dei sumatur praecisive pro sola dignitate proveniente ex generatione Christi in ventre Virginis, sanctitas videtur esse major dignitas quam maternitas, et consequitur excellentia praecipua, ut cultus deferatur Virgini.

Hoc saepe innuerunt SS. Patres.—*Pseudo-Justinus* expresse adserit Virginem Mariam magis esse praedicandam beatam ob virtutem, propter quam meruit esse mater Dei, quam ob ipsam matris dignitatem [1]. *S. Augustinus:* «Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi..., Materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset» [2].

Ratio idem probat, quia sanctitas, quae habetur per gratiam habitualem, est participatio et imitatio naturae divinae in anima sub conceptu naturae, ut patet ex dictis in tractatu de gratia. Maternitas vero non est participatio nec imitatio naturae divinae sub conceptu naturae, sed relatio quaedam ad Christum genitum secundum naturam humanam, recepta in persona Beatae Mariae Virginis. Participatio autem et imitatio naturae divinae in anima est major perfectio, quam relatio ad Christum genitum secundum naturam humanam, ut nemo non videt. E go.

Effata ergo SS. Patrum, si quae sunt, quae contrarium innuere videantur, explicanda sunt ad normam hujus distinctionis.

ARTICULUS VII

DE CULTU SACRARUM IMAGINUM

841. Circa cultum sacrarum imaginum moventur quaestiones, quas hic singillatim proponere ac dilucidare curabo.

§ 1

An usus sacrarum imaginum sit licitus in Ecclesia.

842. Status quaestionis. 1) *Imago*, si etymon spectes, venit ab *imitando*, quia rem aliquam veram imitatur ac repraesentat. Unde quaelibet statua vel pictura aut delineatio, quae rei alicujus verae similitudinem gerit, dicitur imago.

2) In hoc praesertim distinguitur ab idolo, quod imago est similitudo rei verae, ut pictura Petri, Caesaris, leonis, etc., dum idolum est similitudo rei fictae, ut statua Minervae. Unde non immerito dixit ad

---

1 *Ad orthod.*, q. 136; MG **6**, 1389.
2 *De sancta Virginitate*, c. 3; ML **40**, 398.

http://www.obrascatolicas.com

rem Apostolus: *Nihil est idolum in mundo* [1]. Et usus fert apud Patres et fideles Ecclesiae, ut imagines vocentur repraesentationes rerum subsistentium, et idola nuncupentur fictiones rerum praesertim deorum non subsistentium. Hanc distinctionem certe admisit Concilium generale VII his verbis: «Qui venerandas imagines idola appellant, anathema» [2].

3) Imagines possunt esse prophanae vel sacrae, prout objectum prophanum vel sacrum repraesentant. Sic imago Caesaris prophana, imago Beatae Mariae Virginis sacra est.

Hic quaerimus, an liceat sacris imaginibus uti.

843. Errores. 1) *Judaei, mohammedani, manichaei* et plures antiqui haeretici docuerunt sacras imagines rejiciendas, destruendasque esse [3].

2) Imperatores graeci Leo Isauricus (Iconomachus), Constantinus Copronymus, Leo Armenus, Michael Balbo, Theophilus, aliique saeculis VIII et IX, adsumpto *iconoclastarum* nomine, implacabile bellum sacris imaginibus indixerunt [4].

3) *Albigenses* saeculo XII, *wicleffistae* saeculo XIV, et *calvinistae* saeculo XVI in imagines sacras crudeliter invecti sunt [5].

844. THESIS. **Pius et utilis est usus sacrarum imaginum in Ecclesia.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In Veteri Testamento hoc praeceptum dedit Dominus Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos et productibles facies ex utraque parte oraculi* [6]. Et in tabernaculo ac templo Jerusalem factae sunt jussu Domini innumerae statuae ac picturae, quae res sacras imitabantur.

2) *Ex traditione.* SS. Patres laudant saepissime devotionem fidelium, qui imagines Christi, Beatissimae Mariae Virginis et sanctorum venerati sunt. *Tertullianus* meminit cum laude imaginis Christi sub specie Pastoris [7]. *S. Gregorius M.* misit Secundino imagines Salvatoris, S. Mariae et SS. Apostolorum Petri et Pauli [8].

3) *Ex definitionibus Ecclesiae.* Concilia tum particularia, tum oecumenica saepe definivere utilitatem sacrarum imaginum, ut constabit ex paragrapho sequenti.

4) *Ex ratione.* Sacrae imagines erudiunt nos circa mysteria fidei et documenta morum; excitant animam ad recolenda beneficia accepta; movent intellectum ad meditanda praeclara Domini et Sanctorum gesta;

---

[1] *I Cor.*, 8, 4.
[2] *Actione* 7.
[3] Cfr. de judaeis, **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, t. 3, p. 32; de mohammedanis, **Ludovicus Marraccio,** *Prodromus ad ref. Alcorani*, p. 3, c. 22; de manichaeis, **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, t. 3, p. 406.
[4] Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, t. 3, p. 33 sqq.; et **Wouters,** *Historiae eccl. compendium*, epocha 5, n. 53 sqq.
[5] Cfr. de albigensibus, **Espasa,** Diccionario, v. «Albigenses»; de wicleffistis, **Thomas Waldensis,** *Doctrinale fidei*, t. 3, c. 150; de calvinistis, **Calvinus,** *Inst.*, lib. 1, c. 11, n. 7.
[6] *Ex.*, 25, 18.
[7] *De Pudicitia*, cc. 7 et 10; ML **2**, 1044 et 1052.
[8] *Ep. 52 ad Secundinum;* ML **77**, 991. Plures volunt hanc epistolam fuisse aliena manu depravatam.

ac demum devotionem excitant moventque fideles ad prosequenda vestigia eorum, qui nobis in exemplum dati sint [1].

Dices 1.° Dominus ait Moysi: *Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra* [2]. Ergo usus sacrarum imaginum non est utilis in Ecclesia.

Resp.—Neg. conseq. In praefato loco prohibuit Dominus Moisy, ne faceret idola et simulacra, quae deos fictitios repraesentarent, ut patet ex contextu. Ait enim: *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile*, etc., ubi certe vetantur idola deorum alienorum. Sic interpretatus est *S. Thomas* hunc locum dicens: «Ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas gentiles faciebant in venerationem deorum suorum, id est, daemonum» [3].

Dices 2.° Concilium illiberitanum (a. 306?) haec statuit: *Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne, quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur* [4]. Ergo.

Resp.—Neg. conseq. Concilium illiberitanum jure prohibuit, ne imagines pingerentur in parietibus templi, quia, cum tempore persecutionis deferri non possent a fidelibus, ludibrio facile exponebantur.

§ 2

Utrum deceat imagines Christi et sanctorum colere.

845. Status quaestionis. *Lutherani* plerumque docuerunt sacras imagines privatim quidem retineri, vel etiam in templis ad ornatum et instructionem exhiberi posse, nefas vero esse cultum eis tribuere.

Contra eos demonstrari oportet imagines sacras tum privatim tum publice colendas esse.

846. THESIS. **Decet maxime imagines Christi et sanctorum devote colere.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium generale VII expresse definivit sanctas imagines cum omni diligentia et cura venerandas esse [5]. Concilium Florentinum eamdem definitionem renovavit [6]. Ac tandem Concilium Tridentinum haec statuit: *Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam* [7]. Id ipsum profitemur in professione catholica fidei [8].

---

[1] Hanc doctrinam egregie tradit **S. Theresia** dicens: «Cuando está ausente la misma persona, o quiere darnos a entender lo está con grandes sequedades, es gran regalo ver una imagen de quien con tanta razón amamos». *Camino de perfección*, c. 34, n. 11. **S. Joannes a Cruce** eam confirmat his verbis: «El uso de las imágenes para dos principales fines le ordenó la Iglesia, es a saber: para reverenciar a los Santos en ellas, y para mover la voluntad y despertar la devoción por ellas a ellos». *Subida del Monte Carmelo*, lib. 3, c. 35, n. 3 (ed. 1929, Burgos).
[2] *Ex.*, 20, 4.
[3] *III p.*, q. 25, a. 3 ad 1.
[4] *Can.* 36; **Labbé,** t. 1, p. 974; **Kirch,** *Enchiridion font. hist.*, n. 340.
[5] *Act.* 7; **Denz-Bannw.,** 302.
[6] *Act.* 2; **Labbé,** t. 7, p. 114.
[7] *Sess.* 25, decr. 2; **Denz-Bannw.,** 986.
[8] In principio *Codicis Juris Canonici.*

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex auctoritate S. Thomae.* «Apostoli, inquit *Angelicus*, familiari instinctu Spiritus Sancti quaedam Ecclesiis tradiderunt servanda, quae non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiae per successionem fidelium... Et inter hujusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio» [1].

3) Innumera miracula patravit Deus ad praesentiam et cultum imaginum B. Mariae Virginis de Columna, Lourdes, etc., quae in vera critica negari non possunt. Deus autem nunquam operatur miracula in confirmationem operis superstitiosi. Ergo.

847. Scholion. Haec insinuare videntur cultum sacrarum imaginum non solum honestum atque utilem sed etiam obligatorium esse. Concilia namque diserte adserunt eas «habendas, retinendas atque venerandas esse».

Verum reor haec verba esse benigne interpretanda. Lex naturalis vetat quidem sacras imagines irreverenter tractare, et consequenter praecipit eas data occasione religiose tractare, quod certe est quidam cultus. Non tamen videtur dari aliud praeceptum colendi sacras imagines actibus positivis, quia absolute loquendo, obligationes christianae adimpleri possunt sine cultu positivo imaginum, dummodo prototypi religiose venerentur.

§ 3

Utrum imagines Dei et angelorum depingi et coli possint.

848. Cum Deus et angeli sint puri spiritus, dubium oritur, an lineamentis corporis repraesentari queant.

849. Placita theologorum. 1) Pingere SS. Trinitatem abominabile est juxta *Wicleffum* [2], et «Deum effingi visibili specie nefas» juxta *Calvinum* [3].

2) Plures theologi catholici censuerunt Deum et angelos nullatenus pingi posse eo, quod sint spiritus puri ac invisibiles. Ita *Durandus, Gandavensis* et alii [4].

3) Multo tamen communius affirmant theologi.

850. THESIS. **Imagines Dei et angelorum pingi et coli possunt.**

Nota. Ex sacris imaginibus, quas pingunt artistae, aliae sunt *naturales* seu propriae, aliae *symbolicae* seu metaphoricae. *Naturales* seu propriae repraesentant prototypum in propria figura, ut imago hominis certis delineamentis repraesentat Petrum; et sic nullatenus possunt imagines Dei et angelorum delineari, quia Deus et angeli figura carent. *Symbolicae* seu metaphoricae repraesentant prototypum, non in figura et accidentibus externis, sed in quibusdam analogiis et proprietatibus, ut agnus ob mansuetudinem repraesentat Christum, et serpens ob astutiam diabolum.

---

[1] *III p.*, q. 25, a. 3 ad 4.
[2] Apud **Waldensem,** *Rationale fidei*, t. 3, c. 155.
[3] *Inst.*, lib. 1, c. 11, n. 12.
[4] **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 9, q. 2 ad 4; **Gandavensis,** *Quodlib.* 10, q. 6.

Fieri autem possunt imagines symbolicae seu metaphoricae, 1) quae repraesentent vel exhibeant analogiam aequivocam seu proportionalem proprietatum Dei et angelorum, ut si Deum exhibeamus in forma purissimae lucis; et 2) quae repraesentent figuras, sub quibus Deus et angeli aliquando hominibus apparuerunt.

Ex primo capite in imagine SS. Trinitatis Patrem depingimus in forma venerabilis senis, quasi esset antiquus dierum et auctoritatem habens, quia aeternus est et principium sine principio; Filium in forma hominis, quia naturam humanam adsumpsit; et Spiritum Sanctum in columbae specie, quia inspirationem rerum caelestium ipsi tribuimus. Angelos quoque depingimus juvenes alatos, ut denotemus eos nunquam senescere et celerrimos esse in suis operationibus.

Ex secundo capite Deum exhibemus in figura hominis, ut apparuisse videtur Adamo in paradiso; Filium pariter in forma hominis, quia apparuit in mundo homo factus; Spiritum Sanctum in specie columbae et dispertitarum linguarum, ut apparuit Christo in Jordane et apostolis in coenaculo die Pentecostes.

Patres Ecclesiae si quando reprobarunt imagines SS. Trinitatis, Dei et angelorum, certe locuti sunt de imaginibus naturalibus et propriis.

§ 4

Quo cultu venerandae sint sacrae imagines.

851. Status quaestionis. Recole, quae superius diximus de adoratione seu cultu latriae, hyperduliae et duliae, necnon de adoratione absoluta et relativa.

Dilucidandum est, quinam ex praefatis cultibus tribui possit sacris imaginibus.

Placita theologorum. 1) *Aliqui theologi* docuerunt sacras imagines non esse vere colendas in se ut objectum *quod*, sed improprie tantum et ut *quo*, quatenus ad praesentiam earum excitamur ad colendum prototypum, adeo ut coram imagine veneremur solummodo prototypum. Ita *Durandus, Alphonsus de Castro* et alii [1]. Hanc sententiam *Medina* vocat «periculosam, temerariam et sapientem haeresim» [2], et *Salmanticenses* «omnino falsam» [3].

2) *Alii* volunt sacras imagines nonnisi cum exemplari interna cognitione eminentiae et interno affectu submissionis coli, vel eas externa tantum submissionis manifestatione, ut eas osculando, etc., honorari. Ita *Vazquez* [4].

3) *Nonnulli*, considerantes imagines ut res sacras, cultui divino destinatas, dicunt eas, non eodem cultu quo prototypos, sed inferiori quodam cultu absoluto ut objectum *quod* honorari. Ita *Martinus de Ayala, Catharinus* et alii [5].

---

[1] **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 9, q. 2; **Castro,** *De haeresibus*, v. «Adoratio»; haeresi 1.
[2] *In III p.*, q. 25, a. 3, quaest. 3.
[3] *De incarnat.*, disp. 37, n. 31.
[4] *In III p.*, disp. 108, c. 9; et *De adoratione*, lib. 2, disp. 8.
[5] **Ayala,** *De traditionibus*, part. 3, c. *Quali honore imagines venerandae sint*; **Catharinus,** *De adoratione imaginum*, concl. 6 et 7.

http://www.obrascatolicas.com

4) *Alii* dupliciter considerant imagines, quatenus nempe sunt res sacrae et repraesentationes prototyporum. Ut res sacrae cultu inferiori, ut repraesentationes eodem cultu ac prototypi venerandae sunt. Hanc sententiam tenuerunt *S. Bellarminus, Suarez, Billuart* et alii [1].

5) Communius tenent doctores sacras imagines Dei et sanctorum vere ac proprie, et quidem eodem specifice cultu quo earum prototypos venerandas esse. Sic *S. Thomas* et omnes fere thomistae, *S. Albertus Magnus, Alensis, S. Bonaventura, Waldensis, Valentia, Bonae Spei* et alii [2].

852. THESIS I. **Sacrae imagines Dei et sanctorum vere et proprie actibus internis et externis coluntur in Ecclesia.**

Arg. Concilia et documenta ecclesiastica absolute dicunt sacras imagines «retinendas ac venerandas esse». Haec autem verba sic absolute prolata certe innuunt cultum religiosum vere et proprie sacris imaginibus deferri.

Nec sufficit dicere cum *Durando* imagines venerari improprie, quatenus excitant in nobis affectum erga prototypum. Hunc enim affectum erga creatorem excitant in nobis flores ac pecora, et nihilominus nunquam auditum est flores atque pecora a christianis venerari.

Ex hoc facile colligimus sacras imagines religiose conservari ac vere coli, non tantum ut excitant in nobis memoriam et affectum erga prototypos, sed etiam ut sunt terminus atque objectum *quod* cultus fidelium, modo inferius explicando.

Item ex hac doctrina sequitur sacras imagines non solum externa manifestatione, ut vult *Vazquez*, sed etiam interno submissionis affectu coli a fidelibus. Verus enim et proprie dictus cultus necessario supponit actum internum submissionis ob eminentiam objecti. Unde actus externus osculi, inclinationis capitis, etc., erga imaginem sine interno animi affectu est potius fictio quam cultus.

Dices. Concilium generale VII haec habet: «Non ipsum lignum adoratur, sed quod in ligno conspicitur et memoratur, honorificatur, et per recordationem adoratio exhibetur» [3].

Resp. Haec Concilii verba facile interpretantur. In qualibet statua et imagine sollicite distinguendum est esse entis ab esse imaginis. Non ens sed imago colitur a fidelibus. Unde lignum quod est ens in statua, non veneratur, sed imago, quae «in ligno contemplari datur».

853. THESIS II. **Sacrae imagines Dei et sanctorum coluntur eodem specifice cultu ac earum prototypi.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium generale VII ait: *Imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam* [4].

[1] **S. Bellarminus,** *De imaginibus*, lib. 2, cc. 21-25; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 54, sect. 5; **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 23, a. 3, § 5.

[2] **S. Thomas,** *III p.*, q. 25, a. 3, et *In III Sent.*, dist. 9, q. 1, a. 2, quaest. 7, sol. 2; **S. Albertus M.,** *In III Sent.*, dist. 9, a. 4; **Alensis,** *III p.*, q. 30, membr. 3, a. 3, § 1; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 9, a. 1, q. 2; **Waldensis,** *Rationale fidei*, t. 3, c. 156, nn. 6-7; **Valentia,** *In III p.*, q. 24, disp. 1, p. 2, concl. 4; **Bonae Spei,** disp. 16, dub. 3, resol. 3.

[3] *Act.* 2, ep. Adriani; **Labbé,** t. 7, p. 114.

[4] *Act.* 7; **Denz-Bannw.,** 302.

Concilium Tridentinum docet imaginibus *debitum honorem et veneration imperiendam; non quod credatur inesse aliqua in his divinitas vel virtus, propter quam sint colendae..., sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant* [1].

2) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Damascenus* refert et approbat haec Leontii verba: «Nos Christiani imaginem Christi, aut apostoli aut martyris carnali more complectentis, animo reputamus nos vel Christum ipsum vel martyrem ejus amplexari» [2]. Idem docent *S. Basilius* et alii [3].

3) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae.* «Sicut Philosophus dicit in libro de Memoria et Reminiscentia, c. 2 circa med., ait *Angelicus*, duplex est motus animae in imaginem. Unus quidem in ipsam imaginem, secundum quod res quaedam est; alio modo in imaginem, in quantum est imago alterius. Et inter hos duos motus est haec differentia: quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut est res quaedam, est alius a motu, qui est in rem. Secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago, est unus et idem cum illo, qui est in rem. Sic ergo dicendum est, quod imagini Christi, in quantum est res quaedam (puta lignum sculptum vel pictum) nulla reverentia exhibetur; quia reverentia nonnisi rationali naturae debetur. Relinquitur ergo, quod exhibeatur ei reverentia solum, in quantum est imago. Et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi et ipsi Christo. Cum ergo Christus adoretur adoratione latriae, consequens est, quod ejus imago sit etiam adoratione latriae adoranda» [4]. «Quia idem motus est in imaginem, in quantum est imago, et in imaginatum; ideo unus honor debetur imagini, et ei, cujus est imago. Et ideo, cum Christus adoretur latria, similiter et ejus imago» [5].

Amplior explicatio. Ut haec omnia recte intelligantur, et doctrina exposita amplius probetur ac confirmetur, accurate notandum est imaginem posse tripliciter considerari:

Primo, quatenus est res quaedam seu ens, constitutum ex materia, delineamentis, coloribus, etc., quibus in linea entis constat imago. Sic sumpta non colitur a fidelibus, quia caret dignitate et eminentia, ut submissionem creaturae rationalis mereatur.

Secundo, in quantum, simul cum modo essendi proprio a prototypo distincto, habet in actu signato vim repraesentandi prototypum, adeo ut simul includat modum essendi proprium et vim repraesentativam. Defendunt aliqui imaginem sic sumptam esse rem sacram cultui divino deputatam, et esse colendam cultu inferiori quam prototypum. Ita *S. Bellarminus, Suarez, Billuart* et alii [6]. Sed haec opinio minus mihi probatur. Quia, cum sancti colantur dulia, si imaginibus in hac acceptione debeatur inferior cultus quam dulia, quae erit species hujus cultus? Melius ego dixerim imagines in hac acceptione nullatenus esse colendas,

[1] *Sess.* 25, decr. 2; **Denz-Bannw.,** 986.

[2] *De imaginibus*, orat. 3; MG **94,** 1385.

[3] **S. Basilius,** *De Sp. Sancto*, c. 18; MG **32,** 153.

[4] *III p.*, q. 25, a. 3.

[5] *In III Sent.*, dist. 9, q. 1, a. 2, quaestiunc. 7, sol. 2.

[6] **S. Bellarminus,** *De imaginibus*, lib. 2, cc. 21-25; **Suarez,** *De incarnat.*, disp. 54, sect. 5; **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 23, a. 3.

http://www.obrascatolicas.com

quia vis illa repraesentativa in actu signato, quae fundatur in modo proprio essendi imaginis, non videtur esse ratio sufficiens, ut mereatur actum adorationis et cultus.

Tertio, formalissime in ratione imaginis repraesentans prototypum in actu exercito, quatenus est ipsum objectum in esse repraesentativo involvens implicite modum naturalem essendi. Imagines in hac acceptione dicuntur coli eodem specifice cultu ac earum prototypi. Consequenter imagines Christi adorantur latria, imagines vero B. M. Virginis coluntur hyperdulia; et imagines sanctorum dulia.

Ratio praecipua est, quia imagines in esse repraesentativo sunt ipsum objectum, quod repraesentant.

Dices. Concilium Nicaenum II negat imaginibus Dei deferri latriam cum ait: «Qui has (imagines Dei salvatoris) contemplantur, alacrius eriguntur... ad osculum et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impartiendam» [1].

Resp. Concilium non negavit imaginibus Christi esse exhibendam latriam relativam, sed absolutam. Illis verbis *Veram latriam* satis contraxit sensum ad latriam absolutam, quae solum naturae divinae debetur.

854. Corollarium. Ex hactenus dictis facile consequitur cultum, qui exhibetur imaginibus in Ecclesia esse relativum non absolutum. Imagines enim, si in se ipsis spectentur, non sunt nisi lignum, lapis, charta, color, etc., quae cultus objectum per se constituere nequeunt. Tota igitur radio adorationis et cultus in imagine attenditur penes rationem formalem imaginis, quae, cum sit ipsum objectum in esse repraesentativo, in recto solum importat naturam et dignitatem objecti seu archetypi. Quare haec adoratio non est absoluta ob excellentiam ipsius imaginis, sed relativa ob dignitatem archetypi in imagine repraesentatam.

855. Scholion I. Quaestio est, an imagines Christi et sanctorum a daemone confectas aut depictas vel etiam apparentes seu phantasticas, sub quibus dubitari potest daemonem delitescere, adorare ac colere liceat.

Difficultas, ut vides, est de statuis seu picturis realibus et de imaginibus apparentibus.

1) *Statuae seu picturae reales.* a) Si quando imago aut statua Christi vel alicujus sancti fiat a daemone qua artifice, quin diabolus pergat ipsi esse praesens, potest proculdubio venerari, sicut imago a scelestissimo viro depicta potest coli; quia imagines non colimus propter conditiones morales artificis, sed propter excellentiam ejus, quem repraesentant. Quare refert *S. Theresia* a viro doctissimo sibi dictum fuisse imagines Salvatoris a daemone depictas esse adoratione dignas [2],

b) Si daemon persistat statuae aut picturae esse praesens, periculo certe non caret imaginem adorare.

2) *Imagines apparentes. S. Bonaventura, Alensis* et alii [3] dixerunt

[1] **Mansi,** 13, 730; **Denz-Bannw.,** 302.

[2] *Morada* 6, c. 9, n. 12 (ed. 1922, Burgos).

[3] **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, disp. 9, a. 1, q. 6; **Alensis,** *III p.*, q. 30, membro 3, a. 1, § 3.

apparentes imagines ex aere, luce, vel alia materia confectas absolute et sine ulla conditione colere esse peccatum idololatriae.

Sed haec sententia ita absolute expressa videtur nimis rigida.

Verius ego crediderim sacras imagines Christi, Beatae Mariae Virginis et Sanctorum, etiam apparentes, posse, per se loquendo, licite a fidelibus eodem quo alias imagines cultu venerari. Cum enim imagines colimus, non attendimus ad materiam, qua confectae sunt, nec ad auctorem, a quo elaboratae fuerunt, sed ad archetypum, quod repraesentant. Unde, ubi apparet imago Christi, B. M. Virginis aut alicujus sancti, quamvis possibile sit sub ea daemonem delitescere, cum sit ipse archetypus in repraesentando, potest per se adorari aut coli.

Dixi *per se;* quia, si adsit periculum fraudis vel commercii cum daemone, non est imago in praxi adoranda sine praevio examine et acquisita morali certitudine de honesta ejus origine. Quod si haec certitudo moralis haberi non possit, adhibenda saltem erit conditio, qua periculum excludatur.

Scholion II. Nomina pariter *Jesu, Mariae* et *sanctorum* adoranda vel colenda sunt eadem adoratione et cultu quo Jesus, Maria et sancti, scilicet latria, hyperdulia et dulia. Sicut enim imagines venerantur in Ecclesia, quia sua archetypa repraesentant, ita haec nomina, quae repraesentant ac significant Christum, Mariam et Sanctos, reverenter colenda sunt a fidelibus. Unde Ecclesia instituit et solemniter celebrat festa sanctissimi nominis Jesu et dulcissimi nominis Mariae.

Scholion III. Res item aliae ad divinum cultum ab Ecclesia sacratae, ut sunt altaria, calices, patenae, pyxides, corporalia, et alia hujusmodi plura, adoranda sunt latria, quia repraesentant Jesum Christum, quem saepe continent.

ARTICULUS VIII

AN ET QUO CULTU ADORANDA SIT CRUX CHRISTI

856. Status quaestionis. 1) *Verbum... crucis,* ait Apostolus, *pereuntibus quidem stultitia est, iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est* [1]. Gentibus olim crux, utpote extremi supplicii instrumentum, opprobrio erat atque ludibrio. Sed ex quo Christus in ea mortuus est, ut nos redimeret a peccatis, versa est in gloriam.

2) Triplicis generis est crux Christi: a) *Crux authentica* seu ipsa crux in individuo, in qua pependit et mortuus est Christus, et est imago simul et reliquia Christi crucifixi; b) *Crux* ex ligno, petra vel metallo ad similitudinem crucis authenticae elaborata; c) *Crux,* quam in aere, fronte, pectore, etc., conficimus manu.

3) Meminisse oportet adorationem posse esse absolutam vel relativam, prout aliquid adoratur ob excellentiam ejus propriam, vel ob excellentiam alterius rei, quam repraesentat.

[1] *I Cor.*, 1, 18.

http://www.obrascatolicas.com

857. Errores. 1) Non constat, an veteres iconoclastae impugnaverint adorationem sanctae crucis. Aliqui affirmant, sed *Petavius* negat [1].

2) Saeculo VII *pauliciani* docuerunt Christum non fuisse crucifixum sed tantummodo manus in crucis figuram extendisse; crucem vero ab impostoribus fuisse fictam et non esse adorandam aut suspiciendam [2].

3) Saeculo IX *Claudius* quidam, hispanus et episcopus taurinensis, abstulit cruces ab ecclesiis et ab adoratione fidelium [3].

4) *Wicleffistae* et *Calvinistae* negaverunt pariter crucem esse adorandam [4].

858. THESIS I. **Quaelibet sancta crux, sive sit authentica, cui affixus est Christus [5], sive crucis effigies ex alia materia confecta, adoranda est adoratione latriae, non quidem absoluta sed relativa.**

Pars 1.ª Quaelibet crux adoranda est.

Arg. 1) *S. Joannes Damascenus* ait: «Pretiosum sane ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit..., jure debet adorari» [6].

2) Praxis Ecclesiae hoc ubique nos docet; fideles undique Romam petunt sanctam crucem publice expositam adoraturi; particulae ejusdem sanctae Crucis magna devotione apud omnes recipiuntur; Ecclesia festa solemniter celebrat in memoriam inventionis et exaltationis S. Crucis.

3) Ratio est, quia crux sancta Christi sicut et quaelibet ejus effigies fert imaginem crucifixi seu Christi in ea affixi, qui nos a morte liberavit. Si autem gentes magno honore conservant regum suorum arma et herois trophaea moliuntur, potiori jure populus christianus crucem sanctam, in qua Christus pro nobis victoriam reportavit, ejusque imagines profunde veneratur [7].

Pars 2.ª Adoranda est adoratione latriae relativae.

Quaelibet crux, sive sit ea, in qua Christus pependit, sive ejus effigies, fert, ut modo diximus, imaginem Jesu Christi crucifixi. Eadem autem adoratio defertur imagini et personae per eam repraesentatae. Sed Christum adoramus latria. Ergo quaelibet crux adoranda est latria.

Dixi *adoratione latriae relativae*, quia cruces non adoramus propter excellentiam propriam quam habent, sed propter excellentiam Christi Jesu, quem repraesentant.

Animadversio notatu digna. Adest tamen differentia non parva inter crucem, cui affixus est Christus, et alias cruces. Has enim ultimas solum

---

[1] *De incarnat.*, lib. 15, c. 7, n. 2.

[2] Cfr. **Euthymius,** *Panoplia dogmatica*, tit. 24; MG **130,** 1196; et **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, t. 3, p. 29.

[3] **Hergenröther,** *Hist. de la Igl.*, t. 3, p. 83.

[4] Cfr. de wicleffistis, **Waldensis,** *Doctrinale fidei*, t. 3, c. 160, et de calvinistis, **Calvinus,** *Inst.*, lib. 1, c. 11; et lib. 4, c. 9.

[5] Veram Christi crucem a S. Helena fuisse inventam referunt **S. Cyrillus Hierosol.,** *Catech.*, 10, n. 19; MG **33,** 685 sq.; **Socrates,** *Hist. E.*, lib. 1, c. 17; MG **67,** 117; **Sozomenus,** *Hist. E.*, lib. 2, c. 1; MG **67,** 932, etc.; et alii acerrime defendunt. Pars principalis sacri ligni hodie conspicitur et adoratur in ecclesia ad S. Crucem hierosolymitanam Romae.

[6] *De fide orthod.*, lib. 4, c. 11; MG **94,** 1129.

[7] Cfr. **Thomas Waldensis,** *Doctrinale fidei*, t. 3, cc. 158-160.

adoramus, in quantum gerunt imaginem Christi, adeo ut, separatis lignis et dissoluto crucis signo, cesset adoratio; non enim ligna sed signum crucis veneramur [1]. Crux vero, in qua pependit Christus, sanctificata est per contactum sacratissimae humanitatis Verbi incarnati, et habet rationem insignis reliquiae. Unde, quamvis amittat rationem signi et in multas particulas dividatur, et non exhibeatur in forma crucis, quaelibet ejus pars adoranda est ut reliquia et vere colitur a populo christiano [2].

Disputant theologi, an crux vera Christi, quatenus est insignis quaedam reliquia, colenda sit latria vel sola hyperdulia. Utrumque videtur docuisse *S. Thomas* [3]. Melius crediderim sub distinctione loquendum esse. Si lignum crucis Christi consideretur ut reliquia simul cum humanitate praecisive a persona Verbi, prout supra diximus de humanitate Christi, colitur hyperdulia eo sensu, quo locutus est *Angelicus* in III Sententiarum. Si consideretur simul cum Christo, adoratur latria, ut docuit *S. Thomas* in III parte.

859. THESIS II. **Utiliter fideles antiquum Ecclesiae usum sequuti se signo crucis signant.**

Arg. 1) SS. Patres hunc Ecclesiae usum crebro commendant. «Ad omnem progressum, ait *Tertullianus*, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calciatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus» [4]. *S. Hieronymus:* «Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Domini crucem» [5].

2) Signum Crucis in fronte manu formatum est quaedam fidei protestatio et orationis exercitium, et valet plurimum ad fugandum daemones et excitandum in nobis devotionis affectum.

---

[1] Cfr. **Euthymius,** *Panoplia dogm.*, tit. 22; MG **130,** 1163.

[2] Contra hanc communem et veram sententiam insurgit **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 9, q. 2 ad 3, n. 14, dicens lignum crucis in quo pependit Christus non esse secundum se terminum adorationis, sed solum «in quantum reducit in rememorationem Christi», quia «non est subjectum susceptivum sanctitatis et virtutis». Sed alii **S. Damascenum,** *De fide orth.*, lib. 4, c. 11; MG **94,** 1129; et **S. Thomam,** *In III Sent.*, dist. 9, q. 1, a. 2, quaestiunc. 7, sol. 4, sequuti refutant Durandum.

[3] *In III Sent.*, dist. 9, q. 1, a. 2, quaestiunc. 7, sol. 4; et *III p.*, q. 25, a. 4.

[4] *De corona*, c. 3; ML **2,** 99.

[5] *Ep. 22 ad Eustochium*, n. 37; ML **22,** 421.

http://www.obrascatolicas.com

SECTIO II

SOTERIOLOGIA
SEU
DE OPERE REDEMPTIONIS

QUAESTIO LXI

DE IPSO REDEMPTORE SEU DE CHARACTERE REDEMPTORIS

ARTICULUS I

NOTIONES PRAEVIAE TRADUNTUR

860. I. Angelus Domini apparens S. Joseph ait: *Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et... vocatum est nomen ejus Jesus* [1]. Nomen *Jesus*, graece Σωτηρ, idem est ac latine *Salvator*. Unde tractatus de opere redemptionis a Christo factae ex voce graeca dicitur *Soteriologia*.

II. Opus redemptionis, ut ipsa vox satis innuit, est reparatio generis humani, seu reconciliatio hominis cum Deo. Hinc per redemptionem generis humani deletum est peccatum, placatus est Deus offensus, apertum est caelum, et homines educti a servitute diaboli facti sunt amici ac filii Dei, imo et gratia donisque caelestibus copiose aucti accipiunt jus ad aeternam beatitudinem.

III. Aliqui auctores plus aequo videntur extendere objectum Soteriologiae, dum in hac sectione agunt de necessitate, convenientia et fine incarnationis Christi. Ego potius crediderim has materias esse quasi praeambula et introductionem ad tractatum de Verbo incarnato, et exemplo *Angelici Doctoris* explicandas esse in ipso limine Christologiae.

IV. Objectum igitur totius Soteriologiae continetur mediatione, satisfactione et merito Christi, ac quaestionibus ipsis adnexis.

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS FUERIT MEDIATOR DEI ET HOMINUM

861. Status quaestionis. 1) Quando duo homines in societate sunt inimici, requiritur plerumque aliquis tertius, qui inter eos constitutus offensum offensoremque reconciliet. Hic tertius, qui inter homines ex

[1] *Matth.*, I, 21.

http://www.obrascatolicas.com

amicitia plerumque vel ex officio quandoque reconciliat inimicos, vocatur *mediator*. Ita pariter ad reconciliandos homines peccatores cum Deo offenso requiritur aliquis mediator, qui nequit munere suo perfecte fungi actibus simplicis amicitiae, sed solummodo offerendo Deo actus ex officio infiniti valoris, quod pertinet ad solum Redemptorem.

2) Quaeritur hic, an Christus ita fuerit mediator inter Deum et homines, ut, placando Deum erga homines ex una parte, et promovendo ex altera parte homines ad Deum, eos inter se reconciliaverit et amicitiae vinculis conjunxerit.

862. THESIS. **Christus ut homo est mediator Dei et hominum.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Apostolus diserte ait: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* [1]. Mediator dicitur non utcumque ex amicitia amborum, sicut constituitur inter homines inimicos, qui per unum amicum saepe reconciliantur, sed quatenus ex munere et officio placavit Deum erga homines, quia, ut statim subjungit: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [2]. Unde *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* [3].

b) Christus Dominus amicitiam inter Deum et homines restauravit pacemque firmavit, quia in ipso *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum* [4], et *complacuit Deo per eum reconciliare omnia in ipsum* [5]. Haec revera Christus Dominus peregit ut mediator, quatenus Deus homo extrema vinculis amicitiae mirabiliter conjunxit. Deo siquidem se ipsum in redemptionem offerens et homines ad Deum per gratiam adducens, offensorem et offensum reconciliavit, adeo ut merito potuerit dicere: *Nemo venit ad Patrem nisi per me* [6].

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Christus mediator Dei et hominum dictus est, inter Deum immortalem et hominem mortalem Deus et homo *(I Tim.*, 2, 5), reconcilians hominem Deo, manens id, quod erat, factus, quod non erat» [7].

3) *Ex ratione.* Christus Dominus, cum fuerit Deus verus et homo justus, non solum fuit amicus Dei et hominum, verum etiam vere et active se interposuit inter offensum et offensorem, eosque, cum Deo abunde satisfecit et peccatoribus dolorem incussit, plenissime reconciliavit. Ergo fuit mediator inter Deum et homines. Hoc argumentum lepide exponit S. *Augustinus* dicens: «Mediator Dei et hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo praeter deitatem, non mediator Deus praeter humanitatem. Ecce mediator: divinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine divinitate

1 *I Tim.*, 2, 5.
2 *I Tim.*, 2, 6.
3 *II Cor.*, 5, 19.
4 *Ephes.*, 1, 7.
5 *Coloss.*, 1, 20.
6 *Joann.*, 14, 6.
7 *De consensu evang.*, lib. 1, c. 35, n. 53; ML **34**, 1070.

non est mediatrix, sed inter divinitatem solam et humanitatem solam mediatrix est humana divinitas et divina humanitas Christi» [1].

863. Corollarium. Ex dictis facile comperies mediationem perfectam inter Deum et homines esse substantialiter ipsam redemptionem hominum. Ad mediationem quippe perfectam requiritur vera reconciliatio Dei et hominum, ac ideo plena satisfactio Dei offensi, ac hominis liberatio a vinculis peccati, quae non fit nisi per opus redemptionis.

864. Scholion. Solus Christus est simpliciter mediator principalis ac perfectus inter Deum et homines, quia ipse solus potuit Deo satisfacere, nos a peccatis eruere, atque hominem offensorem et Deum offensum reconciliare. Unde vera sunt verba Apostoli: *Unus enim Deus: unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* [2].

Hoc tamen non obstat, quominus alii sint mediatores Dei et hominum *dispositive, materialiter* et *secundum quid*, quatenus orando, praedicando et ministrando, cooperantur ad producendam amicitiam et unionem inter Deum et homines. Sic patriarchae, sic prophetae, sic sacerdotes, sic verbi Dei praecones fuere mediatores inter Deum et homines ministerialiter. De mediatione B. M. Virginis infra.

QUAESTIO LXII

DE TRIPLICI CHRISTI MUNERE, SACERDOTIS SCILICET, PROPHETAE ET REGIS

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS FUERIT VERE SACERDOS

865. Status quaestionis. 1) Sacerdos — ἱερεύς — dicitur, qui ex auctoritate publica constituitur medius inter Deum et homines, atque offert Deo dona et sacrificia. a) Qui sine deputatione auctoritatis publicae offert Deo sacrificia improprie dicta, aliquando vocatur sacerdos sensu latiori, ut S. Petrus vocavit fideles *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* [3]. b) Qui vero ex officio habet facultatem offerendi Deo sacrificium proprie dictum et dispensandi sacra hominibus, est rigorose *sacerdos*.

2) Munus praecipuum sacerdotis est offerre Deo sacrificium, quia, Apostolo teste, *constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [4]. Secundario pertinet ad sacerdotem sacra dispensare hominibus.

3) Ad sacerdotem igitur pertinet offerre sacrificium, deferre Deo ea, quae sunt hominis, ut fidelium orationes et oblata, atque deferre homini

1 *Serm.* 47, c. 12, n. 21; ML **28**, 310.
2 *I Tim.*, 2, 5.
3 *I Petri*, 2, 9.
4 *Hebr.*, 5, 1. Ad haec S. **Justinus:** «A nemine autem Deus accipit sacrificia nisi per ipsius sacerdotes». *Dial. cum Tryphone*, n. 116; MG **6**, 746.

http://www.obrascatolicas.com

ea, quae sunt Dei, ut gratiam et sacramenta. Hinc sacerdotium consideratur ut munus principalis mediatoris Dei et hominum.

4) Cum Christus sit unicus mediator perfectus inter Deum et homines, quaerendum est, an et quomodo sit sacerdos, et quid ut talis efficiat.

866. Error. Hodierni rationalistae non videntur admittere Christum esse vere sacerdotem, quia putant redemptionis opus in eo consistere, quod Christus genus humanum ab ignorantia liberaverit, doctrinas religiosas edocuerit et ad virtutis studium promoverit.

867. THESIS. **Christus Dominus vere et proprie fuit sacerdos et munera sacerdotis adimplevit erga Deum et homines.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Regius Psaltes in uno ex psalmis messianicis ajebat: *Juravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* [1].

b) Juxta Apostolum habemus *Pontificem, qui penetravit caelos, Jesum Filium Dei* [2]. Omnis autem Pontifex est sacerdos.

2) *Ex conciliis.* Concilium Tridentinum haec habet: «Quoniam sub priori Testamento, teste apostolo Paulo, propter levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui potest omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere» [3].

3) *Ex ratione.* Sacerdos proprie dicitur, qui publica auctoritate deputatur, ut sit mediator inter Deum et homines, effundat preces ad Deum, et offerat Deo dona et sacrificia pro populo, juxta illud Apostoli: *Omnis namque Pontifex ex hominibus adsumptus pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [4]. Sed Christus verus homo

a) *Auctoritate publica deputatus est:* Nam, ut ait idem Apostolus, *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu: ego hodie genui te* [5]. Quod munus non utcumque accepit Jesus, sed jurejurando: *Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt: hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum* [6].

[1] *Ps.* 109, 4. Dicitur Christus *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, non quod ejus sacerdotium ad aliquem ordinem pertinuerit, sed eo quod Melchisedech perfectius praefiguraverit Christum, quam alii veteris Testamenti sacerdotes: 1) Quia panem et vinum obtulit, sicut Christus sacrificium novae legis sub speciebus panis et vini instituit; 2) quia apparuit sine patre, sine matre, sine genealogia, quia de his Scriptura tacet, sicut Christus in terra fuit sine patre et in divinis sine matre; 3) quia Melchisedech rex Salem idem significat ac rex justitiae et pacis, sicut Christus vere fuit rex justitiae ac pacis. Cfr. **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 20, a. 3.

[2] *Hebr.*, 4, 14.

[3] *Sess.* 22, c. 1; **Denz-Bannw.,** 938.

[4] *Hebr.*, 5, 1.

[5] *Hebr.*, 5, 4 sqq.

[6] *Hebr.*, 7, 20 sq.

b) *Ut esset mediator inter Deum et homines:* Siquidem, Apostolo teste, *unus... Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* [1].

c) *Ut effunderet preces adDeum:* Quia, ut ait Apostolus: *In diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* [2].

d) *Ut offerret Deo dona et sacrificium infiniti valoris:* Quia, ut iterum ait Apostolus: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* [3]. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa* [4].

868. Scholion I. 1) Christus Dominus, Deus et homo, seu persona Verbi, habens naturam divinam et humanam, fuit proculdubio sacerdos, quia sacerdos est suppositum, principium *quod* operationum. Christus igitur mediavit inter Deum et homines, intercedit coram Deo pro nobis, obtulit sacrificium in cruce pro salute generis humani.

2) In munere tamen sacerdotis constitutus est ratione unius tantum naturae, adeo ut una tantum natura fuerit in Christo principium *quo* operationum sacerdotalium.

3) *Calvinus, Melanchthon* [5] et alii haeretici dixerunt Christum secundum naturam divinam fuisse sacerdotem.

4) Sed theologi catholici unanimi consensu docent Christum fuisse sacerdotem secundum humanam naturam, et consequenter humanam naturam gratia habituali perfusam in recto fuisse in eo rationem formalem et principium *quo* operationum sacerdotalium, connotando tamen naturam divinam ut principium valorationis actuum. *Mediator Dei et hominum*, ait Apostolus, *homo Christus Jesus* [6]. Quod explicans addit *S. Augustinus:* «Nec tamen ob hoc mediator est (Christus), quia Verbum..., sed mediator per quod homo» [7]. Iterum *S. Augustinus:* «Secundum hominem quippe Christus et rex et sacerdos effectus est... ut... esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei et hominum homo Christus Jesus» [8].

Ratio id facile ostendit. Munera siquidem sacerdotii exercuit Christus secundum humanam naturam. Fuit mediator Dei et hominum ut homo, oravit et interpellavit Deum pro populo ut homo, effudit preces ad Deum pro peccatoribus ut homo, ac tandem obtulit Deo sacrificium et satisfecit Deo pro peccatis mundi ut homo. Unde *S. Thomas* confirmavit hanc veritatem dicens: «Licet Christus non fuerit sacerdos, secundum quod Deus, sed secundum quod homo, unus tamen et idem fuit sacerdos et Deus» [9].

[1] *I Tim.*, 2, 5.

[2] *Hebr.*, 5, 7.

[3] *Ephes.*, 5, 2.

[4] *Hebr.*, 9, 12.

[5] **Calvinus,** *Instit.*, lib. 4, c. 6, n. 2; **Melanchthon,** *De numero et usu sacramentorum*, t. 1, p. 95 (ed. Witebergae, 1601).

[6] *I Tim.*, 2, 5.

[7] *De civ. Dei*, lib. 9, c. 15; ML **41,** 269.

[8] *De consensu evang.*, lib. 1, c. 3; ML **34,** 1045.

[9] *III p.*, q. 22, a. 3 ad 1. Cfr. **Sylvius,** *In III p.*, q. 22, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

Scholion II. Effectus sacerdotii Christi in nobis sunt omnia bona spiritualia, quae a Deo accipimus, quaeque praecipue reducuntur ad gratiam sanctificantem, ad remissionem peccatorum, ad auxilia quibus in gratia recepta conservamur, et ad perfectam animae cum Deo unionem, quae incipit in hac vita et perficitur in gloria. 1) Gratia sanctificans et remissio peccatorum sunt fructus passionis atque operis satisfactionis Christi, imo et motionis interioris, qua renovamur et convertimur in Deum. 2) Auxilia, quibus in accepta gratia conservamur, nobis confert Christus, quia *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* [1]. 3) Perfectam denique animae cum Deo unionem in gloria, speramus accipere a Christo, quia habemus *fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi* [2].

Scholion III. *Sacerdotium Christi manet in aeternum.*

1) Regius Psaltes expresse hoc docet dicens: *Tu es sacerdos in aeternum* [3]. Et Apostolus id ipsum confirmat his verbis: *Hic autem* (Christus), *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium* [4].

2) Ratio est, quia Christus sacerdos, non solum homines per suum sacrificium a peccatis liberavit, auxiliis supernaturalibus in gratia custodivit, atque in gloriam perduxit, sed ulterius hos effectus, in gloriam sanctorum efficaciter influendo, per totam aeternitatem conservat. Ad rem *Angelicus:* «Sancti, qui erunt in patria, non indigebunt ulterius expiari per sacrificium Christi: sed expiati jam indigebunt consummari per ipsum Christum, a quo gloria eorum dependet. Unde dicitur *Apocal.*, 21, 23, quod claritas Dei illuminat illam, scilicet civitatem sanctorum, et lucerna ejus est agnus» [5].

Christus Dominus in triduo passionis non potuit dici sacerdos, quia, ut communius tenent doctores contra *Magistrum Sententiarum* [6], non fuit verus homo, sed sacerdotium Christi dicitur a principio incarnationis in aeternum durare, eo quod interruptio fuerit modica et moraliter nulla [7].

ARTICULUS II

DE CHRISTO REGE

§ 1

Utrum Christus fuerit rex totius universi directe quoad spiritualia et temporalia, ita ut potestatem regiam habuerit in reges et regna imo et res creatas totius mundi.

869. Status quaestionis. Ex quo Romanus Pontifex Pius PP. XI edidit encyclicam *Quas primas* diei 11 Decembris 1925, et instituit solemne festum *Domini nostri Jesu Christi Regis*, in immensum crevit

1 *Hebr.*, 5, 9.
2 *Hebr.*, 10, 19.
3 *Ps.* 109, 4.
4 *Hebr.*, 7, 24.
5 *III p.*, q. 22, a. 5 ad 1.
6 *III Sent.*, dist. 22, n. 1; ML **192**, 803.
7 Cfr. **Salmanticenses,** disp. 31, dub. 4, n. 33.

hujus quaestionis tractandae necessitas. Unde in variis paragraphis investiganda sunt, quae de regia Christi potestate dicenda occurrunt.

Rex dicitur, qui praeest communitati cum potestate legifera, judiciaria et executiva, ut multitudinem regat atque gubernet.

Duo sunt in rege consideranda, dignitas et potestas, sed potior pars est in eo potestas, quia regem non tam dignitas quam potestas facit.

Imprimis quaerendum est, an Christus vere fuerit rex totius universi quoad spiritualia et temporalia, praescindendo pro nunc, an potestate regia usus fuerit.

870. Placita theologorum. 1) Theologi facile concedunt Christum vere fuisse regem totius universi quoad spiritualia. Leges siquidem tulit, judex creditur esse venturus, et gloriam ac poenas statuit pro bonis et malis.

2) Concedunt pariter Christum habuisse potestatem regiam indirectam in omnia temporalia, quatenus per suam spiritualem potestatem disponere poterat de omnibus rebus temporalibus, prout expedire judicabat ad finem suum spiritualem [1].

3) Plures negant Jesum Christum habuisse auctoritatem regiam directe in temporalia, aut fuisse regem temporalem totius mundi. Ita *Victoria, Medina, S. Bellarminus, Valentia, Becanus* et alii [2].

4) Alii multo communius affirmant Christum fuisse regem etiam temporalem totius mundi, dominiumque habuisse directum in omnes res personasque mundi. Ita *Suarez, Vazquez, Salmanticenses, Muncunill* et alii [3].

871. THESIS. **Christus homo vere fuit rex quoad spiritualia et temporalia universae terrae, habens dominium directum in omnes creaturas.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In psalmo messianico dicitur de Christo venturo: *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus* [4].

Ipse Jesus ait in Evangelio: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* [5]. Et in Apocalypsi nominatur *princeps regum terrae* [6], imo et *rex regum et dominus dominantium* [7].

2) *Ex SS. Patribus. S. Athanasius:* «Est autem ille, qui judicat omnem terram, verus universorum rex et Dominus Jesus Christus, Filius Dei» [8].

S. Cyrillus Alexandrinus: «Omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet (Christus), non per vim extortum, nec aliunde invectum, sed essentia sua et natura» [9].

1 Cfr. **S. Bellarminus,** *De Romano Pontifice*, lib. 5, c. 4.
2 **Victoria,** *Relect. 1, De potest. Ecclesiae*, q. 5, n. 16 sqq.; **Medina,** *In III p.*, q. 59, a. 4, concl. 4; **S. Bellarminus,** *De Romano Pontifice*, lib. 5, cc. 4-5; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 22, p. 6; **Becanus,** *De incarnatione*, c. 24.
3 **Suarez,** *In III p.*, disp. 48, sect. 2; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 87, c. 2; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 32, n. 5 sqq.; **Muncunill,** *De Verbi div. Incarnatione*, n. 1006 sqq.
4 *Ps.* 8, 7-8.
5 *Matth.*, 28, 18.
6 *Apoc.*, 1, 5.
7 *Apoc.*, 19, 16.
8 *Apol. ad Constantium imp.*, n. 26; MG **25**, 627.
9 *In Joan. Evang.*, lib. 12; MG **74**, 622.

http://www.obrascatolicas.com

3) In opusculo *De regimine principum* in ea parte, quae operi *S. Thomae* a quopiam adjuncta est, dicitur: «Ille (Christus) natus erat, qui verus erat mundi dominus et monarcha, cujus vices gerebat Augustus, licet non intelligens, sed nutu Dei, sicut Caiphas prophetavit» [1].

4) *Ex ratione.* Ut *Pius XI* expresse declaravit [2] et ratio probat, principatus regius triplici potestate continetur, potestate scilicet legifera, judiciaria et executiva, adeo ut, qui hac triplici potestate praeditus sit in universum orbem, vere possit rex universalis appellari. Porro Evangelia narrant Christum hominem hanc triplicem potestatem amplissimam habuisse. Ipse siquidem leges pro universali Ecclesia tulit imo et Novum Testamentum condidit; judiciaria potestas, quae regiam dignitatem consequitur, attributa est ei a Patre juxta illud: *Omne judicium dedit* (Pater) *Filio* [3]; et potestas executionis, quae ex praemissis necessario sequitur, plenissime ipsi competit, ut legum contumaces debitas poenas aeque ferant. Hac triplici potestate poterat uti Christus circa spiritualia et temporalia.

872. Scholion. Jus regium temporale Christi in universum mundum non fuit transmissum Petro ejusque successoribus Romanis Pontificibus, quia Christo debebatur sola ratione unionis hypostaticae. Hinc Romanus Pontifex non est jure rex temporalis universi mundi.

§ 2

Quo titulo fuerit Christus rex totius mundi.

873. 1) Dignitas regia obtineri potest haereditate, electione vel acquisitione.

2) Christus Dominus non fuit rex, ne quidem Israel, *titulo haereditario*, quia, ut bene arguunt *S. Bellarminus* et *Salmanticenses* [4], quamvis descenderit ex familia regia, non constat, an ipse fuerit magis proximus Davidi, nec descendit ex linea Salomonis, cui affixa fuit successio haereditaria ad thronum, sed per lineam Nathan [5], ac denique sublatum est jus haereditarium a familia David in Jechonia, ut patet ex Jeremia [6].

3) Neque per *electionem* adsumptus est Christus ad regnum. Nullibi enim constat populum suffragia tulisse, ut Christus eligeretur in regem. Semel tantummodo voluerunt turbae facere eum regem [7], sed Jesus fugit in montem et se abscondit.

4) *Acquisitione* vere obtinuit Jesus regnum, in quantum redemit homines et acquisivit Ecclesiam sanguine suo [8], sed hic titulus fundabatur in unione hypostatica, ut dicemus infra.

---

1 *De regimine principum* lib. 3, c. 13.
2 Encyclica *Quas primas*, 11 Dec. 1925; *Acta Ap. Sedis*, vol. 17, p. 599.
3 *Joan.*, 5, 22.
4 **S. Bellarminus,** *De Rom. Pont.*, lib. 5, c. 4; **Salmanticenses,** *De incarnatione* disp. 32, n. 1.
5 *Luc.*, 3, 31.
6 *Jerem.*, 22, 30.
7 *Joan.*, 6, 15.
8 *Act.*, 20, 28.

Quaerenda est hic ratio princeps, a qua enascitur in Christo potestas regia in mundum universum.

874. THESIS. **Titulus, quo Christus constitutus est in esse regis totius universi, fuit unio hypostatica.**

Arg. Christus enim per unionem hypostaticam constitutus est homo-Deus. Quatenus Deus, habuit dominium universalissimum excellentiae, quo poterat, non solum regere et gubernare, sed etiam transformare et annihilare cuncta creata. Quatenus homo, habuit, non solum dignitatem moraliter infinitam, ut adorarent eum omnes creaturae, sed etiam altum dominium et imperium, cui deberent omnes homines, etiam principes et reges, et angeli parere. Ex quo igitur natura humana adsumpta est a Verbo, et constitutus est homo Christus, vi hujus unionis natura sua et essentia, ut ait *S. Cyrillus Alexandrinus*, competit Christo potestas regia. «Ejus principatus, ait *Pius XI*, illa nititur unione mirabili, quam hypostaticam appellant» [1].

Juxta *Salmanticenses* unio hypostatica praebuit Christo potestatem regiam, non per se solam, sed adjuncta Dei deputatione saltem ut connotata [2], sed puto in adsumptione humanae naturae et unione hypostatica includi deputationem Dei, ut Christus esset rex totius mundi. Unde *Pius XI:* «Ut vel solo hypostaticae unionis nomine Christus potestatem in universas creaturas obtineat» [3].

875. Corollarium. Alius etiam titulus potest adjungi, quo Christus principatum in homines obtinuit, scilicet titulus acquisitionis. Christus enim sanguine suo redemit nos a potestate diaboli, et acquisivit nos in regnum suum.

Hic tamen titulus fundatur in unione hypostatica, a qua derivatur valor redemptionis.

§ 3

An et quomodo Christus exercuerit jus regium, quod habebat in mundum.

876. Status quaestionis. 1) *Pius PP. XI* merito docet Christum translata verbi significatione regem appellari ob summum excellentiae gradum, quo inter omnes res creatas praestat atque eminet. Et hoc sensu de facto regnat a) *in mentibus hominum*, quatenus praecipue veritas est, et veritatem ab eo mortales haurire atque obedientialiter accipere necesse est; b) *in voluntatibus hominum*, quia liberas voluntates nostras suae divinae voluntati permotione instinctuque suo subjicit; et c) *in cordibus hominum* ob ejus supereminentem scientiae caritatem et mansuetudinem benignitatemque animos allicientem [4].

2) Sed de usu potestatis regiae pressius hic loquendum est.

---

1 Encyclica *Quas primas*, 11 Dec. 1925; *Acta Ap. Sedis*, vol. 17, p. 598.
2 *De incarnatione*, disp. 32, n. 10.
3 Encyclica *Quas Primas*, 11 Dec. 1925; *Acta Ap. Sedis*, vol. 17, p. 598.
4 Encyclica *Quas primas*, 11 Dec. 1925; *Acta Ap. Sedis*, vol. 17, p. 595.

http://www.obrascatolicas.com

3) Dominium et jus regium in propria significatione, quod Christus habebat in mundum, partim referebatur ad spiritualia, partim ad temporalia, quia Christus constitutus est rex mundi tum in spiritualibus tum in temporalibus. Non tamen eodem modo usus est potestate regia quoad omnia.

4) Declarandum est circa quae exercuerit potestatem regiam in actu secundo, et circa quae retinuerit in actu primo.

877. THESIS I. **Christus plenissime exercuit potestatem regiam in actu secundo quoad spiritualia.**

Arg. 1) In Veteri Testamento saepe annuntiatum fuit Christum de facto regnaturum. *Suscitabo*, inquit Deus per Jeremiam, *David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit* [1]. Et angelus Gabriel ait beatae Mariae Virgini: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum* [2].

In his et aliis locis certe promittitur Christum de facto regnaturum in aeternum. Oportet autem ea intelligi de regno spirituali Christi, quia Christus non sedit nec regnavit in throno temporali David, nec regnum temporale David potuit esse aeternum.

2) *S. Augustinus:* «Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed rex Israel, quod mentes regat, quod in aeternum consulat, quod in regnum caelorum credentes, sperantes, amantesque perducat» [3].

3) Merito igitur *Pius XI* docet «ejusmodi regnum (Christi) praecipuo quodam modo et spirituale esse et ad spiritualia pertinere» [4].

878. THESIS II. **Christus non exercuit potestatem regiam in actu secundo quoad temporalia.**

Arg. 1) Quidam de turba ait Christo: *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum haereditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* [5].

Christus ipse expresse ait: *Regnum meum non est de hoc mundo* [6].

2) *S. Thomas* diserte hoc docet dicens: «Christus autem, quamvis esset rex constitutus a Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum temporaliter administrare voluit» [7].

3) Exercitium certe potestatis regiae quoad temporalia non congruebat fini incarnationis Christi, qui ministrare venit, non ministrari [8].

---

1 *Jerem.*, 23, 5.
2 *Luc.*, 1, 32.
3 *In Joannis Evang.*, tr. 51, n. 4; ML 35, 1765.
4 Encyclica *Quas primas*, 11 Dec. 1925; *Acta Ap. Sedis*, vol. 17, p. 600.
5 *Luc.*, 12, 13-14.
6 *Joan.*, 18, 36.
7 *III p.*, q. 59, a. 4 ad 1.
8 *Matth.*, 20, 28.

ARTICULUS III

UTRUM CHRISTUS FUERIT VERE PROPHETA

879. Status quaestionis. 1) Propheta a voce graeca προφανος idem est ac *procul phans*, et hoc nomine insignitur

a) *Latissime*, qui, singulari quadam doctrina et instructione supra vulgus eminens, nomine Dei loquitur ad homines.

b) *Strictius*, qui sive praeterita sive praesentia, imo et secretissima cordis mysteria, quae humano captui sunt impervia, patefacit.

c) *Strictissime*, qui eventus futuros liberos certe cognoscit atque praedicit [1].

Declarandum est, an et quomodo Christus fuerit propheta.

880. THESIS. **Christus fuit praestantissimus propheta** 1) **«latissime», quatenus nomine Dei ut Doctor et Magister edocuit homines religionem ac verum cultum;** 2) **«strictius», in quantum veritates naturaliter hominibus impervias intuitus est ac patefecit;** 3) **«strictissime», quatenus lumine prophetico eventus futuros liberos perfecte cognovit et praenuntiavit.**

Arg. *In genere.* In Veteri Testamento praenuntiavit Deus Christum venturum esse prophetam. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum* [2]. In Novo Testamento discipuli vocaverunt eum prophetam dicentes: *Qui fuit vir propheta potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo* [3]. Populus ipse magnificabat Deum his verbis: Quia propheta *magnus surrexit in nobis* [4]; et Apostolo teste, ea, quae multis modis olim Deus manifestavit per prophetas, novissime *locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum* [5]. Unde ipse Christus praestantiam sui muneris prophetici confirmare voluisse videtur, cum de se ait: *Ecce plus quam Jonas hic... plus quam Salomon hic* [6].

Pars 1.ª Ut Magister et Doctor edocuit homines.

1) Hoc constat ex testimoniis Christi. Ait enim: a) Ad turbas et discipulos: *Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus* [7]. b) Ad Pilatum: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam* [8]. c) Ad discipulos in coena: *Vos vocatis me, Magister et Domine; et bene dicitis: sum etenim* [9].

---

1 Cfr. *Theol. fund.*, n. 149 sq.
2 *Deut.*, 18, 18.
3 *Luc.*, 24, 19.
4 *Luc.*, 7, 16.
5 *Hebr.*, 1, 2.
6 *Matth.*, 12, 41 sqq.
7 *Matth.*, 23, 10.
8 *Joan.*, 18, 37.
9 *Joan.*, 13, 13.

http://www.obrascatolicas.com

2) Id ipsum Jesus probavit factis. Totam siquidem Palaestinam perlustrans, Evangelium mira eloquentia omnibus praedicavit; turbas, quae ipsum sequebantur, erudivit; discipulos sanam doctrinam edocuit; infallibile magisterium in Ecclesia reliquit; omnes denique homines ita ad lumen veritatis vocavit, ut recte dicere potuerit: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* [1].

3) SS. Patrum in hac re una est vox atque sententia. Unde *Lactantius:* «Cum statuisset Deus doctorem virtutis mittere ad homines, renasci eum denuo in carne praecepit, et ipsi homini similem fieri, cui dux, et comes, et magister esset futurus» [2].

4) Ratio denique ostendit Christum fuisse Doctorem praestantissimum. Potestas enim docendi convenit Christo ratione unionis hypostaticae, qua non solum erat caput hominum et angelorum, sed et summus sacerdos et pastor Ecclesiae. Capiti autem, sacerdoti ac pastori, convenit illuminare atque docere. Hinc Christus veritates profundissimas, quas de Deo, de mundo, de altera vita, etc., perspectas habebat, mira claritate hominibus tradidit.

Pars 2.ª Veritates naturaliter hominibus impervias perspexit ac patefecit.

1) S. Scriptura crebro testatur Christum Dominum non solum veritates naturales religionem et cultum Dei spectantes cognovisse ac docuisse, verum etiam dogmata ac mysteria Dei, imo et secreta cordium clarissime perspexisse, et luculenter explicuisse. Christus enim, cum locutus fuisset de regno Dei, de mysteriis gratiae, ac de Spiritu Sancto, Nicodemo miranti ejus doctrinam diserte ait: *Quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur* [3]. Et, cum vidisset cogitationes scribarum, dixit eis: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* [4]. Hinc merito samaritana Christum vocavit prophetam dicens: *Video, quia propheta es tu* [5].

2) *Angelicus Doctor*, loquendo de scientia infusa Christi, ait: «Per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantius et plenius caeteris cognovit anima Christi» [6].

Pars 3.ª Lumine prophetico eventus futuros liberos perfecte cognovit ac praenuntiavit.

Nota. Cum Dominus Jesus ab initio suae conceptionis fuerit beatus ac comprehensor, omnia futura perspiciebat ut praesentia in essentia divina. Et quantum ad hoc non fuit propheta. Sed simul fuit viator, et viatorum conditiones complectebatur: Viatores autem, si futura praevideant, prophetae vocantur. Unde in hac parte adserimus Christum Dominum eventus futuros liberos perfecte cognovisse et stricte prophetam fuisse. Est contra Abulensem, in Num. c. 11, q. 62; et c. 16, q. 4.

---

1 *Joan.*, 8, 12.
2 *Div. Inst.*, lib. 4, c. 11; ML **6**, 478.
3 *Joan.*, 3, 11.
4 *Matth.*, 9, 4.
5 *Joan.*, 4, 19.
6 *III p.*, q. 11, a. 1.

Arg. 1) Dominus ait ad Moysem: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum* [1]. Hanc promissionem in Christo adimpletam fuisse constat: a) *ex judaeis*, qui dicebant: *Propheta magnus surrexit in nobis* [2]; b) *ex discipulis* ipsius Christi, qui confabulabantur dicentes: *Fuit vir propheta, potens in opere et sermone* [3]; c) ex ipso Christo, qui de se loquens ait: *Non est propheta sine honore nisi in patria sua* [4].

2) Ratio theologica hoc satis suadet, quia Christus, dum in terris ageret, plura cognovit, ac praenuntiavit, quae procul erant a notitia hominum, quibuscum habebat communem vivendi rationem, et quae successu temporis adimpleta sunt, ut mors in cruce, gloriosa resurrectio, adventus Spiritus Sancti, et alii eventus futuri hominibus ignoti.

881. Scholion. Duae tamen graves difficultates occurrunt contra hanc partem conclusionis, quomodo scilicet cohaerere possit in Christo cognitio prophetica cum visione Dei, et cujus naturae sit in eo spiritus prophetiae.

Haec, licet aliquam confusionem induxerint in praesenti materia, non obstant doctrinae propositae.

Quoad primum prae oculis habendum est Christum Dominum ut saepe animadvertimus, dum vitam passibilem in terris ageret, fuisse comprehensorem simul et viatorem. Quatenus fuit viator, statum communem cum aliis hominibus habuit, et futura libera praenoscens ac praenuntians, prophetae munere respectu viatorum functus est.

Respectu beatorum, quibuscum vivebat ac vivit, non fuit nec est propheta, quia beati omnia vident in Verbo, neque nunc est propheta respectu viatorum, quia nobiscum post resurrectionem non vivit nec habet rationem vitae communis.

Quoad secundum, dicendum esse puto contra *Suarez* [5] lumen propheticum in Christo non fuisse ipsum lumen scientiae beatae ac infusae sed gratiam gratis datam a scientia beata et infusa essentialiter distinctam. Prophetia siquidem est cognitio supernaturalis per divinam inspirationem habita de rebus absentibus et naturaliter ignotis, et qua talis est gratia gratis data, non permanenter sed per modum coruscationis transeuntis, viatoribus ad utilitatem aliorum communicata, dum scientia tum beata tum infusa sunt qualitates permanentes ordinatae per se ad perfectionem subjecti. Tum scientia infusa tum lumine prophetico cognovit Christus futura contingentia, sed diverso modo et fine.

Merito docet Apostolus prophetiam evacuatum iri in patria [6], quia prophetia respicit ea, quae sunt absentia et ignota, dum, adveniente visione beatifica, omnia redduntur beatis praesentia [7].

---

1 *Deut.* 18, 18.
2 *Luc.*, 7, 16. **S. Augustinus** ostendit hunc textum ad Christum referri. *Contra Faustum*, lib. 16, c. 18; ML **42**, 326.
3 *Luc.*, 24, 19.
4 *Matth.*, 13, 57.
5 *In III p.*, disp. 21, sect. 1, n. 5.
6 *I Cor.*, 13, 10.
7 Cfr. **Joseph a Spiritu Sancto**, *Theol. mystico schol.*, disp. 1 prooemiali, n. 223.

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO LXIII

DE SACRIFICIO CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS VERUM SACRIFICIUM OBTULERIT IN CRUCE

882. I. **Notio sacrificii.** Sacrificium idem sonat ac sacrum *facere*, et si verbum lato sensu sumas, significat quodlibet opus bonum in honorem Dei factum.

2) Si strictius sumas, definitur: *Oblatio rei sensibilis cum aliqua transmutatione Deo legitime facta in supremae ejus majestatis agnitionem et absoluti dominii protestationem.*

Est in genere signi sicut sacramenta, sed differt ab eis in eo, quod sacramenta significant gratiam, quam causant, et sacrificium denotat supremam Dei majestatem et dominium.

Dicitur a) *Oblatio rei sensibilis*, quia est actus praecipuus cultus externi. Unde materia remota sacrificii est substantia materialis physice vel moraliter destruenda.

b) *Cum aliqua transmutatione.* Cum enim sacrificium offeratur ad agnoscendum Dei majestatem et dominium, nullum potuit signum ad hoc aptius excogitari quam destructio objecti materialis, qua res usui communi subtrahitur. Destructio aliquando est physica, ut occisio tauri in holocaustis Veteris Testamenti; aliquando moralis, ut deputatio aliquorum in servitium templi. Quaelibet illa sit, dicitur materia proxima sacrificii, et oblatio rei immutatae est forma sacrificii.

c) *Deo legitime facta*, quibus verbis significatur sacrificium soli Deo et a legitimo ministro offerri. *Soli* quidem *Deo*, qui vitae et mortis habet dominium, supremaque pollet majestate; et *a legitimo ministro;* quia, cum sacrificium spectet ad cultum publicum, non potest offerri nisi ab eo, qui est in societate specialiter ad hoc deputatus. Unde juxta Apostolum *omnis pontifex... pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [1].

d) *In supremae ejus majestatis agnitionem et absoluti dominii protestationem.* Scopus sacrificiorum est supremam Dei majestatem practice agnoscere et absolutum vitae et mortis, quod habet, dominium protestari. Quare substantia rerum materialium in sacrificiis destruitur.

883. II. **Divisio.** Quadruplex distingui solet sacrificium, nempe *latreuticum* ad agnoscendum supremum Dei dominium; *eucharisticum* ad gratias Deo agendas; *impetratorium* ad beneficia postulanda; et *propitiatorium* ad expianda hominum peccata. Horum dabitur uberior explicatio, dum de sacrificio missae.

884. III. **Error.** Sociniani docuerunt Christum in terra non obtulisse Deo verum sacrificium, sed ejus mortem fuisse conditionem praerequisitam ad sacrificium, quod in caelo obtulit, cum Patri apparuit eique mortem obtulit [1].

2) Protestantes quoque rationalistae negant omnino mortem Christi in cruce fuisse verum sacrificium.

[1] *Hebr.*, 5, 1.

885. THESIS. **Christus in cruce obtulit Deo verum sacrificium.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Sacrae litterae in Veteri Testamento praenuntiant mortem futuram Christi ut verum sacrificium Deo Patri offerendum. *Oblatus est,* ait Isaias, *quia ipse voluit... sicut ovis ad occisionem ducitur... Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum* [2]. Haec certe verba describunt sacrificium proprie dictum, ut optime probat *Knabenbauer* [3].

b) In Novo Testamento disertius adhuc res definitur. Cum Joannes vidisset Jesum venientem ad se ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [4]. Et Apostolus: *Etenim Pascha nostrum* (agnus paschalis) *immolatus est Christus* [5]. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* [6]. *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est* [7]. Nequit sacrificium proprie dictum clarius significari.

2) *Ex SS. Patribus. Tertullianus:* «Hunc (Christum) enim oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est» [8]. *S. Augustinus:* «Verus ille mediator... homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere... Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio» [9].

3) *Ex ratione theologica.* a) Christus Dominus constitutus est a Deo excellentissimus sacerdos, ut diserte probavimus supra. *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum* [10]. Munus autem praecipuum sacerdotis est offerre sacrificium; *constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [11]. Ergo Jesus Christus verum ac proprium sacrificium obtulit Deo Patri.

b) Omnes conditiones, quae requiruntur ad verum sacrificium, adsunt in morte Christi. Adest etenim α) *materia remota* seu victima, substantia scilicet sensibilis, Jesus Christus, persona divina, quatenus homo est; β) *materia proxima* seu destructio substantiae sensibilis, quae

[1] Cfr. **Franzelin,** *De Verbo incarnato*, th. 51.
[2] *Is.*, 53, 7-10. Cfr. **Condamin,** *Le livre d'Isaie*, c. 53, v. 10; *Critique litteraire*, p. 343.
[3] *In Isaiam*, 53, 7-10.
[4] *Joan.*, 1, 29.
[5] *I Cor.*, 5, 7.
[6] *Hebr.*, 9, 28.
[7] *Hebr.*, 13, 12.
[8] *Adv. jud.*, c. 13; ML **2,** 676.
[9] *De civ. Dei*, lib. 10, c. 20; ML **41,** 298.
[10] *Hebr.*, 7, 28.
[11] *Hebr.*, 5, 1.

http://www.obrascatolicas.com

effecta est per mortem Christi. γ) *legitimus minister*, ipse Christus, qui, ut dicit *S. Augustinus*, in forma Dei sacrificium sumit, sed in forma servi sacrificium obtulit. δ) *Oblatio sensibilis Deo facta*, quia Christus *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* [1]. Apposite ad rem *S. Augustinus:* «Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio; cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus verusque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat et quod offerebat» [2].

Si dicas Christum Dominum non se occidisse, ut foret minister legitimus sacrificii crucis, respondetur in sacrificiis legitimum ministrum offerre quidem sed plerumque non immolare victimam per se ipsum. Hoc enim saepe peragit per alias causas instrumentales. Unde Christus fuit verus minister sacrificii crucis se ipsum immaculatum offerens, et tortores fuerunt causae instrumentales. Ad rem *Angelicus:* «Passio Christi ex parte occidentium ipsum fuit maleficium; sed ex parte ipsius ex caritate patientis fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi, qui eum occiderunt» [3].

886. Scholion. Hoc Christi in cruce sacrificium fuit 1) *latreuticum*, quia ordinatum ad agnoscendum supremum Dei dominium; 2) *eucharisticum*, quia Deum glorificavit; 3) *propitiatorium*, quia nos liberavit a peccatis; et 4) *impetratorium*, quia gratiam et gloriam nobis meruit.

ARTICULUS II

UBINAM CONSUMMATUM FUERIT SACRIFICIUM CHRISTI

887. Nota. 1) Aliqui protestantes docuerunt sacrificium Christi incepisse in cruce sed completum fuisse per oblationem in caelo factam. Ita *E. K. A. Riehm* [4].

2) Nonnulli catholici, admittentes, ut par est, mortem Christi in cruce fuisse verum sacrificium, dicunt Christum etiam in caelo offerre Deo verum sacrificium. Et hoc dupliciter:

a) *Thalhofer* [5], qui sacrificium non in genere signi sed in actu interno obedientiae essentialiter ponit, vult Christum in caelo verum sacrificium offerre, cum mortem suam et opera exhibet Patri.

b) Clarissimi auctores *p. de Condren* et *Thomassinus* [6] docent sacrificium Christi *consecratione* et *oblatione* in primo instanti conceptionis incepisse, *immolatione* in cruce peractum fuisse, et post resurrectionem *communione* perenniter in caelo duraturum esse. «Catholicum istud, inquit *Thomassinus*, est sacrificium, orbem omnem singulasque ejus plagas complectitur; initia ejus coeptantur in terris, progressus pervadunt ad inferos, perfectio et finis sine fine caelos occupat. Propria tamen ejus sedes et regio caelum est, et caeleste omnino ipsum sacrificium est» [7].

[1] *Hebr.*, 9, 14.
[2] *De Trinitate*, lib. 4, c. 14; ML **42**, 901.
[3] *III p.*, q. 48, a. 3 ad 3.
[4] *Der Lehrbegriff des Hebraerbriefes*, Halle 1867.
[5] *Das Opfer des Alten und Neuen Bunds*, 201 sqq.; et *Handbuch der Katholischen Liturgik*, 195 sqq.
[6] **Condren,** *L'idée du sacerdoce et du sacrifice de J. C.*; **Thomassinus,** *De incarn.*, lib. 10, c. 9 sqq.
[7] *De incarnat.*, lib. 10, c. 11, n. 13.

888. THESIS. **Sacrificium Christi per solam ejus passionem et mortem consummatum est in cruce.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Praeclare docet Apostolus sacrificium Christi perfectum fuisse in cruce. *Non habet*, inquit, *necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes... hostias offerre... hoc enim fecit semel se ipsum offerendo* [1]. Rursum: *Omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias... hic autem unam pro peccatis offerens hostiam* (postquam unam obtulit hostiam), *in sempiternum sedet in dextera Dei... una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* [2].

2) *Ex ratione.* Sacrificium, ut jam superius diximus, est actus cultus externi et publici, oblatio scilicet rei sensibilis cum aliqua immutatione ejusdem. Actus autem internus obedientiae, quem ponit Thalhofer, non pertinet ad cultum externum, et actus, quo Christus exhibet in caelo vulnera et mortem Patri, nullam importat corporis immutationem. Ergo Christus in caelo non offert sacrificium.

Dominus quidem Jesus semper vivit ad interpellandum pro nobis in caelo, offerens Patri sacrificium in cruce peractum, sed haec oblatio non habet rationem veri sacrificii.

Sancti Patres tum latini tum graeci, quos congerit Thomassinus in favorem suae sententiae, hanc Christi oblationem in caelo admittunt, sed non videntur amplius docere.

QUAESTIO LXIV

DE MERITO CHRISTI

ARTICULUS I

AN, QUANDO ET QUIBUS ACTIBUS CHRISTUS MERUERIT

889. Status quaestionis. Meritum est *opus bonum retributione dignum*. Eo praecipue distinguitur a satisfactione, quod tendit ad acquirendum debitorem erga nos, dum satisfactio supponit nos debitores erga alterum.

Si bono operi debeatur praemium ex justitia, habebis meritum de condigno, si ex decentia, meritum de congruo.

Quaerimus hic, an et quibus actibus meruerit Christus mercedem de condigno.

890. THESIS I. **Christus Dominus, dum vitam in terris ageret, vere aliquid meruit de condigno.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus saepe docuit praemium collatum fuisse Christo propter opera meritoria. *Videmus Jesum*, inquit,

[1] *Hebr.*, 7, 27.
[2] *Hebr.*, 10, 11 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

propter passionem mortis gloria et honore coronatum [1]. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum* [2].

2) *Ex Concilio Tridentino.* «Justificationis causae sunt... meritoria... dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster, Jesus Christus, qui... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit» [3]. «Si quis dixerit homines sine Christi justitia, *per quam nobis meruit,* justificari... a. s.» [4].

3) *Ex ratione.* In operibus Christi salvantur omnes conditiones, quae ad meritum de condigno requiruntur. Actus siquidem Christi fuerunt a) *ex parte operis,* positivi, honesti ac liberi; b) *ex parte subjecti,* viatoris, justi et amici Dei; c) *ex parte Dei,* accepti ad praemium. Unde certo tenendum est Christum vere et proprie meruisse.

Dices. 1) Beati, utpote constituti in termino, nequeunt aliquid mereri. Sed anima Christi fuit semper beata. Ergo Christus nihil potuit mereri.

Resp. Christus in terris fuit beatus simul et viator; et quatenus viator vere meruit.

Dices. 2) Merens semper est inferior praemianti. Nihil enim possumus ab inferioribus mereri. Sed Christus, utpote Deus, non erat inferior Patri. Ergo.

Resp. Christus ut persona divina non fuit minor Patre, et actibus divinis nihil potuit mereri. Sed simul fuit homo habens naturam humanam hypostatice sibi unitam, et exercebat actus theandricos, quibus vere meruit.

891. THESIS II. **Christus a primo instanti suae conceptionis usque ad extremum vitae, seu quamdiu erat viator, meruit in hoc mundo, non autem in ipsa morte.**

Nota. 1) Veteres quidam theologi, quibus suffragari videtur *S. Bonaventura* [5], dixerunt Christum in primo instanti suae conceptionis non meruisse. Ita *S. Albertus Magnus* et alii [6].

2) *Cajetanus* cum aliis paucis docuit Christum in ipso etiam instanti mortis meruisse, quatenus mors terminat in fieri [7].

3) Existimavit *Vazquez* Christum post mortem, absolute loquendo, non sibi sed aliis mereri potuisse [8].

4) Communiter tenent theologi Christum toto eo tempore quo fuit viator, adeoque a primo instanti suae conceptionis usque ad finem vitae, meruisse, non tamen in ipso instante mortis. Videri possunt *Lugo, Gonet, Billuart* et alii [9].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Jesus Christus *ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... Tunc*

1 *Hebr.*, 2, 9.
2 *Philipp.*, 2, 8.
3 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.**, 799.
4 *Sess.* 6, can. 10; **Denz-Bannw.**, 820.
5 *In III Sent.*, dist. 18, a. 1, q. 1.
6 **S. Albertus M.**, *In III Sent.*, dist. 18, a. 6.
7 *In III p.*, q. 50, a. 6.
8 *In III p.*, disp. 76, c. 1, n. 3.
9 **Lugo**, *De incarnat.*, disp. 27, sect. 4; **Gonet**, *De incarnat.*, disp. 21, a. 1, § 4; **Billuart**, *De incarnat.*, diss. 19, a. 1.

dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam [1].

2) *Ex ratione.* Christus vere meruit toto eo tempore, quo fuit viator et liber. Fuit autem viator et liber tam in primo instanti suae conceptionis, quam toto vitae decursu usque ad extremum vitae. Ergo. Rationem fundamentalem hujus doctrinae adducit *Angelicus* dicens: «Subito enim et in instanti perficitur operatio intellectus et voluntatis magis quam visio corporalis, eo quod intelligere, velle et sentire non est motus, qui sit actus imperfecti, quod successive perficitur, sed est actus jam perfecti, ut dicitur in 3 de anima, text. 28. Et ideo dicendum est, quod Christus in primo instanti suae conceptionis habuit usum liberi arbitrii» [2].

Non tamen meruit in ipsa morte nec post mortem. Hoc videtur innuisse ipse Christus, cum ait: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari* [3].

Ratio quoque confirmat. Nemo enim meretur, nisi sit viator. In instanti autem mortis et post mortem nemo vivit nec est viator, quia instans mortis, proprie loquendo, est extra terminum vitae, et viventia moriuntur per primum sui non esse, seu per separationem animae et corporis, quando mors est in facto esse. *Angelicus* ad rem. «De morte Christi dupliciter loqui possumus, uno modo secundum quod est in fieri, alio modo secundum quod est in facto esse. Dicitur autem mors esse in fieri, quando aliquis per aliquam passionem, vel naturalem vel violentam, tendit in mortem, et hoc modo idem est loqui de morte Christi et de passione ipsius. Et ita secundum hunc modum mors Christi causa est salutis nostrae, secundum id quod de passione supra dictum est, q. 49. Sed in facto esse mors Christi consideratur, secundum quod jam facta est separatio corporis et animae; et sic nunc loquimur de morte Christi. Hoc autem modo mors Christi non potest esse causa salutis nostrae *per modum meriti*» [4].

Si quando legitur Christum per mortem suam nobis meruisse vel pro peccatis satisfecisse, explicandum est. Si sermo sit de morte Christi in fieri verum est, si loquamur de morte in facto esse, falsum.

892. Scholion. Sancti Patres aliquando videntur vulneri Christi, imo et sanguini et aquae profusis ex latere ejusdem, tribuere meritum, sed intelligendi sunt de merito, quod Christus habuit in vita, cum praevidit et obtulit Patri vulnus lateris sui, ex quo manaturi erant sanguis et aqua.

893. THESIS III. **Christus omnibus humanae voluntatis actibus liberis, sive naturalibus sive supernaturalibus, imo actu amoris Dei et obedientiae ad Patrem, vere meruit.**

Nota. 1) Theologi communiter docent Christum omnibus actibus tam naturalibus quam supernaturalibus liberis suae humanae voluntatis aliquid meruisse [5].

1 *Hebr.*, 10, 5 sqq.
2 *III p.*, q. 34, a. 2.
3 *Joan.*, 9, 4.
4 *III p.*, q. 50, a. 6.
5 Cfr. **Joannes a S. Thoma**, *In III p.*, q. 19, disp. 17, a. 2.

http://www.obrascatolicas.com

2) Multo communius defendunt etiam doctores contra *Lugo* et alios [1] Christum actibus virtutum naturalium meruisse formaliter *mercedem supernaturalem*.

3) Communius affirmant theologi contra *Vazquez* et alios paucos, Christum vere meruisse per actum amoris Dei. Sed cum ad actum meritorium requiratur libertas, quomodo Christus Deum, quem intuitive videt, libere amet, valde controvertitur.

a) *Mastrius* haec habet ad rem: «Sicut Christus ex speciali privilegio erat simul viator et comprehensor, ita etiam speciali quodam modo merebatur; adeo ut in ejus actibus, ut meritorii essent, sola libertas remota erat sufficiens ex intrinseca voluntatis indifferentia derivata, qualis etiam in actu ipso amoris beatifico reperitur, et minime necessaria erat libertas proxima, et expeditus libertatis usus ad operandum et non operandum, sicut requiritur in puro viatore... Amor ergo Christi erga Deum etiam beatificus, qua parte erat necessarius, non erat meritorius, sed ex ea parte qua erat liber libertate remota ibi declarata» [2].

Haec opinio non videtur satis fundata, quia actus non sunt liberi ex libertate remota, sed ex libertate proxima ad usum expedita. Nec dispensatio et privilegium ad hoc aliquid valent.

b) Alii dicunt Christum meruisse amore Dei, quatenus hic amor regulabatur, non a scientia beata, sed a scientia infusa. Ita *Suarez, Philippus a SS. Trinitate* et alii [3].

Hic dicendi modus probabilitate non caret, sed puto libertatem atque meritum Christi potuisse salvari in ipso amore beatifico, eo modo quo Deus est liber, quatenus se ipsum respicit sub ratione diligendi creaturas. Unde Christus secundum *S. Thomam* «caritate eadem fruebatur et merebatur» [4].

c) Juxta alios amor beatificus Christi fuit liber et meritorius, prout solum terminabatur ad bona extrinseca gloriae et honoris Dei, non vero prout referebatur ad bona Dei interna. Sic *Lugo* et alii [5].

In hac sententia explicari nequit, qua ratione beati in patria non mereantur amore beatifico.

d) Alii docent Christum in terris habuisse duplicem amorem Dei regulatum a visione beatifica. Unum necessarium quo Deum diligebat quoad perfectiones necessarias, et alterum liberum ac meritorium quo Deum diligebat sub ratione finis creaturarum et munere diligendi eas. Ita *Salmanticenses* [6].

e) Alii denique existimant amorem quo Christus diligebat Deum in se quoad perfectiones necessarias, fuisse necessarium et non meritorium, sed quo diligebat Deum sub ratione volendi redemptionem generis humani, vel ut est ratio diligendi creaturas, fuisse liberum ac meritorium. Ita *Gonet, Joannes a S. Thoma* [7].

Hi duo ultimi modi dicendi parum differunt et satis videntur difficultatem solvere.

Pars 1.ª Actibus supernaturalibus liberis vere meruit Christus.

Apostolus certe hoc docuit dicens: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* [8].

[1] *De incarnat.*, disp. 27, sect. 1, n. 7.
[2] *In III Sent*, disp. 3, q. 10, a. 2.
[3] **Suarez,** *De incarnat*, disp. 39, sect. 2; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnationis*, disp. 9, dub. 3.
[4] *De veritate*, q 29, a. 6 ad 6.
[5] *De mysterio incarnationis*, disp. 27, sect. 1, n. 4.
[6] *De incarnatione*, disp. 27, n. 53.
[7] **Gonet,** *De incarnat*, disp. 21, n. 49; **Joannes a S. Thoma,** *In III p.*, disp. 17, a. 3, n. 13.
[8] *Philipp.*, 2, 8-9.

S. Thomas idem docet: «Quamvis meritum Christi quamdam infinitatis rationem habeat ex dignitate personae, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest» [1].

Pars 2.ª Actibus liberis virtutum naturalium merebatur Christus mercedem supernaturalem.

Ratio est, quia actus virtutum naturalium in Christo erant honesti ac liberi, et ob unionem ad personam divinam, a qua eliciebantur, fiebant digni praemio tum naturali tum supernaturali. Unde non videtur audiendus *Lugo* [2], dum defendit Christum actibus naturalibus virtutum formaliter non meruisse mercedem supernaturalem.

Pars 3.ª Christus continuo meruit per actum amoris Dei, in quantum diligebat Deum sub ratione diligendi creaturas.

Deus ipse dicitur et est liber, in quantum diligit se sub ratione terminandi et diligendi creaturas, ut probavimus in tractatu *De Deo uno*, n. 350. Ergo a pari amor Dei in Christo, quatenus ferebatur in Deum sub ratione terminandi et diligendi creaturas, erat liber ac meritorius.

Pars 4.ª Actibus obedientiae, quibus adimplebat praecepta Patris, meruit Christus.

Diximus superius Christum accepisse vera praecepta Patris, et in eis adimplendis fuisse omnino liberum. Christus autem omnibus actibus liberis merebatur coram Deo.

894. Corollarium. Ex his facile colligunt theologi Christum vere meruisse non solum per actus dilectionis Dei, et obedientiae ad Patrem, ut erant actus supernaturales, sed etiam per opera virtutum moralium humilitatis, patientiae, mortificationis, etc., imo etiam per omnes actiones elicitas sive a voluntate deliberata, sive ab appetitu sensitivo, et productas a potentiis naturalibus, ut sunt nutritio et augmentatio. Quia voluntas humana Christi ob perfectum dominium, quod habebat supra se ipsum, intime concurrebat ad praedicta opera et actiones.

ARTICULUS II

QUAENAM CHRISTUS SIBI MERUERIT

895. Status quaestionis. 1) Agimus hic de objecto meriti Christi respectu sui ipsius.

2) Alibi dictum est Christum non sibi meruisse substantiam incarnationis, bene tamen aliquas ejus circumstantias.

3) Hic quaerimus, an sibi meruerit a) gratiam habitualem, dona eam consequentia et gloriam essentialem; b) gloriam corporis et nominis exaltationem.

[1] *De veritate*, q. 29, a. 5 ad 4.
[2] *De mysterio incarnat.*, disp. 27, sect. 1, n. 7.

http://www.obrascatolicas.com

896. Error. *Calvinus* vesania, qua ferebatur in scholasticos, ductus haec scripsit: «Quaerere vero, an sibi ipse (Christus) meruerit, quod faciunt Lombardus et scholastici, non minus stulta est curiositas, quam temeraria definitio, ubi hoc idem adserunt. Quid enim opus fuit descendere unicum Dei Filium, ut sibi acquireret quidquam novi?» [1].

897. Placita theologorum. 1) Veteres theologi *S. Albertus M., Altisiodorensis* et alii [2], credentes melius ac gloriosius haberi aliquid ex merito quam sine merito, dixerunt Christum de facto meruisse gloriam essentialem. Quam opinionem approbat *Platellius*, et addit: «idem dicendum de gratia habituali et habitibus supernaturalibus eam concomitantibus, quod nempe eam meruerit, si gloriam essentialem sibi meruerit» [3].

2) Alii multo communius tenent Christum non sibi meruisse primam gratiam habitualem ac dona eam concomitantia, nec gloriam essentialem, bene tamen gloriam corporis, resurrectionem, ascensionem, et nominis exaltationem. Ita *S. Thomas, S. Bonaventura, Philippus a SS. Trinitate, Billuart, Josephus a Matre Dei, Muncunill* et alii [4].

3) Ex his tamen aliqui concedunt Christum de potentia Dei absoluta potuisse primam gratiam habitualem et gloriam essentialem sibi mereri, Ita *Suarez, Philippus a SS. Trinitate, Joannes a S. Thoma, Gonet, Mastrius* et alii [5].

898. THESIS I. **Christus de facto non sibi meruit primam gratiam habitualem, dona eam concomitantia et gloriam essentialem; de potentia tamen Dei absoluta potuit ea sibi mereri.**

Pars 1.ª Christus ea de facto non meruit.

Ratio est, quia primam gratiam habitualem, dona eam concomitantia et gloriam essentialem Christus habuit a primo instanti suae conceptionis per modum naturae seu per modum proprietatum unionis hypostaticae. Quae autem habentur per modum naturae et proprietatum alicujus, praecedunt ejus operationem ac meritum.

Pars 2.ª De potentia Dei absoluta potuit Christus primam gratiam habitualem, dona eam concomitantia et gloriam essentialem mereri.

1) *Quoad primam gratiam habitualem.* De potentia Dei absoluta potuit Christus adsumere naturam humanam gratia habituali destitutam. Hoc in casu operationes humanae Christi, utpote gratia unionis informatae et a persona divina elicitae, fuissent infiniti valoris et meritoriae cujuscumque praemii etiam gratiae habitualis. Unde axioma: *prima gratia non cadit sub merito*, intelligitur de prima gratia puri hominis, in quo gratia habitualis est necessario principium meriti, non de

[1] *Institut.*, lib. 2, c. 17, n. 6.
[2] **S. Albertus M.**, *In III Sent.*, dist. 18, a. 11; **Altisiodorensis**, *Summa*, lib. 3, tr. 1, c. 7.
[3] *De Verbi div. incarnat.*, n. 349.
[4] **S. Thomas**, *III p.*, q. 19, a. 3; **S. Bonaventura**, *In III Sent.*, dist. 18, a. 2, q. 1; **Philippus a SS. Trinitate**, *De mysterio incarnat.*, disp. 9, dub. 6; **Billuart**, *De incarnat.*, diss. 19, a. 2; **Josephus a Matre Dei**, *Cursus triennalis*, tr. 10, disp. 3, dub. 2; **Muncunill**, *De Verbi div. incarnat.*, n. 904.
[5] **Suarez**, *In III p.*, disp. 40, sect. 1; **Philippus a SS. Trinitate**, *De mysterio incarnat.*, disp. 9, dub. 6; **Joannes a S. Thoma**, *In III p.*, disp. 18, a. 1, concl. 3; **Gonet**, *De incarnat.*, disp. 21, a. 5, § 4; **Mastrius**, *In III Sent.*, disp. 3, q. 11, a. 1.

prima gratia Christi, in quo ante gratiam habitualem potuit gratia unionis esse principium meriti. Quae autem diximus n. 678 intelligenda sunt de potentia Dei ordinaria et in ordine stabilito.

2) *Quoad dona concomitantia et gloriam essentialem.* Supposito quod Christus meruerit primam gratiam habitualem, sponte sequitur ipsum potuisse mereri dona gratiam concomitantia et gloriam essentialem, quae non est nisi gratia consummata.

899. THESIS II. **Christus vere sibi meruit gloriam accidentalem animae, gloriam corporis, resurrectionem, ascensionem et sui nominis exaltationem.**

Ratio in genere est, quia, cum Christus conceptus ac natus fuerit sine his perfectionibus, gloriosius ipsi fuit eas per meritum habere quam gratuito accipere.

De singulis pauca.

1) *Gloriam accidentalem animae* meruit Christus in conversione peccatorum et salvatione justorum.

2) *Gloriam corporis* sibi meruisse adserit ipse Christus dicens: *Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* [1].

3) *De resurrectione Christi* ait *S. Augustinus:* «Justum enim erat, ut innocentem occisum, et cui retributa sunt mala pro bonis, resuscitaret a mortuis» [2].

4) *Ascensio Domini* pertinet ad gloriam corporis.

5) Meritum denique exaltationis nominis Christi explicant illa verba Apostoli: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* [3].

Alias quoque perfectiones, ut judiciariam potestatem, gloriam Redemptoris, etc., quas longum foret singillatim referre, certe meruit Christus.

ARTICULUS III

QUID MERUERIT CHRISTUS ANGELIS ET HOMINIBUS

900. Status quaestionis. Certo tenendum est Christum Dominum, non solum sibi, sed et aliis aliquid meruisse, quia gratia habitualis, quae est principium meriti, fuit in Christo a) sicut in homine singulari ad sibi merendum, et b) sicut in capite totius Ecclesiae ad merendum aliis.

Disputatur quid singulis meruerit.

901. THESIS I. **Christus non meruit angelis primam gratiam habitualem nec gloriam essentialem.**

Nota. 1) Aliqui defendunt Christum meruisse angelis primam gratiam habitualem et gloriam essentialem. Ita ex Societate *Suarez*, ex scoti-

[1] *Luc.*, 24, 26.
[2] *In ps.* 3, n. 4; ML 36, 74.
[3] *Philipp.*, 2, 8 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

stis *Poncius, Bellutus* et *Mastrius;* et ex thomistis *Philippus a SS. Trinitate* et *Laurentius a S. Theresia* [1].

2) Alii communius et probabilius negant. Ita *S. Thomas, Soto, Alvarez, Vazquez, Molina, Contenson, Becanus, Salmanticenses* et alii [2].

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* In epistola ad hebraeos legitur: *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis... Et iterum... Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum; et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* [3]. *Nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit* [4]. Ex his constat Christum et eos, qui per ipsum sanctificati sunt, fuisse *fratres, carni et sanguini communicasse,* et, qui *timore mortis... obnoxii erant servituti,* per mortem Christi liberatos fuisse. Angeli autem, utpote natura distincti, non fuerunt fratres Christi, nec communicaverunt carni et sanguini, nec liberati sunt a servitute.

2) *S. Gregorius:* «Cujus incarnationis mysterium quia et electi angeli mirati sunt, qui eodem mysterio redempti non sunt» [5].

3) *S. Thomas:* «Non influit Christus angelis removendo prohibens aut merendo gratiam» [6]. «Angeli autem non sunt viatores quantum ad praemium essentiale, et ideo quantum ad hoc nihil eis meruit» [7].

4) *Ex ratione.* Decretum sanctificationis et glorificationis angelorum praecedit decretum incarnationis Verbi. Ergo Christus non meruit angelis primam gratiam habitualem et gloriam essentialem.

902. THESIS II. **Christus vere meruit angelis praemium accidentale.**

«Sunt autem (angeli), ait *Angelicus,* aliquo modo, viatores respectu praemii accidentalis, in quantum nobis ministrant, ad quod valet eis meritum Christi. Unde dicitur ad ephesios, 1, 10, quod per eum restaurantur, quae in caelis et quae in terra sunt» [8].

Angeli revera in caelo gaudent de conversione peccatorum, de sanctificatione justorum, de gloria sanctorum. Hoc autem gaudium fuit certe praemium accidentale meritorum Christi.

---

[1] **Suarez,** *In III p.,* q. 19, disp. 42, sect. 1, n. 4; **Poncius,** *Theol. cursus integer,* disp. 38, q. ult.; **Bellutus,** disp. 14, q. 14, n. 37; **Mastrius,** *In III Sent.,* disp. 3, q. 13, a. 2; **Philippus a SS. Trinit.,** *De myst. incarn.,* disp. 9, dub. 7; **Laurentius a S. Theresia,** *De incarnat.,* controv. 15, n. 37 sqq.

[2] **S. Thomas,** *In III Sent.,* dist. 13, q. 2, a. 2; et *III p.,* q. 59, a. 6; **Soto,** *In IV Sent.,* dist. 49, q. 4, a. 2; **Alvarez,** *De auxiliis,* disp. 40; **Vazquez,** *In III p.,* disp. 49, c. 2; **Molina,** *In I p.,* q. 63, a. 3, membro 5, circa 7 concl.; **Contenson,** *De incarnat.,* diss. 4, c. 2, specul. 3; **Becanus,** *De incarnat.,* c. 14, q. 9; **Salmanticenses,** *De incarnat.,* disp. 28, n. 119.

[3] *Hebr.,* 2, 11 sqq.

[4] *Hebr.,* 2, 16.

[5] *Moral.,* lib. 28, c. 13, n. 33; ML **76,** 467.

[6] *In III Sent.,* dist. 13, q. 2, a. 2, sol. 1.

[7] *De veritate,* q. 29, a. 7 ad 5.

[8] *De veritate,* q. 29, a. 7 ad 5.

903. THESIS III. **Christus non meruit Adamo justitiam originalem et dona supernaturalia ipsam concomitantia ante peccatum.**

Nota. 1) *Suarez, Valentia, Laurentius a S. Theresia* [1] et omnes illi theologi qui defenderunt Christum incarnatum iri etiam in suppositione, qua Adamus non peccaret, docuerunt Christum meruisse Adamo primam gratiam sanctificantem et dona supernaturalia status innocentiae.

2) Alii tamen multo communius id negant. Videri possunt *Joannes a S. Thoma, Salmanticenses* et alii [2].

Arg. 1) *S. Augustinus* gratiam Adami innocentis in eo distinguit a gratia nostra, quod prima fuerit a Deo collata, altera vero a Christo concessa. «Adam non habuit gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem: ille in bonis erat, quae de bonitate sui conditoris acceperat... Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis haec gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: *Libera nos a malo (Matth.,* 6, 13). Ille in illis bonis Christi morte non eguit, istos a reatu et haereditario et proprio illius Agni sanguis absolvit» [3].

2) Totum meritum Christi fundatur in decreto Redemptoris venturi, et non influit nisi in gratias, quae hoc decretum supponunt. Sed prima gratia Adami, utpote ante praevisionem incarnationis collata, non fuit medicinalis, nec supposuit decretum Redemptoris venturi. Ergo.

904. THESIS IV. **Merita Christi fuerunt causa praedestinationis hominum.**

Nota. 1) Praedestinatio, ut diximus et explicuimus in tractatu *De Deo uno,* n. 397, definitur: *Ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae in mente divina ab aeterno exsistens.*

2) Disputatur, an Christus meruerit hominibus hanc praedestinationem.

a) *Scotus* et scotistae negant absolute [4].

b) Alii docent praedestinationem nostram, quatenus importat divinam dilectionem esse quidem ex meritis Christi, non vero, quatenus dicit electionem unius prae alio ad gloriam. Ita *Suarez* et *Franciscus Lugo* [5].

c) Alii denique defendunt Christum meruisse totam absolute hominum praedestinationem. Ita *S. Thomas* [6], et thomistae communiter [7], et ex extraneis *Valentia, Vazquez, Lessius* et alii [8].

Arg. 1) Apostolus: *Sicut elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem... qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum*

---

[1] **Suarez,** *In III p.,* disp. 41, sect. 1, n. 11; **Valentia,** *In III p.,* disp. 1, q. 19, p. 4; **Laurentius a S. Theresia,** *De incarnat.,* controv. 15, § 6, n. 37.

[2] **Joannes a S. Thoma,** *In III p.,* q. 8, disp. 10, a. 2, resolutio dubii; **Salmanticenses,** *De incarnat.,* disp. 16, dub. 4.

[3] *De corrept. et grat.,* c. 11; ML **44,** 933.

[4] **Scotus,** *In III Sent.,* dist. 19, q. un., n. 6, § «In ista quaestione»; **Mastrius,** *In III Sent.,* disp. 3, q. 13, a. 1.

[5] **Suarez,** *In III p.,* disp. 41, sect. 4; et *De praedest.,* lib. 1, c. 12, n. 8; **Franciscus Lugo,** *De Deo uno,* lib. 1, disp. 41, c. 3, n. 5.

[6] *III p.,* q. 24, a. 4; et *In III Sent.,* dist. 10, q. 3.

[7] Cfr. **Joannes a S. Thoma,** *In I p.,* disp. 8, a. 6; et **Andreas a Cruce,** *In I p.,* disp. 146.

[8] **Valentia,** *In III p.,* disp. 1, q. 19, p. 4; **Vazquez,** *In I p.,* disp. 94; **Lessius,** *De praedestinatione Christi,* sect. 3, assert. 2.

http://www.obrascatolicas.com

Christum in ipsum [1]. His verbis diserte adserit Apostolus praedestinationem, saltem ad gratiam, etiam ut complectitur electionem, esse per Christum, et idem videtur dicendum de praedestinatione et electione ad gloriam.

2) *Ex ratione.* Decretum incarnationis Christi dedit Deus et consequenter merita Christi praevidit antecedenter ad praedestinationem hominum. Ergo Christus meruit praedestinationem hominum. «Juxta hanc doctrinam, ait ad rem *Andreas a Cruce*, ita ordinandus est ordo, quem Deus servavit in mente sua in praedestinatione Christi et nostra, ut in primo signo rationis ad manifestanda sua attributa decreverit creare hominem rectum, simulque desiderasse simplici affectu beatificare illum, si in gratia accepta perseveraret. In secundo signo, ut ostenderet gratiam homini collatam non fuisse illi debitam, sed misericorditer donatam, decrevit permittere peccatum. In tertio instanti seu signo vidit peccatum hominis. In quarto decrevit liberare hominem per condignam satisfactionem exhibendam... Et tandem in sexto, visis meritis Christi et cognitis ut futuris, elegit aliquos homines ad gloriam in effectu consequendam, et ab hoc signo coepit nostra praedestinatio» [2].

905. THESIS V. **Christus meruit hominibus post lapsum omnes dispositiones ad justificationem, gratiam sanctificantem, remissionem peccatorum, gratias post justificationem et gloriam aeternam.**

1) *Dispositiones ad justificationem.*

Capreolus, Ferrariensis [3] et alii hoc negaverunt, sed horum doctrinam merito vocat *Pesch* «sane miram» [4].

Apostolus diserte hoc docuit dicens: *Qui* (Deus) *nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo ante tempora saecularia* [5].

Concilium Tridentinum «declarat praeterea ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exsistentibus meritis, vocantur, ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae libere adsentiendo et cooperando disponantur» [6]. Nemo autem negaverit omnes dispositiones ad gratiam pertinere ad exordium justificationis.

2) *Gratiam sanctificantem.* Nam S. Paulus ait: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo* [7].

---

1 *Ephes.*, 1, 4-5.
2 *De Deo uno*, disp. 146, n. 3980.
3 **Capreolus**, *In III Sent.*, dist 18, q. un., a. 3, § «Advertendum tamen»; **Ferrariensis**, *Contra Gent.*, lib. 4, c. 55 ad 7, «An autem requiratur».
4 *De Verbo incarnato*, n. 460.
5 *II Tim.*, 1, 9.
6 *Sess.* 6, c. 5; **Denz-Bannw.**, 797.
7 *Ephes.*, 1, 3.

3) *Remissionem peccatorum.* Est de fide definitum in Concilio Tridentino his verbis: «Si quis hoc Adae peccatum... per aliud remedium adserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio... a. s.» [1].

4) *Gratias post justificationem.* Ipse Christus clare hoc docuit dicens: *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* [2]. Hunc locum authentice declaravit Concilium Tridentinum his verbis: «Cum enim ille ipse Jesus Christus tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites in ipsos sanctificatos virtutem jugiter influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent, nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur» [3].

5) *Gloriam aeternam* justis conferri ex meritis Christi adserit Apostolus dicens: *Multo magis abundantiam gratiae, et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum... Ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam per Jesum Christum Dominum nostrum* [4].

QUAESTIO LXV

DE SATISFACTIONE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS VERE ET PROPRIE PRO NOBIS SATISFECERIT

906. Status quaestionis. 1) Satisfactio proprie dicta in theologia et in jure est: *Solutio voluntaria debiti ex intrinsecis ad aequalitatem.*

2) Qui creditorem praedicatione, consilio et exemplo movet ad remittendum debitum, non proprie sed metaphorice satisfacit. Et qui partem solummodo debiti solvit, remissa per gratiosam creditoris acceptationem differentia, improprie satisfacit. Unde ad propriam satisfactionem requiritur solutio debiti ad aequalitatem.

3) Porro aequalitas attenditur ex duplici capite: a) *ex capite materiae*, quae consistit in integritate solutionis aequivalentis ex debito, adeo ut pretium, quod solvitur, aequivaleat debito, si non semper commensuratione arithmetica et quantitativa, saltem geometrica et proportionali, sufficienti ab intrinseco ad extinguendum debitum; b) *ex parte*

---

1 *Sess.* 5, can. 3; **Denz-Bannw.**, 790.
2 *Joan.*, 15, 5.
3 *Sess.* 6, c. 16; **Denz-Bannw.**, 809.
4 *Rom.*, 5, 17-21.

http://www.obrascatolicas.com

formae, quam exigit rigor justitiae; ut scilicet solutio fiat: *a) ad alterum; b) ex bonis propriis*, alio titulo non debitis, et sub dominio creditoris non contentis; *c) ut creditor teneatur satisfactionem acceptare.*

4) Satisfactio perfecta ex parte materiae vocatur *condigna;* et perfecta ex parte formae dicitur *ex toto rigore justitiae.*

Quaestio hic discutienda est, an Christus vere et proprie pro nobis satisfecerit.

907. Errores. 1) Protestantes liberales et hodierni rationalistae negant hominem, cum peccavit, contraxisse verum debitum erga Deum, et consequenter inficiantur veram satisfactionem Christi.

2) Sociniani dicunt Christum Dominum nullatenus Deo satisfecisse pro peccatis hominum, et ideo vocari Salvatorem nostrum, quia salutis viam verbo et exemplo nobis ostendit [1].

3) Hunc socinianorum errorem elapso saeculo partim renovarunt *Hermes* et *Güntherus*, quorum primus dicebat Deum nunquam veram satisfactionem pro peccatis nostris exegisse, et Christum venisse in mundum, ut gravitatem peccati homines doceret; alter vero contendebat Christum in hoc mundo solum laborasse, ut obedientiam restitueret hominibus.

908. THESIS I. **Christus pro nobis condigne satisfecit.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes Baptista videns Jesum exclamavit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* [2]. Apostolus: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* [3]. *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [4]. *Empti enim estis pretio magno* [5]. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum* [6].

2) Concilium Florentinum declarat «neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Jesu Christi Domini nostri» [7]. Et Concilium Tridentinum: «Dominus noster, qui, cum essemus inimici..., sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit» [8].

3) *Ex SS. Patribus. S. Cyrillus Alex.:* «Verum per utrumque Christus intelligitur, qui tum pro nobis mortuus est tum in odorem suavitatis Patri ut holocaustum oblatus, et seipsum pro universorum vita pretium impendit [9]. *S. Augustinus:* «Pretio igitur (Christus) nostrum debitum, non sua aera contraxit, chirographum sustulit, feneratorem removit, exuit debitorem; unus exsolvit, quod ab omnibus debebatur» [10].

4) *Ex ratione theologica.* Omnia opera Christi erant valoris infiniti, et ideo tantum Deo obtulerunt pretium, quantum peccata hominum demeruerunt vel Deum offenderunt. Ergo Christus condigne pro nobis Deo satisfecit. «Ille, ait ad rem *S. Thomas*, proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod aeque vel magis diligit, quam oderit offensam» [1].

1 Cfr. **Hergenröther,** *Hist. de la Iglesia*, 7.° período, c. 1, IV, 10; t. 5, p. 299; et **Wouters,** *Hist. eccl. comp.*, epoch. 11, n. 56.
2 *Joan.*, 1, 29.
3 *Gal.*, 3, 13.
4 *I Tim.*, 2, 5-6.
5 *I Cor.*, 6, 20.
6 *I Cor.*, 7, 23.
7 *Decreto pro Jacobitis;* **Denz-Bannw.,** 711.
8 *Sess.* 6, c. 7; **Denz-Bannw.,** 799.
9 *De adoratione*, lib. 15; MG **68,** 971.
10 *De Joseph Patr.*, c. 4, n. 19; ML **14,** 681.

909. Corollarium. Christus Dominus non tantum solvit debitum culpae, sed etiam poenae, quam nos debebamus ob culpam. Testimonia siquidem et rationes, quas attulimus, diserte probant Christum dedisse justum pretium pro peccatis nostris. In peccato autem duo sunt solvenda, debitum culpae et debitum poenae [2].

910. Scholion I. Quando in diversis locis S. Scripturae legeris Christum tulisse peccata nostra [3], non sic intelligas, ut Christus constitutus fuerit peccator propter nos, quod est impossibile, sed in quantum figuram peccatoris sumens, ipse poenas luit optimus.

Quando reus personaliter solvit creditori debitum, prius se agnoscit crimine infectum, et deinde tradit creditori pretium vel satisfacit offenso per opera poenalia. Sed, quando alius constituitur sponsor et vas pro reo, pretium, quod ipse offert creditori, vocatur *satisfactio vicaria.* Unde Christus offerens Deo pretium sui sanguinis pro peccatis hominum, vices egit peccatorum, non quidem adsumendo peccatum, sed in forma peccatoris offerendo Deo se ipsum.

Scholion II. Quilibet actus humanus Christi, utpote valorem habens infinitum, suffecisset ad satisfaciendum Deo pro peccatis totius mundi, sed ut amor Dei erga homines magis eluceret, et nostram erga Deum gratitudinem promoveret, voluit Christus acerbissimam sustinere passionem.

Scholion III. Christus Deo satisfecit etiam pro peccatis Patrum Veteris Testamenti. *Quem proposuit Deus*, ait Apostolus, *propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum* [4]. *Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis* [5]. Sufficiebat ad veram satisfactionem, ut ille, qui oblaturus esset pretium, praecederet sanctos in mente divina, quamvis in rerum natura sequeretur eos, pro quibus erat satisfacturus.

911. THESIS II. **Satisfactio Christi pro peccatis hominum non solum fuit condigna sed etiam superabundans.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus hoc testatur dicens: *Non sicut delictum ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit* [6]. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* [7].

1 *III p.*, q. 48, a. 2.
2 Cfr. **Pesch,** *De Verbo incarnato*, n. 427.
3 *I Petr.*, 2, 24.
4 *Rom.*, 3, 25.
5 *Hebr.*, 9, 15.
6 *Rom.*, 5, 15.
7 *Rom.*, 5, 20.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex SS. Patribus.* *S. Joannes Chrysostomus:* «Longe plura enim quam debeamus solvit Christus, et tanto plura, quanto immensum pelagus ad stillam aquae collatum majus est» [1]. *S. Anselmus:* «Pretiosior namque est vita hominis illius quam omne, quod Deus non est, et superat omne debitum, quod debent peccatores pro satisfactione» [2].

3) *Ex ratione.* Multo majus opus et Deo magis satisfactorium esse existimamus Deum physice et realiter subjici poenis ac doloribus, quam demeritorium est Deum ipsum arbitrio creaturae moraliter subjici. Deus autem realiter ac physice poenis et doloribus subjectus fuit in passione Christi, dum in peccatis hominum moraliter subjectus fuit arbitrio creaturae. Ergo satisfactio Christi fuit superabundans pro solvendo debito peccati.

912. THESIS III. **Satisfactio Christi fuit simpliciter infinita.**

Nota. Infinitum, sicut diximus in tractatu *De Deo uno*, n. 110, est id quod non habet terminum seu caret limitibus. Si limitibus undique et sub omni ratione careat, dicitur infinitum *absolute* et *simpliciter;* si in uno ordine careat limitibus, vocatur infinitum *relativum* seu *secundum quid.*

Defendimus in thesi satisfactionem Christi nullum habere terminum ac proinde nullo limite contineri et esse simpliciter infinitam.

Scotus [3] et cum eo scotistae fere communiter [4] negant valorem satisfactorium Christi fuisse simpliciter infinitum.

At extra scholam scotisticam communiter affirmant theologi.

Arg. 1) *Ex magisterio Ecclesiae.* Clemens VI expresse docet Filium Dei «in ara crucis... non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse... Thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus» [5].

2) *Ex ratione.* Valor satisfactorius operum mensuratur ex dignitate personae satisfacientis, adeo ut eo major sit valor satisfactionis, quo major fuerit dignitas satisfacientis, et valor sit infinitus, cum persona operans fuerit dignitatis infinitae. Christus autem eliciens opera satisfactoria per naturam humanam fuit persona divina dignitatis simpliciter infinitae, et secundum hanc dignitatem infinitam elevavit valorem suarum operationum.

913. THESIS IV. **Satisfactio Christi fuit universalis pro omnibus hominibus.**

Nota. Haec universalitas attenditur non solum penes sufficientiam ex parte pretii, quatenus sufficeret etiam ad liberandos daemones, sed penes *solutionem pretii* pro iis, qui erant in statu recipiendi fructum satisfactionis. Unde sensus hujus theseos est Christum per sua opera obtulisse Deo pretium superabundans pro extinguendo debito omnium hominum, et omnibus parasse media ad salutem necessaria.

1 *In ep. ad Rom.*, hom. 10, 2; MG **60**, 477.
2 *Lib. Med.*, 11; ML **158**, 765.
3 *In III Sent.*, dist. 19, q. un.
4 Cfr. **Mastrius,** *In III Sent.*, disp. 3, q. 8, a. 2, n. 288.
5 Bulla Jubilaei *Unigenitus Dei Filius*, 25 Jan. 1343; **Denz-Bannw.,** 550.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* S. Joannes ait: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* [1]. Apostolus: *Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium* [2]. *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [3]. Hunc locum explicans *Knabenbauer* merito ait: «Hanc vicariam satisfactionem esse praestitam a Christo pro omnibus explicite declaratur» [4].

2) *Ex ratione theologica.* Christus mortuus est pro omnibus hominibus, non solum fidelibus sed etiam infidelibus et parvulis, juxta illud Concilii Tridentini: «Etsi *ille pro omnibus mortuus est*, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt» [5]; et constat ex propositione 5 Jansenii ab Innocentio X damnata: «Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse» [6]. Passio autem et mors fuerunt opera praecipua Christi ad redemptionem hominum deputata, ut diserte adserit *Angelicus* [7]. Ergo satisfactio Christi fuit universalis pro omnibus hominibus.

ARTICULUS II

UTRUM SATISFACTIO CHRISTI FUERIT CONDIGNA, SUPERABUNDANS, INFINITA AC UNIVERSALIS EX VALORE INTRINSECO OPERUM CHRISTI VEL EX GRATIOSA ET EXTRINSECA ACCEPTATIONE DEI

914. Status quaestionis. Hactenus probavimus satisfactionem Christi fuisse condignam, superabundantem, infinitam atque universalem, sed restat investigandum, unde provenerit operibus Christi valor hujusmodi satisfactorius, an scilicet ex intrinsecis et propriis eorum praedicatis, vel an ex extrinseco Dei favore.

915. Placita theologorum. 1) *Scotus, Durandus, Biel, Lychetus,* et alii praesertim scotistae [8], negant opera Christi ex se et intrinsecis eorum praedicatis obtulisse Deo satisfactionem condignam, superabundantem, infinitam et universalem, sed extrinsece tantummodo et ex gratiosa Dei acceptatione.

2) Alii tamen theologi communius docent opera Christi ex intrinseca eorum ratione et ex propriis praedicatis habere valorem satisfactorium de

1 *I Joan.*, 2, 2.
2 *I Tim.*, 4, 10.
3 *I Tim.*, 2, 4-6.
4 *In I Tim.*, 2, 6.
5 *Sess.* 6, c. 3; **Denz-Bannw.,** 795.
6 **Denz-Bannw.,** 1096.
7 *Quodlib.* 2, a. 2.
8 **Scotus,** *In III Sent.*, dist. 19, q. un., n. 7, § «Quantum ergo»; **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 20, q. 2; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 19, q. un.; **Lychetus,** *In Comment. ad Scotum, in III Sent.*, dist. 19, q. un., nn. 9-11.

http://www.obrascatolicas.com

quo agimus. Consuli possunt *Guillermus Parisiensis, Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, Soto, Medina, Valentia, Vazquez, Suarez* et *Salmanticenses* [1].

916. THESIS. **Satisfactio Christi ex se et ab intrinseco, independenter a favore et acceptatione Dei extrinseca, fuit condigna, superabundans, infinita et universalis.**

Arg. 1) Testimonia S. Scripturae, conciliorum et SS. Patrum, quae supra dedimus, certe ostendunt satisfactionem Christi fuisse ex se et ab intrinseco condignam, superabundantem, infinitam et universalem. Dicunt enim opera Christi fuisse pretium redemptionis nostrae, obtulisse majus pretium quam debitum nostrum, habuisse valorem infinitum, atque exsolvisse, quod ab omnibus debebatur. Haec autem clare significant satisfactionem Christi fuisse eo modo, quo diximus, perfectam ex praedicatis propriis et intrinsecis operum Christi.

2) *Ex ratione.* a) Ratio fundamentalis hujus doctrinae est, quia principium *quod* satisfactionis Christi fuit persona divina, dignitatis infinitae, cujus operationes erant deificae, theandricae et deiviriles. Satisfactio autem praestita a persona divina habet ex intrinseco et ex propriis praedicatis valorem infinitum. Ergo.

b) Crebro dicitur a SS. Patribus et theologis incarnationem Christi fuisse simpliciter necessariam ad satisfaciendum Deo pro peccatis, quia nequibat homo purus elicere opera valoris aequivalentis offensae illatae per peccatum. Hoc autem non recte diceretur, si satisfactio, ex intrinseco carens valore condigno, deberet per favorem et acceptationem Dei evehi ad aequalitatem.

917. Scholion I. Non constat inter doctores, in quo formaliter consistat valor infinitus satisfactionis Christi, vel quae sit ratio formalis, qua satisfactio Christi aestimanda sit infiniti valoris.

1) *Haeretici monothelitae* docuerunt satisfactionem Christi fuisse compositam ex operatione divina et humana, et, qua parte erat divina, habuisse valorem infinitum.

Sed hic error merito rejicitur a catholicis, quia, ut diximus superius, natura divina et humana pariterque operationes divinae et humanae, inconfusae permanserunt in Christo. Quaestio est, qua ratione in operationibus humanis Christi inveniatur valor satisfactorius infinitus [2].

2) Alii voluerunt satisfactionem Christi habere valorem infinitum «ex parte personae, praecise ut operans est et eliciens illos actus per humanitatem sibi conjunctam», non quidem quatenus ut principium *quod* physice producit opera humana, sed quatenus persona divina ter-

[1] **Guillermus Parisiensis,** *Cur Deus homo*, cc. 6-7, p. 77 sqq. (ed. Paris, 1516); **Alensis,** *III p.*, q. 1, m. 4; **S. Thomas,** *III p.*, q. 1, a. 2 ad 2; **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 20, a. 1, qq. 3-5; **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 20, q. 1, concl. 2; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 1, a. 2; **Ferrariensis,** *Contra Gent.*, lib. 4, c. 55, «Ad evidentiam»; **Soto,** *In IV Sent.*, dist. 19, q. 1, a. 2; et *De natura et gratia*, lib. 3, c. 6; **Medina,** *In III p.*, q. 1, a. 2; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 1, p. 5; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 5, c. 2; **Suarez,** *In III p.*, disp. 4, sect. 3, concl. 3; **Salmanticenses,** *De incarnatione*, disp. 1, n. 165 sqq.

[2] Cfr. **Suarez,** *In III p.*, disp. 4, sect. 4, n. 7.

minat et sustentat naturam humanam, et «operans moraliter est quasi forma propria actionis suae, unde illam dignificat et aestimabilem reddit». Ita *Suarez* cum aliis [1].

Haec sententia ex eo saltem videtur rejicienda, quod operationibus Christi tribuat valorem infinitum propter unionem naturae humanae cum persona Verbi in Christo, quasi unio ad personam divinam conferret actibus humanis valorem aestimabilem. Sed haec denominatio videtur extrinseca, et operationes Christi habebant valorem infinitum, «quia per se ipsas procedebant a persona divina subsistente in natura humana» [2].

3) *Vera sententia* docet satisfactionem Christi ideo habuisse valorem infinitum, quia fuit operatio personae divinae, adeo ut actus humanae naturae Christi procedentes a persona Verbi ut a principio *quod*, nulla addita formalitate, per se ipsos et intrinsece fuerint valoris infiniti.

Oportet siquidem, ut valor infinitus operum Christi consistat in aliqua intrinseca et passiva eorum aestimabilitate. Haec autem intrinseca et moraliter infinita aestimabilitas ex hoc solum enascitur, quod opera Christi procedant a persona divina.

Scholion II. Ad meliorem intelligentiam eorum, quae dicta sunt, oportet elucidare, an et quomodo diversi gradus inveniri possint in valore infinito operum Christi.

Cum enim unum infinitum non sit majus alio infinito, ex dictis sequi videtur passioni et doloribus Christi tantum valoris inesse quantum minimae ejusdem operationi etiam recreativae, et Christum primo opere bono superabunde satisfecisse pro peccatis hominum, et caetera ipsam quoque passionem inutiliter sustulisse.

Haec ut probe intelligantur, notandum est excessum alicujus rei supra aliam posse esse *quantitativum* secundum magnitudinem et numerum, vel *qualitativum* secundum valorem et dignitatem. In genere quantitativo unum infinitum non potest esse majus alio, quia caret omni limite. In genere vero qualitativo unum infinitum potest esse majus altero, ut constat ex comparatione actuum humanorum Christi et operationum Dei. Actus creati Christi, utpote producti et dignificati a persona divina, habent valorem simpliciter infinitum, sed non pertingunt ad valorem et dignitatem actionum increatarum Dei.

ARTICULUS III

UTRUM SATISFACTIO CHRISTI PRO NOBIS FUERIT SECUNDUM RIGOREM JUSTITIAE ET AD APICES JURIS

918. Status quaestionis. 1) Satisfactio appellatur secundum rigorem justitiae, quando solutio est perfecta ex capite formae, id est: a) ad alterum; b) ad aequalitatem; c) ex bonis propriis, alio titulo non debitis, et sub dominio creditoris non contentis; d) cum obligatione ex parte creditoris acceptandi satisfactionem.

[1] *In III p.*, disp. 4, sect. 4, n. 17.

[2] Cfr. **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 1, n. 181.

http://www.obrascatolicas.com

2) Non parum disputatur inter theologos, an in satisfactione, quam Christus obtulit Deo pro nobis, servatae fuerint hae conditiones.

919. Placita theologorum. 1) Plures negant satisfactionem Christi fuisse secundum rigorem justitiae; vel quia putant inter Deum et Christum salvari non posse rigorem justitiae, ut *Vazquez, Molina, Lugo, Becanus, Billot* et alii [1]; vel quia censent in satisfactione Christi non servari conditiones ad rigorem justitiae requisitas, ut *Mastrius*, qui docet in satisfactione Christi intervenire Dei gratiam et liberalitatem [2].

2) Multo tamen communius affirmant theologi satisfactionem Christi fuisse ex toto rigore justitiae et ad apicem juris. Ita *S. Thomas* et omnes thomistae [3], et ex extraneis *S. Bonaventura, Valentia, Suarez* et alii bene multi [4].

920. THESIS. **Satisfactio Christi pro nobis fuit secundum rigorem justitiae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus eloquentissime disserens de Christo Redemptore ait: *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae, propter remissionem praecedentium delictorum* [5]. Haec verba satis declarant Christum in tempore tanquam propitiationem pro hominibus mortuum fuisse, ut justam ac veram satisfactionem Deo pro peccatis nostris offerret.

2) *Ex SS. Patribus.* S. Proclus cpolitanus: «Cum peccati quidem debitum, tanquam homo pro omnibus mortuus, persolvisset... et legem esse possibilem ostendit, omnem implendo justitiam, naturaeque nostrae pristinam nobilitatem restituit» [6].

3) *Ex ratione.* Omnes conditiones ad rigorosam satisfactionem requisitae servatae sunt in operibus Christi.

1) *Ad alterum.* Ut solutio pretii in satisfactione dicatur ad alterum, non requiritur semper realis distinctio suppositorum inter dantem et acceptantem, sed sufficit realis distinctio naturarum in uno supposito, sicut contingit in Christo. Posita enim duplici natura in uno supposito, una persona habet duo munia, et secundum quod exercet unum munus, se ipsum etiam sub adspectu justitiae sibi refert aliud munus exercenti. Unde persona divina exsistens in natura divina et humana, operibus naturae humanae satisfecit sibi exsistenti in natura divina.

In humanis quoque actionibus hoc explicari solet exemplo tutoris, qui simul sit creditor pupilli. Si quis personam tutoris agens, sit creditor pupilli, potest ut tutor sibi creditori solvere debitum ex rigore justitiae.

[1] **Vazquez,** *In III p.*, disp. 7, c. 1 sq.; **Molina,** *In I p.*, q. 21, a. 1; **Lugo,** *De mysterio incarnationis*, disp. 3, sect. 1, n. 4; **Becanus,** *De incarnat.*, c. 15, n. 11; **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 52.

[2] **Mastrius,** *In III Sent.*, disp. 4, q. 6, a. 2.

[3] **S. Thomas,** *III p.*, q. 1, a. 2 ad 2; q. 48, a. 2; *In III Sent.*, dist. 20, q. 1, a. 1; et *Quodlib.* 2, a. 2; **Capreolus,** *In III Sent.*, dist. 20, q. 1, concl. 2; **Cajetanus,** *In III p.*, q. 1, a. 2; **Alvarez,** *De incarnat.*, disp. 4, nn. 8-9; **Philippus a SS. Trinitate,** *De mysterio incarnat.*, disp. 2, dub. 4; **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 1, n. 214.

[4] **S. Bonaventura,** *In III Sent.*, dist. 20, q. 5; **Valentia,** *In III p.*, disp. 1, q. 1, p. 5; **Suarez,** *In III p.*, disp. 4, sect. 5, n. 5; et sect. 6, n. 2.

[5] *Rom.*, 3, 25.

[6] *Ep. ad arm.*, n. 7; MG **65**, 862.

Dices. Haec solutio videtur esse contra *S. Thomam*, qui ait: «Justitia ergo proprie dicta requirit diversitatem suppositorum, et ideo non est nisi unius hominis ad alium» [1].

Resp. a) *S. Thomas* loquitur de justitia inter homines, in quibus non contingit unum suppositum exsistere in duabus naturis.

b) Potest etiam dici ad justitiam requiri diversitatem suppositorum virtualiter vel formaliter, non semper formaliter; Christus autem in divina et humana natura exsistens, gerit vices duplicis personae, et est virtualiter duplex.

2) *Ad aequalitatem.* Opera enim Christi obtulerunt Deo superabundans pretium pro peccatis hominum, ut probavimus supra.

3) *Ex bonis propriis, alio titulo non debitis, et sub dominio creditoris non contentis.*

a) *Ex bonis propriis.* Opera, de quibus agimus, erant revera Christi. Christus siquidem per adsumptionem humanae naturae ad personam Verbi constitutus est principium *quod* et *quo* operationum infiniti valoris, et dignitate pollebat ad exstinguendum ex propriis omne debitum generis humani.

b) *Alio titulo non debitis.* Quamquam alii aliter explicent hanc conditionem, ut videre est apud *Billuart* [2], dicendum videtur Christum, ut principium *quod* satisfaciens, nullo titulo debuisse Deo bona, quibus satisfecit. Bona quidem humanae naturae ipsaeque operationes humanae, quatenus procedebant ab humana natura ut a principio *quo*, debebantur Deo titulo creationis, conservationis, gratitudinis, etc., sed in quantum procedebant a persona divina seu principio *quod* exsistente in humana natura, erant propria Christi.

c) *Sub dominio creditoris non contentis.* Haec conditio revera offert difficultatem, quia actiones creatae, quibus Christus satisfecit, videntur contineri sub dominio Dei titulo creationis.

Nihilominus dicendum est hanc etiam conditionem salvari in satisfactione Christi, quamvis non omnes eodem modo explicent.

Eximius *Suarez* distinguit inter restitutionem et satisfactionem, et contendit restitutionem pecuniariam fieri oportere ex bonis sub dominio creditoris absolute non contentis, sed putat ad satisfactionis aequalitatem sufficere illud dominium, quod est intrinsecum operi libero. Hinc existimat dominium, quod Deus habebat in actiones creatas Christi nihil obstare justitiae satisfactionis, quia actus non est praecise satisfactorius «ratione dominii, quod Deus habet in illum, sed ratione dominii, quod habet operans ipse; erat enim Christus verus dominus suorum actuum, quos in Dei honorem et satisfactionem offerebat» [3]. Haec solutio non displicet.

Alii probabilius docent actiones Christi, quatenus procedebant ab humana natura ut a principio *quo*, fuisse quidem sub dominio Dei titulo creationis, sed quatenus procedebant a Verbo ut a principio *quod*, et ab eo valorabantur, ut essent infinite meritoriae, non pertinuisse ad

[1] *II-II*, q. 58, a. 2.

[2] *De incarnat.*, diss. 19, a. 7, obj. 4.

[3] *In III p.*, disp. 4, sect. 6, n. 21.

http://www.obrascatolicas.com

Dei dominium. Hanc solutionem defendunt *Salmanticenses*, *Billuart* et alii [1].

4) *Creditor teneatur satisfactionem ex justitia acceptare.*

a) Aliqui nolunt admittere in Deo obligationem acceptandi ex justitia satisfactionem Christi; et alii solum admittunt obligationem acceptandi eam ex justitia distributiva.

b) Verius tamen dixerim cum aliis theologis Deum ex justitia commutativa proprie dicta debuisse acceptare pro nobis satisfactionem Christi.

Ratio est, quia justitia commutativa est virtus, quae jus suum unicuique tribuit ad aequalitatem arithmeticam, ita ut creditor, oblato jure suo, teneatur acceptare pretium et extinguere debitum. Sed Christus per sua opera satisfactoria obtulit Deo jus suum et pretium ad aequalitatem arithmeticam. Ergo Deus satisfactionem Christi debuit ex justitia acceptare.

Non diffitemur Deum, absolute loquendo et seclusa sua promissione, non obligari ad acceptandam Christi satisfactionem pro peccatis hominum, sed, supposito quod Deus constituerit Christum fidejussorem ac redemptorem generis humani, tenebatur ex justitia commutativa acceptare pretium satisfactionis a Christo oblatum.

Per hoc autem non minuitur nec subjicitur Christo dominium Dei supremum, quia Deus, libere se obligando, non respicit Christum ut dominum sed fidejussorem generis humani.

Si dicas satisfactionem Christi hoc in casu non esse actum justitiae commutativae, sed fundari in gratiosa Dei acceptatione, contra est. Nam, ut ait *S. Thomas*, «retributio proportionalis pertinet ad justitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale, puta si pacto firmetur, ut tantum pro tanto retribuatur; sed ad virtutem gratiae sive gratitudinis retributio pertinet, quae fit ex solo debito honestatis» [2].

921. Scholion. Merito docent plures theologi contra paucos opera Christi satisfactoria, secluso pacto vel promissione, non potuisse obligare Deum ad remittendum hominum peccata.

Ratio est, quia opera Christi, independenter a pacto vel promissione, nequibant habere jus contra Deum, nec ipsum constituere debitorem remissionis offensae. Impossibile enim erat, ut in Deo nasceretur obligatio remittendi offensas, nisi ipse prius id acceptaret vel promitteret. Egregie hoc explicat *S. Augustinus* dicens: «Debitor enim nobis factus est (Deus), non a nobis aliquid accipiendo, sed, quod ei placuit, promittendo. Aliter enim dicimus homini: debes mihi, quia dedi tibi. Et aliter dicimus: debes mihi, quia promisisti mihi... Deo autem nunquid dicimus: redde mihi, quia dedi tibi? Quid dedimus Deo, quando totum, quod sumus et quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus. Non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum... Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti» [1]. Et disertius *Angelicus:* «Quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex praesuppositione divinae ordinationis, non sequitur, quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur» [2].

[1] **Salmanticenses,** *De incarnat.*, disp. 1, n. 223; **Billuart,** *De incarnat.*, diss. 19, a. 7, obj. 3.

[2] *II-II*, q. 106, a. 1 ad 2.

ARTICULUS IV

UTRUM SATISFACTIO CHRISTI FUERIT ACTUS JUSTITIAE COMMUTATIVAE

922. Status quaestionis. 1) Justitia dicitur *virtus, quae unicuique tribuit quod suum est.*

Dividitur in *generalem* et *particularem*. Justitia *generalis*, quae etiam legalis dicitur, tribuit communitati bonum commune, ut cum miles defendit in bello jura communia regni [3]. *Particularis* tribuit civibus bona ipsis propria.

Particularis potest esse *commutativa* vel *distributiva*. *Commutativa* est virtus, qua civis dat civi quod suum est. *Distributiva* est, qua superior dat civibus, quod ipsis debetur.

2) Restat hic explicandum, an satisfactio, qua Christus exsolvit Deo nostrum debitum, induerit rationem justitiae commutativae.

923. Placita theologorum. 1) Profundissimus *Vazquez* et alii cum eo censuerunt nullam fuisse «peculiarem virtutem in Christo ad satisfaciendum aut merendum... pro nobis... sed bonis operibus, quae pro nobis obtulit ex benevolentia et misericordia erga nos», id effecisse [4].

2) Alii plures affirmant quidem satisfactionem Christi esse actum peculiaris virtutis moralis, sed non justitiae commutativae. Ubi autem volunt adsignare virtutem, a qua satisfactio procedit, dissident inter se. *Marsilius* vult illam procedere a poenitentia [5]; *Joannes Vincentius* a religione [6]; *Scotus* a justitia vindicativa [7]; *Biel* et *Pesch* a justitia distributiva [8]; *Suarez* a quadam speciali virtute justitiae ad Deum, «cujus proprium munus est divinum dominium et jus proprium ac rigorosum illaesum servare, vel, si fuerit laesum, reparare» [9].

3) Alii defendunt «satisfactionem Christi elicitam esse a virtute justitiae commutativae, quae specialiter et regulariter invenitur in Christo, non autem in homine puro»; ex parte autem Dei acceptantis non correspondere illi formalem justitiam commutativam sed eminentialem. Ita *Joannes a S. Thoma, Laurentius a S. Theresia* et alii [10].

[3] Quidquid alii dicant, justitia legalis habet rationem justitiae saltem imperfectae, quia omnes tenemur ex justitia quaerere bonum communitatis.

[4] *In III p.*, disp. 7, c. 6, n. 49.

[5] *In IV Sent.*, dist. 15, q. 10 ad 6.

[6] *Relect.*, q. 5, dub. 1.

[7] *In IV Sent.*, dist. 15, q. 1, n. 11.

[8] **Biel,** *In IV Sent.*, dist. 16, q. 2, a. 1, nota 3; **Pesch,** *De Verbo incarnato*, n. 445.

[9] *In III p.*, disp. 4, sect. 5, n. 29.

[10] **Joannes a S. Thoma,** *In III p.*, disp. 2, a. 3, n. 6; **Laurentius a S. Theresia,** controv. 6, § 12, n. 182.

http://www.obrascatolicas.com

4) Alii communius et verius docent satisfactionem Christi fuisse actum justitiae commutativae ejusdem specificae rationis ac aliorum hominum. Ita *Philippus a SS. Trinitate, Salmanticenses, Josephus a Matre Dei* et alii [1].

924. THESIS I. **Satisfactio Christi fuit actus justitiae commutativae.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Crebro nos docent sacrae litterae Christum Dominum Deo persolvisse nostrum debitum ex justitia commutativa. In psalmo 68, qui certe est messianicus, dicitur in ore Messiae: *Quae non rapui, tunc exsolvebam* [2]. Et Apostolus: *Empti enim estis pretio magno* [3]. Ac denique S. Petrus: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis* [4].

2) *Ex ratione.* Satisfactio, quae solvit totum debitum et reparat jus laesum ad aequalitatem arithmeticam, est actus justitiae commutativae. Sed Christus solvit Deo totum debitum et reparavit jus laesum injuriamque a nobis Deo illatam ad aequalitatem arithmeticam. Ergo satisfactio Christi fuit actus justitiae commutativae.

Nihil refert ad rem, an injuria fuerit infinita vel finita, aut jus ablatum fuerit divinum vel humanum, dummodo pretium solutum fuerit ad aequalitatem, quia objectum formale justitiae commutativae abstrahit a conditionibus juris et injuriae, et solum respicit aequalitatem inter debitum et pretium, injuriam et reparationem.

Unde, ut egregie explicat *Philippus a SS. Trinitate,* quamvis alii homines nequeant justitiam commutativam exercere erga Deum, quia sunt Deo inferiores; nec filius erga patrem ex bonis, quae habet ab ipso, quandiu in potestate illius est, quia quoad haec bona a patre dependet; nec servus erga dominum, quia omnia servorum bona domini sunt; Christus tamen, qui solvit debitum ad aequalitatem, ut persona satisfaciens est aequalis Patri juxta illud Apostoli *(Philipp.,* 2, 6): *Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;* «nec in aliquo a Patre dependet, quia non gratuito aut libera ejus electione habet ab illo esse et omnimodam perfectionem, sed ex naturali necessitate» [5].

925. THESIS II. **Justitia commutativa, a qua elicita est satisfactio Christi, fuit physice ejusdem rationis ac justitia commutativa hominum.**

Arg. *Ex ratione.* Justitia commutativa, a qua elicita est satisfactio Christi, posuit aequalitatem arithmeticam inter Deum et hominem ex motivo reparandi jus divinum laesum ut est alienum. Idem autem motivum habet justitia commutativa inter homines, scilicet ponere aequalitatem inter debitorem ac creditorem ex motivo solvendi jus creditoris. Ergo. Ad justitiam commutativam nihil refert, an debitum

[1] **Philippus a SS. Trinitate,** *De myst. incarnat.,* disp. 2, dub. 3 ad 3; **Salmanticenses,** *De incarnat.,* disp. 1, n. 259; **Josephus a Matre Dei,** *Cursus triennalis,* tr. 7, disp. 1, dub. 6, n. 81.
[2] *Ps.* 68, 5. Cfr. **Knabenbauer,** in ps. 68, v. 5.
[3] *I Cor.,* 6, 20.
[4] *I Petri,* 1, 18.
[5] *De mysterio incarnationis,* disp. 2, dub. 3 ad 3.

fuerit respectu superioris, inferioris vel aequalis, aut fuerit respectu Dei vel creaturae, dummodo solverit rigorosum debitum inter aliquos. Justitia commutativa tendit solvere ac solvit debitum ad aequalitatem inter debitorem et creditorem, sive hoc fuerit magnum vel parvum; similiter in injuriis reparat plene offensam illatam, sive haec fuerit infinita vel finita. Non enim mutat speciem physicam satisfactionis, quod quis solvat unum vel mille, si debitum integre solvat, sicut non mutat speciem satisfactionis quod plebejus vel princeps reparet injuriam illatam offenso.

QUAESTIO LXVI

DE REDEMPTIONE CHRISTI

ARTICULUS I

QUID SIT REDEMPTIO PROPRIE DICTA

926. Verba *liberare, emere* et *redimere,* quae aliquando promiscue usurpantur, proprie loquendo toto caelo differunt. *Liberare* est quempiam a potestate et servitute aliena in libertatem reducere. *Emere* significat rem alienam solutio pretio propriam facere. *Redimere* importat rem prius amissam, soluto pretio, recuperare.

Redemptio itaque in genere juxta principia juridica, quibus regitur, tria importat: amissionem scilicet rei propriae, recuperationem ejusdem, et solutionem congruentis pretii.

Ad praesens quod attinet 1) homo per peccatum ab amicitia Dei exciderat, et *rei amissae* nomine potest genus humanum designari, quod certe perditum est respectu finis, ad quem ordinatum fuerat; 2) recuperatio generis humani sic perditi facta est per redintegrationem ejusdem ad amicitiam Dei; 3) pretium hujus recuperationis integre solutum est per satisfactionem et merita Christi sese offerentis propter nostram salutem.

Unde redemptio generis humani potest recte definiri: *Actus, quo genus humanum per peccatum perditum redintegratur ad amicitiam Dei per satisfactionem vicariam Christi sese offerentis in pretium.*

ARTICULUS II

UTRUM CHRISTUS REDEMERIT NOS A POTESTATE DIABOLI

927. Status quaestionis. 1) Compertum est in theologia catholica, quidquid dixerint aliqui haeretici in contrarium, genus humanum per peccatum incidisse in potestatem diaboli sub eaque diu permansisse, non quod homo traditus fuerit diabolo sicut ministro cuidam vel tyranno, ab ipso tyrannice puniendus, sed quod fuerit gratia sanctifi-

http://www.obrascatolicas.com

cante, qua Deo serviebat, privatus, et in hac nuditate fuerit expositus internis externisque suggestionibus diaboli, ut facile in peccata duceretur, et servituti daemonis subjiceretur. Nam Apostolus hortatur Timotheum corripere cum modestia eos, qui contradicunt veritati, ut *resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* [1]. Et Concilium Tridentinum solemniter definit omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam amisisse et *sub potestate diaboli ac mortis constitutos fuisse* [2]. Ad rem *Angelicus:* «Quia igitur diabolus hominem superaverat, inducendo eum ad peccatum, homo servituti diaboli addictus erat» [3].

Quaeritur hic, an Christus ab hac diaboli servitute hominem redemerit et in pristinum dominum, qui est Deus, restituerit.

928. Errores. 1) Pelagiani imprimis, qui negabant exsistentiam peccati originalis, negaverunt pariter Christum eripuisse hominem a potestate diaboli.

2) Petrus Abaelardus, si fides est *S. Bernardo*, docuit «Filium Dei non adsumpsisse carnem, ut nos à jugo diaboli liberaret» [4].

929. THESIS. **Christus vere redemit nos a potestate diaboli.** *(Est de fide.)*

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Sacrae litterae crebro nos docent hanc veritatem. *Qui eripuit nos,* ait Apostolus, *de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus* [5]. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate* [6]. *Expolians principatus et potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso* [7]. S. Joannes: *Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* [8].

2) *Ex auctoritate et ratione S. Thomae:* «Circa potestatem, quam diabolus in hominem exercebat ante Christi passionem, tria sunt consideranda. Primum quidem ex parte hominis, qui suo peccato meruit, ut in potestatem traderetur diaboli, per cujus tentationem fuerat superatus. Aliud autem ex parte Dei, quem homo peccando offenderat, qui per suam justitiam hominem reliquerat potestati diaboli. Tertium est ex parte diaboli, qui sua nequissima voluntate hominem a consecutione salutis impediebat.

Quantum ergo ad primum, homo est a potestate diaboli liberatus per passionem Christi, in quantum passio Christi est causa remissionis peccatorum. *Quantum autem ad secundum,* dicendum quod passio Christi nos a potestate diaboli liberavit, in quantum nos Deo reconciliavit... *Quantum vero ad tertium,* passio Christi nos a diabolo liberavit, in quantum in passione Christi excessit modum potestatis sibi traditae a Deo, machinando in mortem Christi» [1].

1 *II Tim.*, 2, 26.
2 *Sess.* 5, can. 1; et *Sess.* 6, c. 1; **Denz-Bannw.**, 788 et 793.
3 *III p.*, q. 48, a. 4.
4 *Ep. 90 ad Innocentium II;* ML **182**, 1050.
5 *Coloss.*, 1, 13-14.
6 *Tit.*, 2, 14.
7 *Coloss.*, 2, 15.
8 *Joan.*, 12, 31.

Pretium hujus redemptionis dicitur esse sanguis Christi, qui effusus est in triduo passionis, non quod aliis actionibus Christi defuerit valor redemptionis, omnes quippe erant valoris infiniti, sed quia «non sunt deputatae ad redemptionem humani generis a Deo Patre et Christo aliae passiones Christi absque morte» [2].

930. Corollarium I. Ex hoc tamen, quod homo fuerit sub potestate diaboli, nullatenus putes pretium redemptionis nostrae fuisse solvendum diabolo, sed Deo. Tum quia diabolus non tenebat homines sub sua potestate tanquam eorum dominus, sed ut minister Dei ac injustus possessor atque tortor; tum quia pretium solvendum erat personae offensae per modum satisfactionis. Ad rem *Angelicus:* «Quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem per respectum ad Deum, non autem per respectum ad diabolum, non erat pretium solvendum diabolo, sed Deo. Et ideo Christus sanguinem suum, qui est pretium nostrae redemptionis, non dicitur obtulisse diabolo sed Deo» [3].

Coroll. II. Simul ac Christus liberavit genus humanum a potestate diaboli, liberavit nos a peccato et morte spirituali, remittendo nostra peccata ac promovendo omnes ad caritatem: Deoque nos reconciliavit, offerendo ei sacrificium acceptissimum [4].

QUAESTIO LXVII

DE ORTU ET VITA CHRISTI IN HOC MUNDO

ARTICULUS I

NOTIONES PRAEVIAE

931. 1) Operae pretium est heic cognoscere viam, qua Christus satisfecit Deo pro peccatis nostris et redemit genus humanum a potestate diaboli.

Porro ad redemptionem duo requiruntur, pretium scilicet et deputatio hujus pretii ad finem redemptionis.

Quaelibet opera Christi erant pretium ac valor sufficiens ad redemptionem generis humani, quia, ut ait *Angelicus,* «secundum sufficientiam una minima passio Christi suffecisset ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis» [5].

2) Non tamen singula opera Christi fuerunt seorsim deputata ad

1 *III p.*, q. 49, a. 2.
2 **S. Thomas,** *Quodlib.* 2, a. 2.
3 *III p.*, q. 48, a. 4 ad 3.
4 Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 49.
5 *III p.*, q. 46, a. 5 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

satisfactionem complendam, sed omnia simul, sanguinis effusione et morte firmata, redemptionem hominis perfecerunt.

3) Consideranda heic forent omnia opera, quibus Christus Deo pro nobis satisfecit, sed, cum limites hujus operis non patiantur ea, quae evangelistae narrant et commentatores longo calamo interpretantur, singillatim exponere, brevissime in hac quaestione explanabimus quae ad ingressum Christi in mundum et ad ejus progressum in hac vita spectant, paulo longius de passione, morte et exaltatione Christi in sequentibus acturi.

ARTICULUS II

DE NATIVITATE CHRISTI

932. 1) Annuntiato per angelum mysterio incarnationis Verbi, beata Virgo Maria virtute Spiritus Sancti concepit in utero Filium Dei [1].

2) Post novem menses, datum est edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis, et S. Joseph, sponsus beatae Mariae Virginis, cum esset de domo et familia David, petiit Bethlehem, ut ibi profiteretur cum Maria. Deficiente autem in civitate diversorio, in speluncam se recepit cum uxore praegnante, et ibi Olympiade 194, et octavo Kalendas Januarii, id est, die 25 Decembris, cum silentium tenerent omnia, natus est et brevi reclinatus praesepio Jesus Christus Salvator mundi [2].

ARTICULUS III

DE MANIFESTATIONE CHRISTI

933. 1) Quod in maximam utilitatem hominum factum est, oportuit quodammodo ipsis manifestari ac innotescere.

2) Prima manifestatio facta est pastoribus, qui, cum essent in vicinia pascentes greges, ab angelo moniti atque concentibus angelicis recreati, in speluncam confugerunt, ibique puerum Jesum adoraverunt.

3) Deinde, cum Maria Virgo, mater Christi, omnia legalia circa puerum servare volens, praesentasset illum in templo, Simeon repletus Spiritu Sancto cognovit puerum esse Messiam, et cecinit illum esse Christum Domini, *lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel* [3].

4) Alia manifestatio facta est magis, qui stella duce ex oriente venerunt Bethlehem, ut Jesum adorarent, eique munera aurum, thus et myrrham offerrent [4].

Haec de magis constant ex Evangelio, caetera, quae de eisdem dicuntur, oportet aequa lance pensare.

---

1 *Luc.*, 1, 30-31.

2 Cfr. **S. Augustinus,** in ps. 132, n. 11; ML **37,** 1735. Nunc etiam visitur et in magna veneratione habetur apud christianos spelunca Bethlehem.

3 *Luc.*, 2, 32.

4 *Matth.*, 2, 1 sqq.

a) Traditio, quae docet tres fuisse magos, si singuli singula dicantur obtulisse munera, habet fundamentum in Scriptura, ubi constat tria munera, aurum, thus et myrrham, fuisse ab eis oblata.

b) S. Matthaeus vocat eos *magos*, id est, sapientes aut doctores.

c) Quamvis aliqui critici negent illis regiam dignitatem, *S. Joannes Chrysostomus, S. Ambrosius* et alii Patres diserte affirmant eos fuisse reges [1]. Quod tamen ita intelligendum libenter consentio, ut non reges magnae ditionis, sed domini fuerint urbis vel provinciae, quos regulos vel toparchas vocant [2].

d) Ex oriente venerunt, sed ex qua orientis parte non constat. *S. Joannes Chrysostomus* eos vocat *persas* [3]. *S. Maximus* taurinensis *chaldaeos* [4], S. Justinus *arabes* [5].

e) Nihil definitum est de tempore adventus magorum. Nonnulli differunt illum ad duos menses [6]. Alii existimant eos post praesentationem Jesu in templo illico advenisse, quia difficile putant post adventum magorum, quando tota Hierosolyma commota est, praesentari potuisse Jesum in templo. Hinc, volentes ex una parte adventum magorum adsignare post praesentationem Jesu in templo, et salvare ex altera parte traditionem, quae celebrat Epiphaniam die 6 Januarii, dixerunt magos accessisse Bethlehem post annum et duodecim dies post nativitatem Christi [7]. Alii denique censent magos post duodecim dies a nativitate Domini advenisse [8]. In hac sententia dicendum foret post discessum magorum puerum Jesum praesentatum fuisse in templo, et deinde decretum de occidendis pueris ab Herode datum fuisse.

f) Summum regem certe adoraverunt ut verum Deum adoratione latriae, quidquid in contrarium dixerint aliqui rationalistae. Evangelista usus est verbis: *Et procidentes adoraverunt eum* [9]. Vocabulum *procidentes* indicat modum colendi Deum, et verbum *adoraverunt* significat cultum soli Deo deferri solitum. Hinc magi dicuntur puerulo obtulisse aurum, thus et myrrham; aurum regi, thus Deo, myrrham homini.

ARTICULUS IV

DE FUGA IN AEGYPTUM

934. Cum autem Herodes illusus a magis machinaretur caedem pueri et serio meditaretur de occidendis omnibus infantulis Bethlehem et confinium a bimatu et infra, ut inter eos interficeret Christum recens na-

---

1 Cfr. **Alapide,** *In Matth.*, 2, 1 sqq.

2 **Honoratus a S. Maria,** *Animadversiones in regulas et usum critices*, t. 2, lib. 3, diss. 4, a. 2.

3 *Hom. 7 in Matth.*, n. 1; MG **57,** 73.

4 *Hom. 18-28 in Epiph.*; ML **57,** 262.

5 *Dialogus cum Tryph.*, 77, 78, 79; MG **6,** 657 sqq.

6 Ita **Eusebius,** *Quaest. evang.*, q. 16; MG **22,** 933.

7 **Pesch,** *De Verbo incarnato*, n. 272. Cfr. **Knabenbauer,** *In Matth.*, 2, 1.

8 Ita **S. Augustinus,** *Serm.* 203, nn. 1 et 3; ML **38,** 1035 et 1036; **S. Thomas,** *III p.*, q. 36, a. 6; **Honoratus a S. Maria,** *Animadversiones*, t. 2, lib. 3, diss. 4, a. 3.

9 *Matth.*, 2, 11.

http://www.obrascatolicas.com

tum admonitus est Joseph ab angelo, ut, adsumptis puero et matre ejus, fugeret in Aegyptum, quod et diligenter factum esse a S. Joseph narrat evangelista.

1) Hanc fugam sancta familia probabilius arripuit ex Bethlehem, ubi habitavit usque ad monitum caelestis nuntii.

2) In qua parte Aegypti sedem fixerit, incertum est. Aliqui dixerunt S. Josephum cum sua sanctissima familia habitasse in terra Gessen, ubi olim israelitae manserunt; alii indicant Heliopoleos (Cairo), alii Matteam prope Heliopoleos.

3) Miracula, quae referuntur ad Christi praesentiam in Aegypto patrata, ut de arboris incurvatione, de simulacris aegyptiorum collapsis, etc., non sunt comprobata.

4) Nescimus quanto tempore commoratus fuerit Jesus in Aegypto. Fundamento carere videtur sententia, quae permanentiam sanctae familiae in illa regione protrahit ad septem, quinque vel tres annos. Satius crediderim illam non ultra paucos menses vel ad summum non ultra annum protractam fuisse. Herodes enim anno 750 ab urbe condita, post paucos menses ab edito decreto de strage infantium, probabilissime mortuus est [1]. *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto dicens: surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri* [2].

ARTICULUS V

DE VITA ABSCONDITA CHRISTI

935. 1) Joseph, cum reverteretur ex Aegypto in terram Israel, *audiens... quod Archelaus regnaret in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire; et admonitus in somnis, secessit in partes Galilaeae. Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth* [3].

2) De vita Jesu in Galilaea usque ad trigesimum aetatis suae annum pauca scimus.

3) Cum esset annorum duodecim, descendit Jerosolymam cum comitatu secundum consuetudinem, et parentibus versus Nazareth redeuntibus, divina providentia ita disponente, remansit in Jerusalem. Post triduum inventus est in templo, sedens in medio doctorum, audiens et interrogans eos, qui stupebant super prudentia et responsis ejus.

Deinde descendit cum parentibus, *et venit Nazareth et erat subditus illis... Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines* [4].

Qui ante luciferum genitus et in diebus aeternitatis ortus est, qui universum mundum ex nihilo condidit ac digito suo sustinet, qui aquas

---

[1] Cfr. **Felten,** *Storia dei tempi del Nuovo Testamento* (italice versa), vol. 1, part. 1, c. 2, nota 48.
[2] *Matth.*, 2, 19-20.
[3] *Matth.*, 2, 22 sqq.
[4] *Luc.*, 2, 51-52.

maris in unum locum congregavit et montes in pulverem vertit, *erat subditus illis*. Qui dives erat ac dominus omnium, vitam pauperem et humilem in civitate Nazareth egit, ac victum labore manuum suarum quaesivit.

ARTICULUS VI

DE VITA PUBLICA CHRISTI

936. 1) Jesus Christus, cum esset annorum circiter triginta, vitam publicam cum praedicatione sui Evangelii inchoare decrevit.

2) Id ut ageret, imprimis a Joanne Baptista baptizari voluit in Jordane, ubi baptizatus cum esset, *descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de caelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi* [1].

Confestim regressus a Jordane plenus Spiritu Sancto, ductus est a Spiritu in desertum, ubi, cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus nihil manducans, esuriit et tentatus est a diabolo triplici tentatione, sed triplici pariter responsione diabolum vicit.

3) Tunc incepit vitam publicam, et *fama exiit per universam regionem de illo* [2].

Tradidit doctrinam sane miram, mysteriis ac morum honestate refertam; innumera patravit miracula in confirmationem suae doctrinae; elegit duodecim discipulos, ut essent testes suae praedicationis et praecones suae doctrinae; totam Palaestinam perlustravit praedicationis causa; mortuos suscitavit, aegros sanavit, Ecclesiae fundamenta jecit, ac tandem pertransiit bene faciendo et sanando omnes oppressos.

4) Nondum definitum est, quantum duraverit vita publica Jesu.

a) Veteres valentiniani et aliqui nuperi scriptores defendunt Christum praedicasse per unum tantummodo annum. Ita valentiniani et *Leonh. Fendt* [3].

b) Alii contendunt praedicationem Christi durasse per duos annos, quibus celebrata sunt tria paschata. Ita *Honoratus a S. Maria*, et *J. B. Zellinger* [4].

c) Alii plurimi rectius docent vitam publicam et praedicationem Jesu protractam fuisse ad tres annos et aliquot menses. Quatuor enim paschata transierunt durante praedicatione Christi. *Primum*, sub initio vitae publicae, de quo *Joan.*, 2, 13. *Secundum*, quando Joannes erat vinculis conjectus et discipuli dicuntur uno sabbato spicas in agro decerptas manducasse. Cum autem ex novo frumento aliquid edere ante pascha vetitum esset in lege [5], hoc fieri oportuit paulo post pascha, quo

---

[1] *Luc.*, 3, 22.
[2] *Luc.*, 4, 14.
[3] Valentiniani apud Irenaeum, *Adv. haer.*, 2, 22, 5; MG 7, 784; **Leonh. Fendt,** *Die Dauer der öffentlichen Wirksamkeit Jesu*, München, 1906.
[4] **Honoratus a S. Maria,** *Animadversiones*, t. 3, lib. 5, diss. 1, a. 9; **J. B. Zellinger,** *Die Dauer der öffentlichen Wirksamkeit Jesu*, Münster, 1907.
[5] *Lev.*, 23, 14.

http://www.obrascatolicas.com

tempore spicae solent esse in agro. *Tertium*, post mortem S. Joannis Baptistae, illud scilicet quod in die multiplicationis panum Joannes evangelista commemorat proxime futurum [1]. Multiplicatio autem panum facta est post mortem Joannis Baptistae, ut constat ex *Marco*, 6, 24-40. *Quartum* et ultimum pascha celebratum est tempore passionis. Ita ex antiquis *Eusebius Caesariensis* [2] et theologi passim.

QUAESTIO LXVIII

DE PASSIONE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM NECESSARIUM VEL SALTEM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM PRO NOBIS PATI

937. Status quaestionis. 1) Necessarium, sicut saepe diximus, potest aliquid esse *absolute* vel *hypothetice;* et necessarium hypothetice unum dicitur *simpliciter*, aliud *secundum quid*. Horum definitiones vide in Prolegomenis, n. 12.

2) Dilucidandum est, an aliquo modo necessarium fuerit Christum pati.

938. THESIS. **Non absolute neque hypothetice simpliciter, sed secundum quid fuit necessarium Christum pati.**

1) *Non absolute*, quia necessarium absolute dicitur, quod ex suis terminis ita oportet semper in se esse, ut nequeat non esse. Hoc pacto Deus est necessarius. Sed passio Christi non fuit ita necessaria, quia aliquando non fuit. Ergo.

2) *Non hypothetice simpliciter*, quia necessarium hujusmodi dicitur, quod pro aliquo fine consequendo ita requiritur, ut sine illo obtineri nullatenus possit. Passio autem Christi non fuit ita necessaria, ut sine illa nullatenus potuerit salus per viam satisfactionis obtineri; cum quilibet actus etiam gaudii Christi hominis suffecerit ad satisfaciendum Deo pro peccatis nostris. Ergo.

3) *Passio Christi fuit necessaria secundum quid*, tum quia Deus ita ordinavit, tum quia in se convenientissimum fuit, ut Christus pateretur.

a) *Deus ita ordinavit* juxta illam expressionem dominicam: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* [3].

b) *Conveniens fuit Christum pati: a)* ut plene cognosceremus ardenter nos a Deo amari; *b)* ut Christus exemplum nobis praeberet

[1] *Joan.*, 6, 4.
[2] *Chron.*, lib. 2; MG **19**, 536.
[3] *Luc.*, 24, 26.

obedientiae, humilitatis et patientiae; *c)* ut excusatio peccandi amoveretur ab hominibus.

939. Scholion. *De passione Christi in cruce.* Novimus ex Evangelio Christum Dominum sustulisse passionem crucis, et luculenter probant theologi hoc conveniens fuisse multiplici ratione.

Non sine divino consilio, ut animadvertit cl. *Billot* [1], fuit supplicium crucis per judicem Israel statutum. In veteri Testamento quatuor solummodo referuntur crucifixiones. Crucifixi sunt princeps pistorum a Pharaone *(Gen.*, 40, 19 sq.), rex chananaeus a Josue in urbe Hai *(Jos.*, 8, 29); septem filii Saul a gabaonitis *(II Reg.*, 21, 9); et Aman a rege Assuero *(Esth.*, 7, 10).

Inter omnia genera mortis nihil est juxta *S. Augustinum* morte crucis execrabilius et formidolosius [2]. Ad rem *Tullius:* «Facinus est vinciri civem romanum; scelus verberari; prope parricidium necari. Quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res exprimi nullo modo potest» [3]. Crux erat juxta Apostolum *judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [4].

Christus Dominus, caeli et terrae creator, hanc ignominiam crucis subire non dedignatus est, ut perfectius Deo satisfaceret, humilitatis exemplum nobis praeberet, excessum amoris erga homines ostenderet, atque triumphum ejus in mortem clarius patefaceret.

ARTICULUS II

QUID PASSUS FUERIT CHRISTUS

940. Status quaestionis. 1) Passio Christi considerari potest *extensive* vel *intensive*, prout complectitur genera tormentorum, vel indicat intensitatem doloris.

2) Investigandum est, an passio Christi fuerit summa, tum *extensive*, quatenus universalis quoad omnia genera—non quoad singulas species—tormentorum, tum *intensive*, quatenus passus est dolores intensissimos.

3) Compertum est Christum non sustinuisse omnes et singulas passionum species, quia non sustulit poenam ignis nec gladio percussus est.

941. THESIS. **Christus passus est omnia genera tormentorum in summo gradu intensitatis.**

I. *Extensive passus est omnia genera tormentorum.*

1) *Ex parte hominum*, omnes et singuli ordines in illum irruerunt. Judaei et gentiles, pontifices et laici, auctoritates et subditi, optimates et plebeji, senes ac pueri, viri et mulieres, discipuli ac extranei, divites et pauperes, milites ac cives, in ipsum adgressi sunt.

[1] *De Verbo incarnato*, th. 48, § 2, nota.
[2] *De div. quaest.*, q. 25; ML **40**, 17.
[3] *Orat. in Verrem*, lib. 5, n. 66.
[4] *I Cor.*, 1, 23.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex parte dolorum*, passus est: a) *in corpore* vulnera ac vexationes; spinas et sputa; alapas et flagella; acetum et felle; b) *in anima* tristitiam, pavorem ac taedium; c) *in honore* calumnias, irrisiones et contumelias; d) *in fama* blasphemias, condemnationem; e) *in bonis materialibus* spoliationem vestimentorum, etc.

3) *Ex parte membrorum* passus est in capite, facie, humeris, tergo, manibus, latere, corde, pedibus.

II. *Intensive, dolores tum externi tum interni Christi* fuerunt intensissimi et omnibus doloribus majores.

1) *Externi quidem:* a) *Propter delicatissimam sui corporis complexionem*, quia, ut ait *Angelicus*, «secundum corpus erat (Christus) optime complexionatus, cum corpus ejus fuerit formatum miraculose operatione Spiritus Sancti... et ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cujus perceptione sequitur dolor» [1]. Et expressius *S. Bonaventura:* «Quia nullus potuit ei aequari nec aequalitate complexionis nec vivacitate sensus, dolor illius omnium dolorum fuit acutissimus... et quia qualitas in Christo reddebat ipsum ad majorem dolorem dispositum, ideo bene concedo, quod clavus ferreus multo plus afflixit Christum quam ignis Laurentium» [2]. b) *Propter genus passionis*, «quia mors confixorum in cruce est acerbissima; quia configuntur in locis nervosis et maxime sensibilibus, scilicet in manibus et pedibus, et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem, et cum hoc etiam est doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur» [3].

2) *Interni etiam:* a) *Propter vivissimam perceptionem patientis*, quia anima Christi «secundum vires interiores efficacissime apprehendit omnes causas tristitiae» [4]. b) *Propter causas doloris*, quia passus est propter omnia peccata generis humani. c) *Propter emissionem vitae*, quae est omni poena horribilior. Unde in horto in agonia constitutus sudavit sanguinem, et exclamavit: *Tristis est anima mea usque ad mortem* [5].

942. Scholion. Dum ageremus de scientia beata Christi, diximus gaudium et dolorem ac tristitiam posse conciliari in Christo.

Celeberrimus *Melchior Canus*, cum esset junior, scribebat: «Miraculum fuit, quod idem homo esset viator et comprehensor; miraculum, quod gloria animae nihil derivaretur ad corpus; miraculum, quod a superioris gaudio potentiae nihil solatii in inferiores redundaret; miraculum, quod inferioribus perturbatis, nec superiores turbarentur, nec a sua perpetua operatione cessarent, nec remitterent opus, nec quietem et delectationem, vel ex minima parte resolverent» [6]. Senior vero factus ajebat: «Sicut per totam vitam Dominus gloriam animae quasi premebat, ne in corpus efflueret, sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod

---

1 *III p.*, q. 46, a. 6.
2 *In III Sent.*, dist. 16, a. 1, q. 2.
3 **S. Thomas,** *III p.*, q. 46, a. 6.
4 **S. Thomas,** *III p.*, q. 46, a. 6.
5 *Matth.*, 26, 38. Cfr. *Luc.*, 22, 44. Verba **S. Hilarii,** *De Trinitate*, lib. 10, n. 23 (ML **10,** 361), quae videntur passionem et dolorem negare in Christo, S. Thomas explicat dicens: «In omnibus illis verbis et similibus, Hilarius a carne Christi, non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit». *III p.*, q. 15, a. 5 ad 1.
6 *De locis theol.*, lib. 12, c. 13 in fine.

suapte natura ex clara Dei notitia prodiret. Gaudium, fateor, ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquando sol radios suos, et ne calefaceret, comprehensus est etiam ignis. Quare nihil mirum videri cuipiam debet, si in hominum redemptione per hominis unius dolores explenda, voluntas omnis reprimeretur, quam alias ex visione Dei proficisci naturae ratio demonstrat» [1].

Non tamen videtur confugiendum ad suspensionem gaudii in Christo tempore passionis.

Quantum ad gaudium et dolorem sensibilem scribit *S. Thomas:* «Delectatio divinae contemplationis ita per dispensationem divinae virtutis retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur» [2].

Aggravatur difficultas, si dixerimus Christum habuisse tempore passionis tristitiam spiritualem in ipsa voluntate, et ideo gaudium et tristitiam conciliari oportere in eadem facultate.

Ut hanc difficultatem solveremus, distinximus in anima rationem superiorem et rationem inferiorem, prout fertur ad divina contemplanda vel inferiora ordinanda. Voluntas humana Christi directa a ratione superiori fruebatur, et directa a ratione inferiori poterat tristari.

QUAESTIO LXIX

DE MORTE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS VERE MORTUUS FUERIT

943. Status quaestionis. 1) Homo incipit esse, cum anima rationalis informat ac vivificat corpus; et dicitur persona, quatenus est sui juris et principium *quod* operationum.

2) Mors hominis contingit, quando anima rationalis separatur a corpore, et destruitur suppositum humanum seu persona.

3) Cum in Christo non fuerit persona humana, sed, cum persona Verbi adsumpsit naturam humanam, constitutus fuerit Christus homo, quod est principium humanarum actionum, considerandum est, an et quando contigerit mors Christi.

944. THESIS. **Christus vere mortuus est per separationem animae et corporis, manente utraque parte post mortem unita divinitati.**

Pars 1.ª Christus vere mortuus est.

Quatuor evangelistae diserte referunt mortem Christi his verbis: S. Matthaeus: *Jesus autem... emisit spiritum* [3]. S. Marcus: *Jesus autem...*

---

1 *De locis theol.*, lib. 12, c. 13. Cano subscripserunt **Valentia** et **Maldonatus.**
2 *III p.*, q. 15, a. 6.
3 *Matth.*, 27, 50.

http://www.obrascatolicas.com

expiravit [1]. S. Lucas: *Jesus... haec dicens expiravit* [2]. S. Joannes: *Jesus... inclinato capite tradidit spiritum* [3].

Christus eodem modo ac caeteri homines mortuus est per separationem animae et corporis. Hac enim separatione destructa est humana Christi natura, quae constabat anima et corpore, et consequenter mortuus est Christus. Tunc cessaverunt vita cunctaeque operationes vitales Christi.

Pars 2.ª Post mortem Christi tum corpus tum anima conjuncta manserunt divinitati.

Egregie hoc exponit *S. Joannes Damascenus* dicens: «Quamvis igitur Christus ut homo mortem subierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, divinitas tamen a neutro, hoc est, nec ab anima nec a corpore quoquo modo sejuncta est; neque propterea persona una in duabus divisa fuit. Siquidem et corpus et anima simul ab initio in Verbi persona exsistentiam habuerunt, ac licet in morte divulsa sint, utrumque tamen eorum unam Verbi hypostasim semper habuit. Quamobrem una eademque Verbi hypostasis, tum Verbi, tum animae, tum corporis erat hypostasis» [4].

Scite Card. *Billot* ad haec adjungit sequentia verba: «Permansit... suppositum simpliciter idem, tametsi ab hoc supposito per triduum mortis non potuerit dici, quod esset homo, sed solum homo mortuus. Insuper, anima fuit eadem tam natura quam supposito; corpus vero, utique supposito idem, fuit nihilominus specie seu natura diversum; pro quanto non habuit formam substantialem corporis vivi, sed aliam, quae corpori mortuo propria est» [5].

ARTICULUS II

QUO MOTIVO MORTUUS FUERIT CHRISTUS

945. Status quaestionis. Tria volvebantur in animo Christi patientis, obedientia, scilicet, ad praeceptum Patris, justitia ad Deum offensum, et caritas erga homines peccatis subjectos.

Exsurgit heic quaestio, an haec tria moverint Christum ad mortem subeundam.

946. THESIS. **Christus mortuus est ex motivo obedientiae, justitiae et caritatis.**

1) *Ex obedientia:* quia Christus accepit a Patre, sicut alibi diximus, verum praeceptum moriendi pro hominibus. Unde Apostolus: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi* [6].

1 *Marc.*, 15, 37.
2 *Luc.*, 23, 46.
3 *Joan.*, 19, 30.
4 *De fide orth.*, lib. 3, c. 27; MG **94**, 1098.
5 *De Verbo incarnato*, th. 44.
6 *Rom.*, 5, 19.

2) *Ex justitia.* Jesus Christus libere constitutus est fidejussor generis humani, et qua talis debitum hominis suscepit solvendum pretio sanguinis. Hinc satisfactio Christi procedebat, ut diximus, ex virtute justitiae commutativae.

3) *Ex caritate,* quia *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* [1].

947. Scholion. Protestantes Réville [2], et Staepfer [3] omnino gratis ausi sunt dicere Jesum Christum, dum in horto fugam meditaretur, captum fuisse et contra suam voluntatem mortem subiisse.

Sed quanta in Redemptorem injuria hoc dictum fuerit, vix necesse est probare.

Ex tota narratione evangelica constat Jesum Christum certo cognovisse ac praedixisse suam in cruce mortem acerbissimam, imo et tortoribus sponte se tradidisse. *Convenientibus autem eis,* inquit S. Matthaeus, *in Galilaea, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum; et occident eum et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer* [4].

ARTICULUS III

UTRUM CHRISTUS MORTUUS FUERIT PRO OMNIBUS HOMINIBUS

948. Status quaestionis. Ex hominibus alii sunt fideles, alii infideles; plures perveniunt ad usum rationis, alii decedunt infantes; alii sunt praedestinati, alii reprobi.

Christus dicitur omnes homines redemisse, et ut omnes redimeret, opus fuit mortem pro omnibus subire. Unde demonstrandum est hic Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse.

949. Errores. 1) Praedestinatiani et calvinistae dixerunt Christum pro solis praedestinatis mortuum fuisse.

2) Jansenius docuit semipelagianum esse dicere Christum pro omnibus hominibus mortem subiisse.

950. THESIS I. **De fide certum est Christum pro omnibus fidelibus, tum praedestinatis tum reprobis, tum adultis tum infantibus, mortuum fuisse.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus: *Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium* [5]. Christus autem est salvator hominum per mortem. Ergo pro omnibus mortuus est.

Iterum Apostolus: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est* [6]. His verbis hortatur nos Apostolus, ne propter vilem cibum perdamus illum, pro quo mortuus est Christus. Ergo ii, pro quibus mortuus est Christus, possunt damnari.

1 *Ephes.*, 5, 2.
2 *Jésus de Nazaret*, 1897.
3 *La mort et la Resurrection de Jésus Christ*, 1898.
4 *Matth.*, 17, 21-22.
5 *I Tim.*, 4, 10.
6 *Rom.*, 14, 15.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex Concilio Tridentino.* «Etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur» [1].

3) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Chrysostomus:* «Quamquam enim non omnes lucraturus esset Christus, attamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat implens» [2].

4) *Ex doctrina Ecclesiae.* Unus ex erroribus Jansenii refertur his verbis: «Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse». Haec propositio ab Innocentio X die 31 Maji 1653 est «declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans et haeretica» [3].

951. Scholion. De infantibus loquens ait *S. Augustinus:* «Numquid (parvuli) aut homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est: omnes homines?» [4].

952. THESIS II. **Pro omnibus quoque infidelibus mortuus est Christus.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Nihil hoc clarius praedicatur in sacris litteris. *Si unus,* ait Apostolus, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus* [5]. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes... pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt... Hoc enim bonum est et acceptum coram... Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [6]. Christus igitur dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, de quibus erat sermo in textu, id est, pro regibus et magistratibus, qui illo tempore erant infideles, et pro iis, quos volebat Deus ad agnitionem veritatis venire.

2) *Ex magisterio Ecclesiae.* Alexander VIII, die 7 Dec. 1690, damnavit hanc propositionem: «Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus» [7].

ARTICULUS IV

QUANDO MORTUUS FUERIT CHRISTUS

953. Status quaestionis. Circa tempus mortis Christi quaeri potest quo anno, quo mense, qua die, et qua hora mortuus fuerit Christus.

1) *Quoad annum* solutio pendet ab oponione, quam quisque elegerit circa annum nativitatis Christi.

1 *Sess.* 6, c. 3; **Denz-Bannw.,** 795.
2 *In ep. ad Rom.,* hom. 26, n. 1; MG **60,** 638.
3 *Prop.* 5; **Denz-Bannw.,** 1096.
4 *Contra Julianum,* lib. 4, c. 8, n. 42; ML **44,** 759.
5 *II Cor.,* 5, 14-15.
6 *I Tim.,* 2, 1.
7 **Denz-Bannw.,** 1294.

Constat ex S. Luca [1] Christum, cum ad baptismum venit, et inauguravit publicum munus praedicandi Evangelium, fuisse quasi annorum triginta. Vita autem ejus publica duravit tres annos et aliquot menses. Unde Christus mortuus est aetatis suae anno circiter trigesimo tertio [2].

Hoc supposito, inter varias sententias, quae in hac materia circumferuntur, praeferenda videtur, quae docet Christum Dominum natum fuisse labente anno 748 vel 749 ab urbe condita, et mortuum fuisse ineunte anno 782 vel 783, qui fuit annus 29 vel 30 aerae christianae juxta computum Dionysii Exigui [3]. Herodes namque mortuus dicitur anno 750, et hoc tempore Jesus erat in Aegypto.

2) *Quoad mensem,* communis fert sententia Christum mortuum fuisse mense *Nisan,* qui nostro Martio correspondet.

3) Feria VI, quae incidit in diem 15 Nisan, mortuus est Christus [4].

Ex praescripto namque legis [5] die 15 Nisan erat proprie primus dies azymorum, et magna solemnitate celebrabatur. Primo vespere seu die 14 post meridiem removebatur omne fermentatum, et mactabantur agni paschales in templo. Dies igitur 14 post meridiem ex usu panis azymorum, qui adhibebatur in coena paschali, incepit appellari primus dies azymorum.

Christus autem usum judaeorum sequutus die 14 Nisan paravit coenam et celebravit pascha. Die vero sequenti, quae erat 15 Nisan, passus et mortuus est [6].

4) Hora nona, id est, hora nostra tertia vespertina, cum per tres horas pependisset in cruce, mortuus est Christus. Ita referunt tres evangelistae [7], et docet traditio christiana.

Circa horam crucifixionis apparens contradictio invenitur inter Marcum et Joannem. Marcus enim ait: *Erat autem hora tertia et crucifixerunt eum* [8]. Joannes: *Erat autem parasceve Paschae hora quasi sexta, et dicit* (Pilatus) *judaeis: Ecce rex vester... Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur* [9].

Multiplex huic antilogiae adhiberi solet conciliatio. Relictis plurium explicationibus, quae videri possunt apud Cherubim a S. Joseph [10], et

1 *Luc.,* 3, 23.
2 Cl. **Honoratus a S. Maria,** *Animadversiones in regulas et usum critices,* lib. 5, diss. 1, a. 3 sqq., omni genere argumentorum probare nititur Christum mortuum fuisse aetatis suae anno circiter trigesimo, sed meo judicio fallitur clarissimus vir. Supponit Christum natum fuisse duobus annis ante aeram christianam, quae initium duxit ab anno 753 urbis conditae. Sed hodie, licet aera christiana juxta computum Dionysii Exigui currat ab anno 753 urbis conditae, multo probabilius censent auctores quatuor saltem annis ante hoc tempus natum fuisse Christum.
3 Cfr. **S. Beda,** *De ratione temporum,* c. 47; ML **90,** 494.
4 Non defuerunt auctores qui mortem Christi differrent ad diem 25 Nisan. Vide auctores apud **Honoratum a S. Maria,** *Animadversiones,* lib. 5, diss. 1, aa. 4-6. Alii ad litteram accipientes, quae S. Joannes, cc. 18 et 19 refert circa pascha et passionem Christi, defenderunt Christum celebrasse pascha die 13 Nisan, et mortuum fuisse die 14. Ita Semeria, *Revue Biblique,* 1896, p. 78 sqq.
5 *Ex.,* 12, 6-18; *Lev.,* 23, 5.
6 Cfr. **Knabenbauer,** *In Matth.,* 26, 17.
7 *Matth.,* 27, 46; *Marc.,* 15, 34; *Luc.,* 23, 44.
8 *Marc.,* 15, 25.
9 *Joan.,* 19, 14-16.
10 *Summa criticae sacrae,* diss. 6, part. 3, disp. 2, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

Melchiorem Canum [1], potest responderi S. Marcum adhibuisse modum loquendi judaeorum, qui dividentes diem in quatuor partes, tres horas primae partis vocabant horam primam; horas secundae partis horam tertiam; horas tertiae partis horam sextam; et horas quartae partis horam nonam. Hinc, si Christus crucifixus est versus finem secundae partis, potuit S. Marcus adserere Christum crucifixum fuisse hora tertia [2].

QUAESTIO LXX

DE EXALTATIONE CHRISTI

ARTICULUS I

UTRUM CHRISTUS POST MORTEM SECUNDUM ANIMAM DESCENDERIT AD INFEROS

954. Status quaestionis. 1) Infernus, qui graece Ἅδης et hebraice שאול (sheol) dicitur, designat locum, quo animae defunctorum nondum purificatae post mortem migrant. Numerantur quatuor inferni: *infernus damnatorum*, in quo reprobi post mortem aeternaliter cruciabuntur; *limbus puerorum*, quo se recipiunt animae sine baptismo decedentium; *purgatorium*, in quo purgantur animae fidelium, gratia quidem habituali auctae sed nondum omnino purificatae; *limbus patrum*, in quo morabantur animae sanctorum ante mortem Christi.

2) Certum est Christum non descendisse secundum praesentiam realem ad infernum damnatorum, nec ad limbum puerorum, quia anima ejus non erat ad haec loca destinata, nec ipsi erat aliquid agendum in eis. Multo probabilius est non descendisse in purgatorium [3].

3) Discutiendum est, an anima Christi post separationem a corpore vere et realiter et non solum secundum effectum descenderit ad limbum patrum.

955. Errores. 1) Calvinus contendit vocabulo descensus Christi ad inferos intelligi turbationem, moerorem ac tristitiam ejus animae in passione [4].

2) Alii existimarunt descendere in infernum idem significare ac mori vel sepeliri. Tribuitur Bezae apud Petavium [5].

3) *Durandus* defendit Christum descendisse tantummodo virtute in infernum, non secundum realem praesentiam [6].

---

1 *De locis theol.*, lib. 2, c. 18 ad 5.

2 Hanc solutionem defendit **Cherubim a S. Joseph**, *Summa criticae sacrae*, diss. 6, part. 3, disp, 2, a. 2. **Cano** vero appositis quibusdam observationibus addit: «Quae si vera sunt, jam pulchre consentiunt evangelistae». *De locis theol.*, lib. 2, c. 18 ad 5.

3 *III p.*, q. 52, a. 2.

4 *Instit.*, lib. 2, c. 16, n. 10 sqq.

5 *De incarnat.*, lib. 13, c. 15, n. 2.

6 *In III Sent.*, dist. 22, q. 3.

956. THESIS. **Christus secundum animam proprie descendit ad inferos.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Illa verba: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem* (Ps. 15, 10) referuntur ad Christum juxta illud S. Petri: *Providens locutus est* (Psaltes) *de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem* [1].

2) *Ex symbolis Ecclesiae.* In symbolo apostolorum dicimus: *Qui* (Christus)... *crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferos* [2]. In symbolo athanasiano: *Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos* [3].

3) *Ex conciliis.* Concilium Senonense (a. 1140) inter errores Abaelardi damnavit hanc propositionem: «Anima Christi per se non descendit ad inferos, sed per potentiam tantum» [4]. Et Concilium Lateranense (a. 1215) contra albigenses aliosque haereticos ait: «Quin etiam (Christus) pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus, descendit ad inferos..., descendit in anima, et resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque» [5].

4) *Ex SS. Patribus. S. Irenaeus:* «Dominum in ea, quae sunt sub terra, (credimus) descendisse evangelizantem et illis adventum suum, remissione peccatorum exsistente his, qui credunt in eum» [6]. *S. Athanasius:* «In ipsa Christi morte... quando corpus quidem usque ad sepulchrum tantum pervenit; anima vero ad infernum usque penetravit» [7].

957. Corollarium I. Quamvis Christus non descenderit secundum praesentiam realem in gehennam damnatorum neque in purgatorium, tamen secundum virtutem in ea descendit; in gehennam quidem damnatorum arguendo damnatos de suis peccatis, et in purgatorium consolando animas ibi detentas.

Coroll. II. Christus, vix descendit in limbum patrum, liberavit ac visione beatifica donavit animas sanctorum ibi detentas, locumque illum in paradisum mutavit. Hoc colligitur ex verbis Jesu ad bonum latronem: *Hodie mecum eris in paradiso* [8].

ARTICULUS II

DE RESURRECTIONE CORPORALI CHRISTI

958. I. *Christus diserte suam a mortuis resurrectionem praenuntiavit.* Jesus Christus, dum viveret, ait apostolis: *Filius hominis... tertia die resurget* [9]. De hac Christi praedictione persuasi erant judaei, cum

---

1 *Act.*, 2, 27, 31.

2 **Denz-Bannw.**, 6.

3 **Denz-Bannw.**, 40.

4 **Denz-Bannw.**, 385.

5 **Denz-Bannw.**, 429.

6 *Adv. haer.*, lib. 4, c. 27, n. 2; MG **7**, 1058.

7 *De incarnat. Dom.*, n. 13; MG **26**, 1117.

8 *Luc.*, 23, 43.

9 *Matth.*, 20, 18-19; *Marc.*, 10, 34; *Luc.*, 18, 33.

http://www.obrascatolicas.com

die Parasceve dixerunt Pilato: *Seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam* [1].

II. *Christus de facto resurrexit a mortuis.* Errores circa factum resurrectionis Jesu Christi retulimus in *Theologia fundamentali*, n. 234, et ipsam resurrectionem probavimus ibidem n. 238 sqq. Ne eadem repetamus, illuc lectorem remittimus.

III. *Christus propria virtute resurrexit.* Divinitas etenim, quae erat hypostatice unita tum corpori tum animae Christi in triduo mortis, fuit causa efficiens principalis illius gloriosae resurrectionis. Egregie hoc explicat *Angelicus* dicens: «Per mortem non fuit separata divinitas nec ab anima Christi nec ab ejus carne. Potest igitur tam anima Christi mortui quam ejus caro considerari dupliciter: uno modo ratione divinitatis: alio modo ratione ipsius naturae creatae. Secundum igitur unitae divinitatis virtutem et corpus resumpsit animam, quam deposuerat, et anima corpus resumpsit, quod dimiserat. Et sic Christus propria virtute resurrexit. Et hoc est, quod de Christo dicitur *II ad Cor.*, 13, 4: quod *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Si autem consideremus corpus et animam Christi mortui secundum virtutem naturae creatae, sic non potuerunt sibi invicem reuniri, sed oportuit Christum resuscitari a Deo» [2].

IV. Ad qualitates corporis Christi redivivi applicanda sunt, quae dicentur in Eschatologia de corporibus resurgentium. Unum tantummodo de corpore Christi speciale signum est hic adjungendum, nempe Christum post gloriosam resurrectionem retinuisse cicatrices in manibus, pedibus et latere, «*primo* quidem, ut ait *Angelicus*, propter gloriam ipsius Christi... ut in perpetuum victoriae suae circumferat triumphum... *Secundo*, ad confirmandum corda discipulorum circa fidem suae resurrectionis. *Tertio*, ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. *Quarto*, ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, propositis ejusdem mortis indiciis, insinuet. *Postremo*, ut in judicio, quam juste damnentur, ibidem denuntiet» [3].

V. *Christus vere dicitur primitiae resurgentium et primogenitus ex mortuis*, tum quia primus fuit inter resurgentes ratione divinitatis et causalitatis, tum quia caeteros omnes praecessit tempore in resurrectione ad vitam inamissibilem.

Huic doctrinae opponunt aliqui verba Matthaei: *Terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis* [4]. Sed hunc locum bene interpretatur *Knabenbauer* dicens: «In ipsa morte aperiuntur monumenta; sed mortuos surrexisse non statim, sed post Christi resurrectionem, qui scilicet est primogenitus ex mortuis (*Col.*, 1, 18) patet ex versu 53; quare per anticipationem dictum est corpora surrexisse; immo *Maldonatus* censet etiam monumenta non esse aperta nisi post Christi resurrectionem» [1].

1 *Matth.*, 27, 63.
2 *III p.*, q. 53, a. 4.
3 *III p.*, q. 54, a. 4.
4 *Matth.*, 27, 51-53.

VI. *Resurrectio Christi est causa exemplaris et efficiens resurrectionis aliorum. Exemplaris* quidem, quia «est prima dignitate et perfectione... Semper autem id, quod est perfectissimum, est exemplar ejus, quod est minus perfectum secundum suum modum, et ideo resurrectio Christi est causa exemplaris nostrae resurrectionis». *Efficiens* vero, «in quantum humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, et operatur in virtute ejus» [2].

ARTICULUS III

DE ASCENSIONE CHRISTI

959. I. *Dogma catholicum est Christum Dominum in caelum ascendisse.* In Actibus apostolorum describitur ascensio Christi in caelum his verbis: *Videntibus illis* (apostolis) *elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in caelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum* [3].

Symbola fidei, quae recepta sunt in Ecclesia, confirmant ascensionem Christi in caelum. *Symbolum apostolorum:* «Ascendit ad caelos» [4]. *Symbolum Epiphanii:* «Et caelum cum eodem corpore conscendit» [5]. *Formula Libellus in modum Symboli:* «Credimus Filium Dei... quadragesima die post resurrectionem ad caelum ascendisse» [6]. *Symbolum nicaeno cpolitanum:* «Et ascendit in caelum» [7].

Ascendere in caelum quantum ad corpus est, relinquendo hanc terram adspectabilem, motu locali migrare in caelum.

II. Si conditionem ascendentis spectes, Christus ascendit secundum humanam naturam, quatenus motu locali caelum petiit. Et hoc sensu bene dicitur Christus ascendisse in caelum, ut erat homo, non ut Deus.

Si causam ascensionis quaeris, Christus ut Deus, non ut homo, virtute divinitatis ascendit in caelum [8].

ARTICULUS IV

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM PATRIS

960. I. Sedere ad dexteram alicujus nobilis dicitur esse honorificum, et sic principes, quos volunt speciali modo honestare, solent ad dexteram suam in conviviis et actibus publicis collocare.

1 *In Matth.*, 27, 51-53.
2 **S. Thomas**, *III p.*, q. 56, a. 1 ad 3.
3 *Act.*, 1, 9 sqq.
4 **Denz-Bannw.**, 6.
5 **Denz-Bannw.**, 13.
6 **Denz-Bannw.**, 20.
7 **Denz-Bannw.**, 86.
8 **S. Thomas**, *III p.*, q. 57, a. 2.

http://www.obrascatolicas.com

Deus, utpote purus spiritus, non habet dexteram vel sinistram, prout nos eas intelligimus. Sed tropice Christus ut Deus dicitur sedere ad dexteram Patris, quia a Patre procedens eamdem cum ipso habet naturam ac majestatem sine confusione personarum. Unde *S. Joannes Damascenus* ait ad rem: «Per paternae dexterae vocabulum significamus divinitatis gloriam» [1].

II. *Christus vero secundum humanam naturam adsumptam,* speciali modo sedet ad dexteram Patris, quia non solum fruitur beatitudine, ut alii sancti, sed potitur potestate excellentiae super omnes creaturas. Huc refertur illud S. Marci: *Assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei* [2]; et illud Apostoli: *Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* [3].

Salubriter ergo credimus in symbolo fidei, quod Christus *sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis* [4].

III. Christus in dextera Dei sedens, est *semper vivens ad interpellandum pro nobis* [5].

---

[1] *De fide orth.*, lib. 4, c. 2; MG **94**, 1104.
[2] *Marc.*, 16, 19.
[3] *Col.*, 3, 1.
[4] **Denz-Bannw.**, 6.
[5] *Hebr.*, 7, 25.

SECTIO III

MARIOLOGIA

961. AUCTORES CONSULENDI. I. **SS. Patres. S. Ephrem,** *Oratio ad Deiparam,* Ass. G **3,** 545; **S. Hieronymus,** *De perpetua virginitate beatae Mariae adv. Helvidium,* ML **23,** 193; **S. Cyrillus Alexandrinus,** *Adv. Nestorii blasphemias,* MG **76,** 9; *Dialogus cum Nestorio,* MG **76,** 250; *Adv. nolentes confiteri S. Virginem esse Deiparam,* MG **76,** 255; **S. Proclus,** *Orationes duae in SS. Dei genitricem,* MG **65,** 680, et **65,** 716; **Sophronius,** *Epistola synodica ad Sergium;* **Mansi,** *Ampliss. Coll. Concil.*, t. 11, col. 461 sqq.; **S. Augustinus,** *De natura et gratia,* c. 36, ML **44,** 267; **S. Joannes Damascenus,** *Homiliae in Beatam Mariam Virginem,* MG **96,** 643; **S. Germanus Cpolitanus,** *Sermones de S. V. Deiparae mysteriis,* MG **96,** 293; **S. Epiphanius,** monachus cpolitanus, *De vita B. Virginis,* MG **120,** 193; **S. Bernardus,** *Tractatus ad laudem gl. Virginis Mariae* (si tamen sit S. Bernardi), ML **182,** 1141.

II. **Scholastici. Alexander Alensis,** O. M., *Summa Theologica, III p.*, q. 9, m. 2; **S. Albertus Magnus,** O. P., *De laudibus M. Mariae; Mariale;* et *In III Sent.*, dist. 3, a. 4; **S. Thomas,** O. P., *III p.*, q. 27; et *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 1; **S. Bonaventura,** O. M., *in III Sent.*, dist. 3; **Henricus Gandavensis,** O. S. B. M. V., *Quodlib.* 15, q. 3; **Aegidius Columna,** O. S. A., *in IV Sent.*, q. 3, q. 1, a. 1; **Raymundus Lullius** (vel alius), *Liber de Immaculata B. V. Conceptione;* Et Liber *Benedicta tu in mulieribus;* **Scotus,** O. M., *in III Sent.*, dist. 3, q. 1; **Bachonus,** O. C., *in III Sent.*, dist. 3; et *Quodlib.* 3, qq. 12 et 13; **Lezana,** O. C. C., *Liber Apologeticus pro immaculata Deiparae Virginis Conceptione;* **Salmanticenses,** *De vitiis et peccatis,* disp. 15; et alii innumeri.

III. **Scriptores recentiores. Josephus a Jesu Maria,** C. Exc., *Historia de la vida y excelencias de la Sacratísima Virgen María;* **S. Alphonsus M. de Ligorio,** *Le glorie di Maria;* **Ventura Raulica,** *La Madre di Dio;* **Passaglia,** *De immaculato Deiparae conceptu;* **Aug. Nicolas,** *La Vierge Marie dans le plan divin;* **Northcote,** *Mary in the Gospels;* **T. Livius,** *The B. Virgin in the Fathers;* **Lepicier,** *Tractatus de B. V. Maria Matre Dei;* **Janssens,** *Mariologia;* **Campana,** *Maria nel dogma cattolico;* **Vacant,** *Dictionnaire de Théologie cath.;* v. *Immaculée Conception;* **Prado,** *D. Thomas et Bulla dogmatica Ineffabilis Deus.*

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO LXXI

DE CONCEPTIONE IMMACULATA BEATAE MARIAE VIRGINIS

ARTICULUS I

TRADUNTUR NOTIONES PRAEVIAE

962. I. *De perfectione corporali beatae Mariae Virginis.* Quamvis nos omnino lateant qualitates corporales beatae Mariae Virginis, quoad colorem, staturam, etc., et excessus in hac parte vitare oporteat, traditio tamen conservata in arte christiana et liturgia sacra satis nos docet sanctissimam Dei genitricem fuisse omnino pulchram adspectuque modeste delectabilem. Quare *S. Thomas* ait: «Quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit» [1]. Et *Suarez* addit: «De naturali perfectione Virginis dicendum est corpus beatissimae Virginis fuisse in sua specie et sexu maxime perfectum. Ita docent omnes Patres, qui de beata Virgine scribunt. Nec potest sine temeritate negari, cum nulla auctoritas vel ratio obstet, et per sese decens ac mysterio incarnationis consentaneum sit» [2]. Hoc certe exigebat tum munus maternitatis divinae, quo decorata est, tum complexio ejus cum magna animi moderatione perfecta [3].

II. *Animam quoque bonam sortita est Maria Virgo.* Hoc quippe necessarium fuit, ut omnes potentias facile moveret, et gratiae plenitudinem sponte reciperet. Cfr. *Josephus a J. M.; Hist. de la vida y excelencias de la Sacratísima Virgen María,* lib. 1, p. 1, c. 12.

III. *Justitia originalis.* Satis explicata est in tractatu *De Deo creante,* n. 773, natura justitiae originalis, quae non aliud fuit quam gratia sanctificans informans essentiam animae majori cum perfectione quam in praesenti statu, et subjiciens rationem Deo auctori supernaturali, rationi vires inferiores, et animae corpus.

Haec justitia originalis divinitus concessa est primo homini *ut «accidens naturae speciei,* non quasi ex principiis speciei causatum, sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum toti naturae» [4].

Justitia originalis, utpote donum naturae speciei concessum, ex ordinatione divina transmittenda erat ad posteros Adae, nisi Adam peccasset.

---

[1] *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 2, sol. 1 ad 4.

[2] *De mysteriis Christi*, disp. 2, sect. 2, n. 2.

[3] Cfr. **S. Albertus M.**, *De laudibus B. M. V.*, lib. 5, c. 2; et *Mariale*, q. 15, § 3; et **Josephus a J. M.**, *Hist. de la vida y excelencias de la Sacratísima V. María*, lib. 1, c. 41 sqq.

[4] **S Thomas**, *I p.*, q. 100, a. 1.

http://www.obrascatolicas.com

IV. *Peccatum originale.* Adamus, cum transgressus esset in paradiso praeceptum de non edendo fructu vetito, commisit primum peccatum, quod in eo erat simul *personale* et *originale;* personale quidem, in quantum erat aversio a Deo, originale vero, quatenus erat privatio in natura doni seu accidentis speciei [1].

Corrupta jam natura hominis per amissionem accidentis speciei naturae, peccatum originale, quod etiam peccatum naturae merito vocatur, transit ad omnes posteros, qui eamdem naturam corruptam participant, nisi speciali Dei privilegio aliqua creatura illibata servetur.

Modus transmissionis facilius, ut alibi probavimus, explicatur ex capite naturae ad mentem *Angelici Doctoris.* Donum quippe justitiae originalis collatum fuit primo homini «ut cuidam principio totius humanae naturae, ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum, primus homo per liberum arbitrium peccans, amisit eo tenore quo sibi datum fuerat, scilicet pro se et pro sua posteritate. Defectus ergo hujus doni totam ejus posteritatem consequitur; et sic iste defectus eo modo traducitur in posteros, quo modo traducitur humana natura; quae quidem traducitur non quidem secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem, scilicet secundum carnem, cui Deus animam infundit; et sic sicut anima divinitus infusa pertinet ad naturam humanam ab Adam derivatam propter carnem, cui conjungitur, ita et defectus praedictus pertinet ad animam propter carnem, quae ab Adam propagatur non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum seminalem rationem, id est, non solum materialiter, sed sicut ab activo principio; sic enim filius accipit a patre naturam humanam» [2].

Peccatum igitur originale in posteris Adae non est nisi defectus justitiae originalis cum omnibus sequelis, quae inde oriuntur, seu est «inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniae, in qua consistebat ratio originalis justitiae» [3].

Cum peccatum derivetur ad humanam naturam per carnem, ut diximus ex *S. Thoma,* per prius recipitur in corpore, quod destitutum est virtute transmittendi justitiam originalem, quam in anima, quae inquinatur in contactu cum corpore; et prius in essentia animae quam in potentiis, quia essentia animae magis quam potentiae conjungitur naturae humanae.

Omnes descendentes ex Adam per seminalem generationem—adeoque omnes praeter Christum—debebant contrahere hoc peccatum originale, nisi aliquis speciali Dei privilegio praeservaretur, quod privilegium liberaliter concessum esse beatissimae Virgini Mariae tenendum est fide catholica.

V. *Duplici via potuit sacratissima Virgo Mater Dei praeservari a peccato originali.*

1) *In sententia Scoti et aliorum,* qui dicunt Verbum Dei, etiamsi Adam non peccasset, incarnatum iri, maternitas divina Virginis et ejus

[1] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 8, a. 5 ad 1; et **Cajetanus,** *In I-II*, q. 83, a. 1 ad 1°.
[2] **S. Thomas,** *De malo*, q. 4, a. 1.
[3] **Prado,** *Divus Thomas* et Bulla dog. «Ineffabilis», c. 2, § 3, *Tertio.*

conceptio immaculata decretae fuerunt ante praevisionem peccati Adami, adeo ut in hoc ordine Adamus non fuerit caput Mariae, nec Maria dependerit ab «Adamo quoad transmissionem originalis justitiae, nec per consequens quoad transmissionem originalis peccati» [1].

2) *In sententia S. Thomae et aliorum theologorum,* qui docent Verbum Dei, Adamo non peccante, incarnatum non iri, electio Virginis ad Matrem Dei et ejus praeservatio a peccato originali sequutae sunt praevisionem lapsus Adami, adeo ut Maria involveretur in praevaricatione Adami. Ut autem remedium apponeretur peccato, decreta est Filii Dei incarnatio, et Maria, educta a massa universali, praeservata est ab originali peccato. Unde decretum praeservationis Mariae a peccato originali datum est post praevisionem lapsus Adami, in quo Maria involuta est.

VI. Hae duae viae maxime inter se differunt.

1) Si praeservatio Virginis a peccato originali facta fuisset ante praevisionem lapsus Adami, ut volunt Scotus et qui ipsum sequuntur, justitiam originalem independenter ab Adamo habuisset, et totaliter a peccato originali ejusque consequentiis praeservata fuisset, quin contraheret carnem infectam vel incurreret poenalitates hujus vitae, aut indigeret redemptione Christi.

2) E contra, si post praevisionem lapsus Adami decreta est a Deo maternitas divina et conceptio immaculata beatae Mariae Virginis, ut volunt plurimi theologi, speciali Dei privilegio praeservata est Maria a macula peccati originalis et ab omnibus sequelis, quae ipsam inseparabiliter comitantur, qualis est reatus poenae aeternae, sed non ab omnibus sequelis, quae utcumque peccatum originale sequuntur. Unde, quamvis praeservata fuerit ab omni labe peccati originalis, contraxit tamen carnem infectam, incurrit poenalitates hujus vitae, indiguit redemptione Christi, etc. [2].

ARTICULUS II

QUID INTELLIGATUR PER CONCEPTIONEM IMMACULATAM

963. I. Hic non loquimur, ut ex verbis et ex contextu patet, de conceptione mirabili Domini nostri Jesu Christi in utero deiparae, sed de conceptione ipsius beatae Mariae Virginis in utero matris suae.

II. Conceptio potest esse *activa* vel *passiva.* Conceptio *activa* est, «in qua, ut ait Benedictus XIV ex Frassen, sancti beatae Virginis parentes opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea, quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam». *Passiva* est «cum rationalis anima cum corpore copulatur. Ipsa animae infusio et unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur conceptio *passiva,* quae scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori

[1] **Prado,** *D. Thomas* et Bulla «Ineffabilis», c. 8, *Quinto.*
[2] Cfr. **Cajetanus,** *Opusc. De Conceptione beatae Virginis*, c. 2, qui de hoc acute et solide tractat.

http://www.obrascatolicas.com

omnibus membris ac suis organis constanti unitur»[1]. Hic sermo est de conceptione passiva Virginis.

III. Conceptio passiva potest esse *inchoata*, quae in sententia eorum, qui contendunt animam rationalem non infundi fetui, usque dum corpus ad debitam organismi dispositionem venerit[2], protenditur totum tempus, quo materia disponitur, et *completa*, quae fit in momento, in quo anima rationalis infunditur, et incipit esse homo. Agitur de conceptione completa, in qua beata Virgo erat creatura rationalis.

IV. In conceptione beatae Virginis duo conceptus possunt considerari, esse naturae et esse gratiae. Cum autem in uno ordine prius sit esse simpliciter quam esse sanctum, in uno momento recte distinguuntur prius et posterius; et ne quaestio confunderetur, Pontifex Pius IX declaravit Virginem Mariam in primo instanti (utique temporis) suae conceptionis, passivae et completae, fuisse ab omni labe praeservatam immunem.

V. Hoc privilegium fuisse beatae Mariae Virgini intuitu meritorum Christi concessum expresse declarat constitutio dogmatica.

VI. Maria dicitur speciali Dei privilegio fuisse *praeservata* a peccato originali. Porro praeservatio est actio, qua quis liberatur seu praevenitur, ne incidat in malum. Potuit sanctissima Virgo dupliciter praeveniri, ne incideret in peccatum originale. *Primo*, excludendo eam ante praevisionem lapsus primi parentis ab influxu Adami in ordine gratiae et peccati, adeo ut solum *debitum remotum* habuerit contrahendi peccatum originale; *secundo*, includendo eam in lege communi influxus Adami in ordine gratiae et peccati, sed eximendo eam post praevisionem lapsus Adami a lege contrahendi peccatum originale per exceptionem, adeo ut habuerit *debitum proximum* contrahendi peccatum. In hoc secundo casu posset dici sanctissimam Virginem contraxisse debitum in Adamo, non in primo casu.

Haec omnia prae oculis habenda sunt, ut recte intelligantur aliqua dicta theologorum.

VII. Natura hujus mysterii in hoc consistere videtur, quod beatissima Virgo Maria in primo instanti temporis suae conceptionis perfectae, in quo incipit esse creatura rationalis, speciali Dei privilegio et intuitu meritorum Christi, fuerit ab omni originali labe praeservata, quin tamen liberaretur ab infectione carnis, nec a poenis temporalibus et a morte.

ARTICULUS III

ERRORES CIRCA IMMACULATAM CONCEPTIONEM BEATAE MARIAE VIRGINIS

964. I. Nonnulli auctores magis pii quam theologi, volentes forte tribuere Mariae omnem perfectionem imaginabilem, docuerunt eam conceptam fuisse in ventre matris suae virginaliter sine concubitu viri. Sed hoc sine fundamento dictum est.

---

[1] *De festo Conceptionis*, n. 1; **Migne,** *Theol. Cursus completus*, t. 26, p. 633.
[2] Cfr. *De Deo creante*, n. 742.

II. Aliqui veteres judaei, si fides est Petro Galatino, dixerunt minimam massae corporalis partem in primo homine mansisse incorruptam, et de generatione in generationem usque ad formationem Mariae pervenisse, atque ex ea corpus Virginis formatum fuisse[1].

III. Plures certe defenderunt beatissimam Virginem Mariam de facto contraxisse peccatum originale in sua conceptione passiva et completa, in eoque parum temporis permansisse.

De mente *SS. Anselmi et Bernardi*, necnon summorum theologorum *S. Alberti Magni*, *S. Bonaventurae* et *S. Thomae* in hac materia non parum disputatum est, ut inferius videbimus, sed certe *Aegidius Romanus*, *Petrus de Tarantasia*, *Petrus de Palude* et alii bene multi docuerunt beatissimam Virginem de facto contraxisse peccatum originale, et post primum instans temporis sanctificatam fuisse[2].

Gravius deinde erravit in hoc *Bajus* sustinens propositionem 73 qua dicebat: «Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali: hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum»[3].

IV. Increduli et rationalistae hodierni cum risu accipiunt doctrinam, quae docet sanctissimam Virginem conceptam fuisse immaculatam et abundantissima Dei gratia refertam.

ARTICULUS IV

QUID TANDEM DOCEAT DOGMA CATHOLICUM IN HAC MATERIA

Status quaestionis ex dictis satis constat:

965. THESIS. **Beata Virgo Maria in primo instanti temporis suae conceptionis completae intuitu meritorum Christi praeservata fuit ab omni labe peccati originalis.**

Est de fide a Pio IX solemniter definita his verbis: *Declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam*[4].

---

[1] **Petrus Galatinus,** *De arcanis catholicae fidei*, lib. 7, c. 3. Hunc errorem renovavit saeculo elapso Rosmini dicens: «Ad praeservandam beatam Virginem Mariam a labe originis satis erat, ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone, e quo incorrupto semine de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Maria». *Prop.* 34 Rosmini, damnata per decretum S. Off., 14 Dec. 1887; **Denz-Bannw.,** 1924.

[2] **Aegidius Romanus,** *In III Sent.*, dist. 3, p. 1, q. 1, sol.; **Petrus de Tarantasia** (postea Summus Pontifex Innoc. V), *In III Sent.*, dist. 3; **Petrus de Palude,** *In III Sent.*, dist. 3, q. 1; **Bachonus,** *Quodlib.* 3, q. 12, et *In IV Sent.*, dist. 2, q. 3, aa. 3 et 4, docuit beatam Virginem ut filiam Adae contraxisse peccatum originale, sed ut matrem Christi sine peccato conceptam fuisse.

[3] *Prop.* 73, anno 1567 a S. Pio V damnata. **Denz-Bannw.,** 1073.

[4] Bulla «Ineffabilis», 8 Dec. 1854; **Denz-Bannw.,** 1641.

http://www.obrascatolicas.com

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Protoevangelium, ita dictum, quia fuit primum de Christo nuntium, haec habet in Genesi: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa* [1] *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* [2].

Non certo constat, de qua muliere agat Scriptura, an de Eva, de qua sermo est in versu praecedenti, an de Maria Virgine, de qua natus est Christus.

a) Plurimi commentatores, etiam catholici, pondere gravissimi, volunt voce mulieris האשה, *Ha'issa* cum articulo significare Evam, mulierem scilicet determinatam, de qua in toto capite et praesertim in versu praecedenti agitur. Ita inter alios *J. Corluy, A. J. Maas, Hummelauer, Hoberg, L'Ami du Clergé* et alii [3].

In hac sententia argumentum in favorem immaculatae conceptionis beatae Mariae Virginis exstruitur ex Protoevangelio hoc pacto.

Praenuntiatur inimicitia inter diabolum et Evam, et inter semen diaboli ac semen seu descendentiam Evae. Semen diaboli est multitudo daemonum, qui diabolo sunt mala suggestione cognati. Descendentia Evae est vel solus Christus, ut pauci interpretantur [4], vel potius tota posteritas Evae, in qua continetur Christus [5]. Hinc enascitur necessitas matris Christi, quae, ut decet talem matrem, debuit esse perfecta et sancta in sua origine, nullatenus diabolo subjecta, ut luctaret cum eo ejusque sobole.

b) Alii plures, tum veteres Patres tum recentiores commentatores ac theologi, meo judicio verius docent in Protoevangelio voce mulieris directe beatam Virginem Mariam non Evam designari, tum quia Eva non gerebat inimicitiam cum diabolo nec unquam inter omnes descendentes Evae et diabolum fuit lucta constans; nec posteritas Evae collective victoriam reportavit, sed tantum Maria ejusque Filius Christus. Ita SS. Patres: *S. Justinus, S. Irenaeus, S. Cyprianus, S. Epiphanius, S. Ambrosius, S. Leo* [6]; Commentatores: *Joannes a Cruce, Patrizi, Lamy, Hetzenauer, Murillo, Bover* [7]. Theologi: *Billot, Muncunill, Honoratus del Val* et alii [8].

---

[1] Conformius linguae hebraicae legendum esset *ipsum*, semen mulieris, vel *ipse*, ut habent septuaginta.

[2] *Gen.*, 3, 15.

[3] **Corluy,** *Spicilegium dogmatico-biblicum*, t. 1, p. 347; **A. J. Maas,** *Christ in type and prophecy*, New-York, 1893, t. 1, pp. 201-203; **Hummelauer,** *Commentarius in Genesim*, p. 161, Paris, 1908; **Hoberg,** *Die Genesis*, p. 49 (1908); *L'Ami du Clergé*, a. 1900, p. 126.

[4] Cfr. **Campana,** *Maria nel dogma cattolico*, p. 308 (Torino, 1909).

[5] Cfr. **Hummelauer,** *In Genesim*, p. 162 (ed. 1908).

[6] **S. Justinus,** *Dial. cum Tryphone*, n. 100; MG **6,** 710; **S. Irenaeus,** *Adv. haer.*, lib. 5, c. 21; MG **7,** 1179; **S. Cyprianus,** *Test. adv. judaeos*, lib. 2, c. 9; ML **4,** 732; **S. Epiphanius,** *Haer.* 78, n. 18; MG **42,** 730; **S. Ambrosius,** *Enarrat in ps.* 37, n. 8 sqq.; ML **14,** 1060; **S. Leo,** *Serm.* 22, c. 1; ML **54,** 194.

[7] **Joannes a Cruce,** *Comment. in Genesim*, c. 3, v. 15; **Patrizi,** *De interpret. SS. Script.*, lib. 2, q. 4 (ed. 1844); **Lamy,** *Comment. in lib. Geneseos*, t. 1, p. 223 sqq.; **Hetzenauer,** *In Genesim*, p. 79 sq.; **Murillo,** *El Génesis*, p. 305 sqq.; *El Protoevangelio y el dogma de la Concepción Inmaculada de María*, «Razón y Fe», 1904, número extraordinario, p. 7 sqq.; **Bover,** *Estudios eclesiásticos*, a. 1922, p. 319 sqq.

[8] **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 41; **Muncunill,** *De Verbi incarnat.*, n. 1041 sqq.; **Honoratus del Val,** *De Verbo incarnato*, n. 253. Hanc interpretationem adhibuit Pius IX in Bulla *Ineffabilis*, § «Quapropter».

Juxta hanc interpretationem in Protoevangelio praedicitur inimicitia inter diabolum et Mariam Virginem; et inter semen diaboli, quod est multitudo daemonum homines tentantium, et semen Virginis quod est Christus. Victoria autem tribuitur Mariae et Christo, qui sunt diaboli caput-contrituri.

Imo merito docent *Billot, Bover* et alii [1] in Apocalypsi S. Joannis c. 12 describi executionem eorum, quae vaticinantur in Protoevangelio.

Exinde recte concluditur beatissimam Virginem Mariam nunquam fuisse sub ditione diaboli, ac proinde nunquam peccato originali fuisse inquinatam.

b) In Novo Testamento angelus Domini salutavit Mariam dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (κεχαριτωμένη Deo dilectissima) [2]. Per hanc gratiae plenitudinem intelligunt communiter SS. Patres Mariae collatam fuisse eam conditionem singularem, qua nunquam fuerit obnoxia peccato [3]. Gratia revera Mariae non fuisset omnimode plena, si vel uno momento defuisset.

2) *Ex conciliis.* Concilium Lateranense a. 649 sub Martino I haec decrevit: «Si quis secundum SS. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem, Dei genitricem sanctam semperque Virginem et *immaculatam* Mariam... condemnatus sit» [4].

Concilium Tridentinum ait: «Declarat tamen haec ipsa sancta synodus non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti PP. IV sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat» [5].

3) *Ex traditione.* Sancti Patres et theologi constanter docent hanc veritatem. In epistola presbyterorum et diaconorum Achaiae de martyrio S. Andreae legitur: «Quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per ligni praevaricationem mundo mortem intulerat; necessarium fuit, ut de immaculata Virgine nasceretur perfectus homo Filius Dei» [6].

S. Maximus Taurinensis: «Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali» [7].

S. Augustinus: «Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo

---

[1] **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 41; **Bover,** Ephem. *Estudios eclesiásticos*, a. 1922, p. 319 sqq.

[2] *Luc.*, 1, 28.

[3] «Ecclesiae scriptores, ait Pius PP. IX..., docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum, adeo ut *nunquam maledicto obnoxia*, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps, ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui (Luc.*, 1, 42)». Bulla *Ineffabilis:* «Ad hanc eamdem».

[4] *Can.* 3; **Mansi,** vol. 10, col. 1151.

[5] *Sess.* 5, *Decreto de peccato originali*, n. 5; **Denz-Bannw.,** 792.

[6] *Acta et martyrium S. Andreae;* MG **2,** 1226. Haec epistola, licet apocrypha, antiquissima est, et veterum opinionem manifestat.

[7] *Hom. 5 ante Nat. Dom.;* ML **57,** 253.

http://www.obrascatolicas.com

quaestionem; unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum» [1].

S. Joannes Damascenus: «Natura enim gratiae cedit, statque tremula, pergere non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, ut Dei genitrix Virgo ex Anna nasceretur, natura gratiae germen antevertere non ausa est; sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet» [2].

Plures deinde SS. Patres et doctores theologi hanc traditionem sustinuerunt. Saeculis praesertim XIII et XIV, quando quibusdam doctoribus probabilior visa est sententia contraria, strenue aliqui veram doctrinam defenderunt. Utiliter conferri possunt *Vincentius Bellovacensis, Raymundus Lullius, Scotus, Bachonus, Thomas Argentina* et alii bene multi [3].

4) *Ex ratione.* Argumentum ex ratione pulcherrime exponit Pius IX his verbis: «Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plene immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam se ipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur, et nasceretur ille, de quo ipse procedit» [4].

Obj. 1.° Apostolus loquens ad romanos de primo parente ait: *In quo omnes peccaverunt* [5]; et ad corinthios: *In Adam omnes moriuntur* [6]. Ergo beata Virgo Maria peccatum originale contraxit et mortua est.

Resp.—Dist. ant. In Adam omnes peccaverunt et mortui sunt, *quoad debitum,* quatenus omnes modo naturali ab Adamo descendentes continebantur in lege generali contrahendi peccatum et accipiendi carnem infectam, **conc.;** *quoad ipsum peccatum,* quo revera inquinentur, subdistinguo: Si speciali Dei privilegio non excipiantur, **conc.;** si a Deo excipiantur, **neg.** Beata autem Virgo Maria excepta fuit a lege universali.

Obj. 2.° Beata Virgo Maria indiguit redemptione Christi. Ergo in conceptione sua non fuit immunis a peccato originali.

Resp.—Dist. ant. Beata Virgo Maria indiguit redemptione Christi *praeservativa,* ut exciperetur a lege universali contrahendi peccatum originale, **conc.;** redemptione *reparativa,* ut liberaretur a peccato contracto, **neg.**

---

[1] *De natura et gratia,* c. 36, n. 42; ML 44, 267.

[2] *Hom. I in Nat. B. V. Mariae,* n. 2; MG 96, 663.

[3] **Vincentius Bellovacensis,** *Laudes B. V. Mariae,* op. 5, 6; apud **Pesch,** *De Verbo incarnato,* n. 345; **Raymundus Lullius** (vel alius auctor), *Liber de immaculata B. V. Conceptione; Disputatio Raymundi et Eremitae;* **Scotus,** *In III Sent.,* dist. 3; **Bachonus,** *In IV Sent.,* dist. 2, q. 3, aa. 3-4; **Argentina,** *In III Sent.,* dist. 3, q. 1. Cfr. **Cornejo,** *In III p.,* tr. 3, disp. 2, dub. 6.

[4] Bulla *Ineffabilis,* § 1. **P. Josephus a J. Maria,** *Hist. de la vida y excelencias de la Sacr. Virgen,* lib. 1, p. 1, cc. 14, 15 et 17 optime probat SS. Virginem in sua conceptione immaculatam fuisse, quia fuit electa, ut esset mater Dei, regina angelorum et mediatrix hominum apud Deum.

[5] *Rom.,* 5, 12.

[6] *I Cor.,* 15, 22.

ARTICULUS V

QUOD DEBITUM HABUERIT BEATA VIRGO MARIA CONTRAHENDI PECCATUM ORIGINALE

966. Status quaestionis. 1) Debitum, ad praesens quod attinet, est *necessitas contrahendi peccatum originale, nisi quis a Deo praeservetur.*

Duplex distinguitur debitum, *remotum* scilicet et *proximum.* Debitum remotum est necessitas contrahendi peccatum originale in creatura, quatenus vocata fuit ad statum justitiae originalis et consequenter ad descendentiam ex Adamo; sive vocata fuerit ad justitiam originalem ante praevisionem peccati Adami, sive post praevisionem quidem peccati primi parentis sed primario ut esset mater Dei et secundario ut esset filia Adae. *Proximum* est necessitas contrahendi peccatum originale in creatura vocata primario in lege naturali, ut esset filia Adami, et deinde, praeviso peccato primi capitis naturalis, ut esset mater Dei immaculata.

2) Disputatur hic, an et quod debitum contrahendi peccatum originale fuerit in Maria Virgine.

967. Placita theologorum. 1) Aliqui dicunt in Maria fuisse solummodo debitum remotum, et hoc triplici suppositione:

a) Vel quia vocata fuit ad maternitatem Dei et justitiam originalem ante praevisionem peccati Adami. Ita defendunt vel defendere debent Scotus, scotistae, et quotquot docent Verbum Dei in praesenti decreto incarnatum iri, quamvis Adam non peccasset. Unde dicunt beatam Virginem praeservatam fuisse a peccato originali, quia lex poenalis, qua filii Adami condemnati sunt ad contrahendum peccatum originale, ex intentione legislatoris ad ipsam non se extendit [1].

b) Vel quia in pacto, aut ratione capitis moralis, aut quocumque modo dicatur causa filiorum conjuncta fuisse causae capitis, excepta fuit Virgo Maria. Ita *Catharinus* [2], *Lezana, Nieremberg, Wirceburgenses, Card. Mazzella* et alii plures [3].

c) Vel quia post praevisionem peccati primi parentis Maria vocata est ad exsistentiam, ut esset mater Dei, adeo ut, si Filius Dei non venisset in mundum, neque Virgo Maria exstitisset [4].

2) Alii, ut puto, multo communius defendunt beatissimam Virginem Mariam habuisse debitum proximum contrahendi peccatum originale, adeo ut ipsa inclusa fuerit in Adamo ut in capite naturali generis humani, et in lege generali, qua omnes posteri Adae tenebantur contrahere peccatum ori-

---

[1] Cfr. **Scotus,** *In III Sent.,* dist. 3, q. 1; **Card. Cusanus,** lib. *Exercitationum,* cc. 49 et 55; **Mayronus,** *In III Sent.,* dist. 3, q. 2; **Carmelus Iturgoyen,** *Velada científico-literaria,* 1904, et alii plures. Sunt aliqui, ut **Suarez,** qui admittentes Filium Dei in praesenti decreto, Adamo non peccante, incarnatum iri *(In III p.,* disp. 5, sect. 2 sqq.), docent beatam Virginem habuisse debitum proximum contrahendi peccatum originale; sed videntur debitum proximum aliter intellexisse.

[2] «Quod ergo beatissima illa Virgo id non incurrerit, ob eam gratiam fuit, quia excepta fuit in pacto illo». **Ambrosius Catharinus,** *De casu hominis et peccato originali,* § «Vide et octavo».

[3] **Lezana,** *Liber apologeticus pro immaculata deiparae V. M. conceptione,* cc. 32, 34 et 35; **Nieremberg,** *Theoria compendiosa de solida veritate conceptae deiparae absque labe originali,* et *Sacrosyllabus... pro immaculata conceptione;* **Wirceburgenses,** *De peccato originali,* n. 126 sqq.; **Card. Mazzella,** *De Deo creante,* n. 1131 sqq.

[4] Cl. **Campana,** *Maria nel dogma cattolico,* p. 248, defendit Christum nulla-

http://www.obrascatolicas.com

ginale, sed ab eo praeservatam fuisse speciali Dei decreto, quo electa est ad maternitatem divinam et justitiam originalem. Ita *Bachonus, Argentina, Ferrariensis, Cano, S. Bellarminus, Vazquez, Valentia, Suarez, Salmanticenses, Palmieri, Muncunill* et alii [1].

968. THESIS. **Beatissima Virgo Maria habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Apostolus expresse docet omnes sine ulla exceptione in Adamo peccasse: *Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei* [2]. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* [3]. Ergo beata Virgo Maria inclusa fuit in Adamo, sicut in capite naturae, et subjecta fuit legi universali, qua omnes descendentes ex Adamo contrahere debuerunt peccatum originale, nisi speciali Dei privilegio praeservarentur.

2) *Ex ratione theologica.* Beata Virgo Maria indiguit redemptione et de facto redempta est a Christo, juxta illud Apostoli: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus* [4]. Immo praeservata est a peccati originalis labe intuitu meritorum Christi, juxta Bullam *Ineffabilis.* Sed redemptio supponit peccatum vel saltem ejus debitum proximum. Ergo. Vocabulum *redimere* «significat emere seu pretio liberare eum, qui, cum prius liber esset, sub alterius potestate captivus, vel ejus servituti mancipatus detinetur» [5].

3) *Ex alia ratione.* Si beata Virgo Maria non habuisset debitum proximum peccati originalis contrahendi, nunquam mortem sustinuisset. Mors quippe est poena peccati. Sed beata Virgo Maria revera mortua est. Ergo.

Nec valet dicere Christum, qui nullum peccatum vel peccati debitum habuit, mortuum fuisse. Nam Christus non pro suis peccatis sed pro peccatis alienis ut fidejussor et redemptor hominum mortuus est, quod de Virgine Maria dici nequit, cum solus Christus fuerit fidejussor ac redemptor hominum.

969. Corollarium I. Ex hoc clare sequitur beatissimam Virginem Mariam, sicut et caeteros homines, fuisse in lumbis Adae sicut in capite naturae.

Coroll. II. Beata Virgo Maria, quae ante praevisionem peccati fuit

---

tenus incarnatum iri, Adamo non peccante; et postea addit: «Noi abbiamo, gia sostenuto la tesi che ella fu da Dio chiamata all'esistenza solo in vista di Gesù. Se il Figlio di Dio non avesse dovuto venire al mondo, anche Maria non sarebbe, mai uscita dal nulla», p. 282.

[1] **Bachonus,** *In IV Sent.*, dist. 2, aa. 3-5; **Argentina,** *In III Sent.*, dist. 3, q. 1; **Ferrariensis,** *Contra Gent.*, lib. 4, c. 50; **Cano,** *De locis theol.*, lib. 7, c. 3, n. 9, concl. 4; **S. Bellarminus,** *De amissione gratiae*, lib. 4, c. 16; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 115, c. 3; **Valentia,** *In III p.*, disp. 2, q. 1, punct. 2; **Suarez,** *De mysteriis vitae Christi*, disp. 3, sect. 2; **Salmant.,** *De vitiis et peccatis*, disp. 15, n. 124 sqq.; **Palmieri,** *De Deo creante*, th. 89; **Muncunill,** *De Verbi incarnatione*, n. 1079.

[2] *Rom.*, 3, 22-23.

[3] *Rom.*, 5, 12.

[4] *II Cor.*, 5, 14-15.

[5] **Salmanticenses,** *De vitiis et peccatis*, disp. 15, n. 70.

in lumbis Adae sicut in capite naturae, inclusa fuit in lege generali contrahendi justitiam vel peccatum ratione communis propagationis, et exinde habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale.

Coroll. III. Hic aliqui dicunt sanctissimam Virginem Mariam in Adamo peccasse [1]. Hoc ad tenorem epistolae S. Pauli ad romanos solum significat Virginem Mariam in Adamo fuisse in eoque habuisse debitum contrahendi peccatum originale, et de facto contractum iri, nisi speciali Dei privilegio praeservata fuisset.

Coroll. IV. Haec eadem Virgo Maria descendit per naturalem generationem ex Adamo, et accepit carnem peccato primi parentis infectam. In primo instanti suae conceptionis corruptio naturae quodammodo eam attigit, adeo ut persona constituta in primo signo naturae, non temporis, deberet personaliter secundum legem communem carere justitia originali, quia prius est quod ex natura venit, quam quod ex privilegio conceditur. Sed quia ordinatum est a Deo eam a peccato praeservari, in secundo signo ejusdem primi instantis collata est ipsi abundantissima gratia. Unde, quae in primo instanti suae conceptionis *debuerat* contrahere peccatum originale, apparuit gratia Dei exornata.

Coroll. V. Profundissimus *Vazquez* defendit «Beatam Virginem non solum in momento conceptionis... obnoxiam esse debito contrahendi peccati, sed etiam toto reliquo tempore consideratam, ex se, et origine sua huic debito obnoxiam fuisse» [2].

Sed alii doctores verius existimant debitum contrahendi peccatum originale in Virgine Maria penitus exstinctum fuisse in primo instanti suae conceptionis, quando per gratiam Dei ipsa apparuit sanctificata, sicut peccatum exstinguitur in omnibus, quando gratia habituali sanctificantur. Ratio est, quia omne debitum exstinguitur solutione pretii vel etiam remissione debiti.

ARTICULUS VI

UTRUM S. THOMAS ADMISERIT DOCTRINAM DE IMMACULATA CONCEPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS

970. Status quaestionis. 1) Saeculis XII et XIII vix in terminis proponebatur dubitatio de immaculato beatae Mariae conceptu, sed movebantur quaestiones cum hac materia connexas, et in earum tractatione quidam visi sunt favere, alii vero contradicere doctrinae, quam nunc definitam habemus in Ecclesia.

2) Theologi, qui in dictis quaestionibus pertractandis visi sunt doctrinam de immaculata beatae Mariae Virginis conceptione impugnare,

---

[1] Non parum agitatum est inter theologos, an propositio: «Beata Virgo Maria peccavit in Adam» posset sustineri; **S. Bellarminus** de hac propositione ait: «Non admodum tuta esse videtur». *De amissione gratiae et statu peccati*, lib. 4, c. 16. **Aegidius a Praesentatione** adjungit «esse errorem in fide». Sed S. Tribunal Inquisitionis Toleti, die 22 Januarii 1616 declaravit eam posse sustineri. Cfr. **Lezana,** *Apologeticus*, c. 32.

[2] *In III p.*, disp. 116, c. 5.

http://www.obrascatolicas.com

fuerunt praesertim *S. Bernardus, S. Albertus Magnus, Alexander Alensis, S. Bonaventura* et *S. Thomas*. Haec isti habent:

S. Bernardus: «Restat, ut post conceptum, in utero jam exsistens, sanctificationem accepisse credatur, quae, excluso peccato, sanctam fecerit nativitatem; non tamen et conceptionem» [1].

S. Albertus Magnus docet sanctam Virginem Mariam contraxisse peccatum originale, et ante nativitatem ex utero fuisse sanctificatam, sed «quo die vel hora nescire quemquam hominem: nisi quod probabilius est, quod cito post animationem conferatur (gratia), quam longe exspectetur» [2].

Alexander Alensis: «Concedendum est, quod gloriosa Virgo ante suam nativitatem post infusionem animae in suo corpore fuit sanctificata in utero matris suae» [3].

S. Bonaventura: «Quidam dicere voluerunt in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevenisse maculam peccati originalis... Aliorum vero positio est, quod sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem... Hic autem modus dicendi communior est et rationabilior» [4].

S. Thomas plura dicit locis infra referendis.

Plures doctores moderni adserunt memoratos scholasticos praefatis locis negasse immaculatam conceptionem gloriosae Virginis Mariae, sed alii considerantes statum quaestionum, theorias circa conceptionem et animationem prolis illius temporis, et modum loquendi scholae, eos in bono sensu explicare conantur.

Quidquid sit de eorum mente, unum velim animadvertere, nempe, dogma catholicum non exclusive inniti opinioni quorumdam scholasticorum, sed si contingat eos aliquando errare, doctrinam a Deo revelatam et ab Ecclesia definitam firmiter esse credendam.

Quare, possumus, salva fide, libenter de eorum opinione in utramque partem disputare, et quod videatur regulis critices magis convenire, amplecti.

Scopus hujus operis non sinit omnium scholasticorum mentem in hac parte investigare, sed unum *S. Thomam*, qui in omnibus est nobis magister et dux, nolumus silentio praeterire. Hinc breviter investigandum est, an *S. Thomas* admiserit vel negaverit immaculatam conceptionem beatae Mariae Virginis.

3) *Textus Angelici faventes immaculatae conceptioni.*

Textus spurios vel saltem dubios ex *commentariis ad Galatas* et ex *Expositione in salutationem angelicam*, opusc. 6 (ed. Parmae), quibus

[1] *Ep. 174 ad Can. lugd.*, n. 7; ML **182**, 336. Adverte animationem animae rationalis fieri juxta veteres et plures recentiores post aliquod tempus a conceptione. Potuit ergo S. Doctor dicere conceptionem non fuisse sanctam.

[2] *In III Sent.*, dist. 3, a. 5. Post animationem nempe animae sensitivae. Quo autem die vel hora, an quadragesimo vel octogesimo die post conceptionem juxta opinionem antiquorum, nemo scit.

[3] *III p.*, q. 9, m. 2, a. 4. Revera conceptio passiva et constitutio personae Mariae facta fuit post infusionem animae rationalis.

[4] *In III Sent.*, dist. 3, p. 1, a. 1, q. 2. Potest intelligi de subsecutione ordine naturae.

confidunt aliqui defensores *S. Thomae*, non adducimus, quia negata eorum authenticitate, corruit vis argumenti in favorem Angelici.

Textus authentici:

a) «Puritas intenditur per recessum a contrario; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit» [1].

b) «Creditur enim quod cito post conceptionem et animae infusionem fuerit sanctificata» [2].

c) «De beata Virgine Maria Matre Dei intelligi potest, quod Cant. 4 dicitur: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Nec solum a peccato actuali immunis fuit, sed etiam ab originali, speciali privilegio mundata» [3]. Hic loqui videtur S. Doctor de actu mundandi *per praeservationem* peccati contracti in Adamo, quia mundare in utero post aliquod tempus a conceptione non esset speciale privilegium Mariae.

4) *Textus S. Thomae qui obstare videntur immaculatae conceptioni.*

a) «Beata Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta ejus perfecta sunt, scilicet et corpus et anima» [4].

b) «Si nunquam anima beatae Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator... Sed beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur» [5].

c) «Licet romana Ecclesia conceptionem beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc, quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua conceptione fuerit sancta; sed quia, quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur festum sanctificationis ejus potius quam conceptionis in die conceptionis ipsius» [6].

d) «Sic autem processit ab Adam beata Virgo, quia nata fuit per commixtionem sexuum, sicut et caeteri, et ideo concepta fuit in originali peccato, et includitur in universitate illorum, de quibus Apostolus dicit *Rom.*, 5, 12: *In quo omnes peccaverunt*» [7].

e) «Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat; sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret» [8].

[1] *In I Sent.*, dist. 44, q. 1, a. 3 ad 3.

[2] *Quodlib.* 6, a. 7. Nota hic **S. Thomam** loqui de conceptione, quae praecedit animae rationalis infusionem; et particulam *cito* sumere pro posterioritate naturae, prout idem significat ac *statim*, eo modo quo usus est *I p.*, q. 100, a. 1 ad 2, ubi docet justitiam originalem, Adamo non peccante, transmissum iri homini «statim, cum habuisset animam rationalem».

[3] *Comp. Theol.*, c. 224.

[4] *III p.*, q. 27, a. 2, *Sed contra*.

[5] *III p.*, q. 27, a. 2 ad 2.

[6] *III p.*, q. 27, a. 2 ad 3.

[7] *Quodlib.* 6, a. 7.

[8] *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 1, sol. 2.

http://www.obrascatolicas.com

f) Hanc objectionem sibi proposuit: «Major puritas fuisset in ea, si anima ejus nunquam infectionem peccati originalis habuisset, quam si ad aliquod tempus habuerit, et postmodum mundata fuerit. Ergo anima illa nunquam originali peccato infecta fuit. Aut igitur caro sanctificata fuit ante animationem, vel saltem in ipso instanti infusionis anima gratiam suscepit, per quam immunis a peccato originali esset».

Respondet: «Haec puritas soli homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur, cui competebat omnes a peccato redimere. Unde non hanc puritatem, sed sub hac maximam Virgo, Mater Dei, habere debuit» [1].

5) Haec sunt praecipua loca, in quibus *S. Thomas* videtur favere vel contradicere doctrinae de immaculata Virginis conceptione. Exinde divisi sunt auctores circa mentem *Angelici Doctoris*.

Immaculatam Mariae conceptionem negatam fuisse a *S. Thoma* defendunt *Cajetanus, Canus, Suarez, Salmanticenses, Pesch, Billot, Janssens, Lepicier, Fei* et alii plures [2].

Doctrinam *S. Thomae* cum immaculata Mariae conceptione in concordiam vocant *Nieremberg, Sylveira, Joannes a S. Thoma, Porrecta, Henno, Perrone, Palmieri, Hurter, Cornoldi, Card. Mazzella, Prado, Hugon* et alii innumeri [3].

6) His attente consideratis atque perpensis, puto *S. Thomae* testimonia in bono sensu explicari posse.

Scopus praecipuus *Angelici Doctoris*, quoties agit de sanctificatione beatae Mariae Virginis, fuit eam sanctitatem Dei genitrici denegare, quae esset independenter a redemptione et meritis Christi, ut patet ex ratione, quam semper adducit cum peccatum originale Virgini Matri tribuere videtur. «Ille qui non est *peccato obnoxius*, redemptione non indiget. Si ergo esset aliquis, qui non in peccato originali nasceretur, praeter Christum, inveniretur aliquis, qui redemptione facta per Christum non indigeret» [4].

Ut defenderet beatissimam Virginem indiguisse redemptione Christi, scripsit relata testimonia, quae, si ex cortice verborum examinentur,

---

[1] *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 1, sol. 2 ad 3.

[2] **Cajetanus,** *Opusc. de Concept. B. Virginis*, c. 4; et *In III p.*, q. 27, a. 2; **Canus,** *De locis theol.*, lib. 7, c. 1; **Suarez,** *In III p.*, q. 27, a. 2; et ibid. disp. 3, sect. 5; **Salmanticenses,** *De vitiis et peccatis*, disp. 15. n. 201 sqq.; **Pesch,** *De Deo creante*, n. 332 sqq.; **Billot,** *De Verbo incarnato*, th. 39; **Janssens,** *Mariologia, Diss. de immac. Concept.; App. de mente S. Thomae;* **Lepicier,** *De beatissima Virgine Maria*, p. 2, c. 1, app. 1, § 2; **Fei,** *Theol. dogm.*, t. 3, n. 191.

[3] **Nieremberg,** *Except. Concil. Trid. pro omnimoda puritate Deip. Virg. expensae*, c. 21; **Sylveira,** *Imm. Concept. SS. ac pur. V. Mariae*, opusc. 4, q. 17; **Joannes a S. Thoma,** t. 1, *approb. doctrinae S. Thomae*, disp. 2, a. 2; **Porrecta,** *In III p.*, q. 27, a. 2; **Henno,** *Theol. dog.*, t. 2, *De praecipuis vitae Christi mysteriis*, a. 1; et sect. 2, a. 1, petes 4; **Perrone,** *De immaculato B. V. M. conceptu*, parte 2, c. 5; **Palmieri,** *De Deo creante et elevante*, p. 666 sqq.; **Hurter,** *Mariologia*, n. 603; **Cornoldi,** *Sententia S. Thomae Aq. de immunitate B. V. Dei parentis a peccati originalis labe*, Romae, 1889; **Card. Mazzella,** *De Deo creante et elevante*, n. 1121 sqq; **Prado,** *D. Thomas* et Bulla dogm. *Ineffabilis*, Friburgi Helvet., 1919; **Hugon,** *Tract. de B. V. Deipara*, q. 2, a. 1, n. 12.

[4] *In II Sent.*, dist. 31, q. 1, a. 2, *Sed contra.*

videntur sese opponere doctrinae de immaculata Virginis conceptione, sed altius puto ea esse consideranda.

In via *S. Thomae* beatissimam virginem Mariam *contraxisse peccatum originale et obnoxiam fuisse peccato originali*, non importat culpam actu contractam, sed significat matrem Dei in lege generali de contrahendo peccato originali a posteris Adae contentam fuisse, et exinde ex causis immediatis obligatam fuisse contrahere de facto peccatum originale, nisi gratia redemptionis redimeretur ac praeservaretur.

Hinc frequenter adserit beatam Virginem contraxisse peccatum originale vel obnoxiam fuisse peccato originali:

a) *In lumbis Adae aliorumque parentum*, quatenus ante praevisionem peccati Adae non fuit destinata ad gratiam originalem exclusive ab aliis creaturis, sed caeterorum hominum sorte sequuta, in lege generali de contagione posterorum Adae inclusa fuit, et cum hac conditione de generatione in generationem pervenit usque ad constitutionem suae personae in utero matris.

b) *In utero matris suae ante animationem*, quia, ut supra dictum est, carnem suscepit peccato parentum infectam. Notum est autem juxta antiquos pluresque recentiores, et juxta ipsum *S. Thomam*, conceptionem prolis inchoari quidem per concubitum maris et feminae, sed compleri post multos dies per infusionem animae rationalis. Hoc igitur tempore «caro Virginis concepta fuit in originali peccato, et ideo hos defectus contraxit» [1]; et «corpus beatae Virginis totum fuit in originali peccato conceptum... et ita etiam secundum quod fuit in patribus, fuit peccato obnoxium» [2], id est, caro infecta peccato fuit instrumentum transmissionis peccati.

c) *In ipso instanti animationis*, quia in hoc etiam momento, in conceptione activa et in constitutione personae, quatenus prioritate naturae esse praecedebat sanctitatem, habebat carnem infectam, et *debebat* (debito proximo) ex causis proximis contrahere de facto peccatum originale, nisi speciali Dei privilegio praeservata fuisset. Ergo in conceptione activa et in constitutione personae prioritate naturae, quatenus habebat debitum, in ipso instanti infusionis animae rationalis et in signo priori naturae Maria fuit obnoxia peccato originali.

Unde locus omnium difficillimus, in quo dicitur: «Haec puritas (qua vel caro sanctificatur ante animationem vel saltem in ipso instanti infusionis animae gratiam suscipit) soli homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur» [3], intelligendus est de instanti infusionis animae in primo signo naturae, quod praecedit gratiam, ita ut, si in eo signo non fuisset obnoxia peccato, utpote non contenta sub lege contagionis generis humani, effugisset redemptionem Christi.

d) *Post animationem sanctificata est*, id est, in conceptione passiva et in signo posteriori primi instantis, quando naturaliter debuit constitui persona peccato coinquinata, apparuit abundanti gratia perfusa.

---

[1] *III p.*, q. 14, a. 3 ad 1.

[2] *III p.*, q. 31, a. 7, *Sed contra.*

[3] *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 1, sol. 2 ad 3.

http://www.obrascatolicas.com

Ergo particula *cito*, qua *Angelicus* utitur, significat *statim*, signo posteriori ejusdem instantis.

971. Corollarium. Pius PP. IX in sua Bulla *Ineffabilis* declaravit ac sancivit personam in se beatissimae Virginis Mariae in primo instanti suae conceptionis fuisse a peccati labe immunem, id est, 1) personam corpore et anima constitutam, non in conceptione activa, non in sola carne ante infusionem animae rationalis, non in sola anima ante unionem cum corpore; 2) non in parentibus sed in se; 3) non propriis meritis sed intuitu meritorum Christi; 4) in primo instanti temporis, quando conceptio passiva effecta est, et persona Virginis incepit existere, fuisse a peccati labe omnino liberam.

ARTICULUS VII

UTRUM FOMES PECCATI EXSTINCTUS FUERIT IN VIRGINE MARIA

972. Status quaestionis. 1) Fomes peccati est *inordinata et habitualis concupiscentia appetitus sensibilis, inclinans ad malum vel difficultatem faciens ad bonum.*

Si concupiscentia per gratiam penitus auferatur modo inferius explicando, dicitur fomes *exstinctus;* si tantum cohibeatur, ne in actum prosiliat, dicitur *ligatus;* si in actum inordinatum procedat, vocatur *solutus.*

2) In beatissima Virgine Maria potuit hic fomes exstingui aut ligari vel in prima sanctificatione, quando ipsa concepta fuit sine peccati labe in utero matris suae, vel in conceptione Verbi, quando in praesentia Filii Dei copiosius ornata fuit gratia sanctificante.

3) Quaerendum est, an et quando fomes peccati exstinctus fuerit in Matre Dei.

973. Placita theologorum. Doctorum hac in re opiniones optime refert *Angelicus* dicens:

1) «Quidam enim dixerunt, quod in ipsa sanctificatione beatae Virginis, quae fuit sanctificata in utero, totaliter fuit ei fomes subtractus.

2) »Quidam vero dicunt, quod remansit fomes quantum ad hoc, quod facit difficultatem ad bonum, sublatus tamen fuit quantum ad hoc, quod facit pronitatem ad malum.

3) »Alii vero dixerunt, quod sublatus fuit fomes, in quantum pertinet ad corruptionem personae, prout impellit ad malum et difficultatem facit ad bonum; remansit tamen, in quantum pertinet ad corruptionem naturae, prout scilicet est causa traducendi originale peccatum in prolem.

4) »Alii vero dicunt, quod in prima sanctificatione remansit fomes secundum essentiam, sed ligatus; in ipsa autem conceptione Filii Dei fuit totaliter sublatus» [1].

974. THESIS. **Fomes peccati fuit penitus exstinctus in beata Virgine Maria a primo instanti suae conceptionis.**

Arg. *Ex ratione.* 1) Fomes peccati seu concupiscentia est, ut alibi diximus [2], quasi materiale peccati originalis, non quidem ut pars

[1] *III p.*, q. 27, a. 3.
[2] *De Deo creante*, n. 801.

materialis constituens essentiam peccati, sed prout est deordinatio virium inferiorum animae, quae habet rationem materialis in peccato, ita tamen, ut, ubi nullatenus fuit peccatum, neque ratio materialis adsit. Sed beata Virgo Maria concepta fuit sine peccato originali a primo instanti suae conceptionis. Ergo.

2) Gloriosa Virgo Maria fuit in primo instanti suae conceptionis perfectior ac sanctior, quam primi parentes in statu innocentiae. Sed protoparentes in statu innocentiae fuerunt immunes a fomite peccati. Ergo.

3) Fomes peccati seu inclinatio habitualis ad malum, etiamsi consideretur ligata et in actu primo, videtur non parum derogare purissimae pulchritudini ac sanctitati illius creaturae, quae in consiliis divinis electa fuit, ut esset Mater Dei. Cfr. **Josephus a J. M.,** *Hist. de la vida y excelencias*, lib. 1, p. 1, c. 29.

975. Corollarium. Quamvis *Angelicus Doctor* existimaverit fomitem in beatissima Virgine Maria fuisse in conceptione ligatum et in Filii incarnatione exstinctum, dilucide tamen explicat, quomodo potuerit fomes in prima sanctificatione Virginis penitus exstingui: «Posset enim, ait, intelligi, quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo, quod praestitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa, quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis; sicut dictum est q. 15, a. 2, fuisse in Christo, quem constat peccati fomitem non habuisse; et sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem justitiam; ita quod quantum ad hoc gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis justitiae» [1].

ARTICULUS VIII

DE FESTO IMMACULATAE CONCEPTIONIS

976. Sacra liturgia, qua Ecclesia utitur, est proculdubio unum ex praecipuis instrumentis, in quibus traditio hujus mysterii continetur, et consensus populi manifestatur.

Quare operae pretium est determinare tempus, quo Ecclesia incepit hoc festum celebrare.

I. **Exordia.** 1) Aliqui, ut Passaglia et alii [2], innixi praesertim *Typicon* (Rituali), quod tribuitur S. Sabae, dixerunt jam olim ab initio saeculi V festum immaculatae conceptionis in oriente celebratum fuisse, sed, cum constet Typicon tractu temporis interpolatum fuisse, an festum hoc a primitivo auctore vel a correctoribus introductum fuerit, ignoratur.

2) Primum documentum authenticum, quod fecit mentionem hujus festi, videtur esse *Canon* S. Andreae de Creta, qui labente saeculo VII (versus an. 675), cum esset monachus monasterii S. Sabae, scripsit haec verba: *Die nona Decembris* Conceptio (activa) sanctae ac Dei aviae An-

[1] *III p.*, q. 27, a. 3.
[2] *De immaculato Deiparae conceptu*, sect. 7, cc. 1-2.

http://www.obrascatolicas.com

nae. Tuam hodie, religiosa Anna, celebramus conceptionem (activam); quod absoluta sterilitatis vinculis eam utero conceperis, quae eum potuit capere, qui nusquam capi potest» [1].

3) Paulo post Joannes, episcopus euboeensis, inter insigniores anni solemnitates conceptionem Deiparae recensuit dicens: «Prima omnium insignium solemnitatum ea est, in qua Joachimus et Anna faustum generationis plane immaculatae et genitricis Dei Mariae nuntium acceperunt» [2].

4) Exinde jam in oriente in dies se extendit consuetudo celebrandi festum immaculatae conceptionis. Photius saeculo IX ait: «Item nonus Decembris: quippe quia tunc genitricis Dei nostri conceptio celebratur» [3]. Georgius Nicomediensis eodem saeculo hoc festum celebre ac splendidum vocat [4]. Eodem tempore coepit celebrari in Sicilia et Neapoli. Ac tandem tempore Basilii imperatoris (976-1025) in kalendario officiali Ecclesiae ac Status appositum est [5].

Saeculo XI videtur fuisse introductum in Anglia. Deinde transivit saeculo XII in Galliam, Germaniam, aliasque nationes.

II. **Oppositio.** Saeculo XII exorta est contra festum immaculatae conceptionis gravis oppositio.

1) *S. Bernardus* epistola data ad canonicos lugdunenses maxime miratus est, quod novam induxerint celebritatem, «quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio» [6]. Atque in fine adjunxit: «Consulenda erat prius Apostolicae Sedis auctoritas, et non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum» [7].

S. Bernardum aliqui, ut *Valentia* [8], excusant, eo quod docuerit conceptionem seminalem seu conceptionem activam B. M. V. non esse festo ecclesiastico recolendam. Alii, ut *S. Bellarminus* et *Benedictus XIV* [9], volunt S. Doctorem reprobasse tantummodo festivitatem introductam fuisse inconsulta auctoritate Sedis Apostolicae. Alii, ut *Nicolaus*, monachus *S. Albani* in Anglia, epistola 172 inter epistolas Petri Cellensis (ML **202,** 623), existimantes S. Bernardum fuisse adversarium doctrinae de immaculata conceptione dicunt plane eum in hac materia errasse.

2) Eodem saeculo XII *Joannes Belethus* docuit festum conceptionis immaculatae, utpote non authenticum nec approbatum, esse prohibendum. Et addidit: «In peccato namque concepta fuit» Maria [10]. Huic plu-

---

[1] *S. Andreae Cretensis Canones praecipui et triodia:* MG **97,** 1305. **S. Ildephonsus,** archiepiscopus toletanus dicitur saeculo VII in Hispania hoc festum instituisse, sed plures merito dubitant de authentia chronicorum, quae id referunt.
[2] *Sermo in Conceptionem Deiparae,* n. 10; MG **96,** 1473.
[3] *Nomocanon,* tit. 7, c. 1; MG **104,** 1069.
[4] *Orat. 1;* MG **100,** 1336.
[5] Cfr. **Espasa,** *Enciclopedia univ.,* ilustrada, v. «Concepción Inmaculada».
[6] *Ep.* 174, n. 1; ML **182,** 333.
[7] *Ibid.,* n. 9; ML **182,** 336.
[8] *In III p.,* disp. 2, q. 1, p. 2, § «Atque isto modo».
[9] **S. Bellarminus,** *De cultu sanctorum,* lib. 3, c. 16; **Bened. XIV,** *De festis,* c. 15, n. 4; apud **Migne,** *Curs. comp.,* 26, 634.
[10] *Rationale divin. off.,* c. 146; ML **202,** 149.

res saeculis XII et XIII subscripserunt, quibus displicuit celebratio festi immaculatae conceptionis.

3) *S. Thomas* († 1274) huic festivitati celebrandae minime obstitit: «Licet Romana Ecclesia, inquit, conceptionem beatae Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda» [1]. Paulo post celeberrimus *Joannes Bachonus* defendit festum celebrandum esse [2].

4) Paulatim exinde usus invaluit ubique illud festum celebrandi, adeo ut ante definitionem dogmaticam mysterii immaculatae conceptionis solemnia de hoc festo in omnibus ecclesiis agerentur. Apposite ad rem *M. Antonius Gravois,* O. Min.: «Interrogentur syri, armeni, maronitae, chaldaei, cophti, melchitae, albanenses ritum graecum servantes, et omnes alii, qui in dominiis Moscoviae, Lithuaniae, Poloniae, Venetiarum, et utriusque Siciliae, commorantur, interrogentur, inquam, utrum in suis partibus et in suis ecclesiis celebretur immaculata gloriosae Virginis conceptio, et voce unanimi respondebunt: Celebratur utique, et quidem maxima cum devotione» [3].

QUAESTIO LXXII

DE SANCTITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS

ARTICULUS I

QUAM GRATIAM HABUERIT BEATA VIRGO MARIA IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS

977. 1) Beatam Virginem Mariam fuisse in primo instanti suae conceptionis sanctificatam constat ex dogmate jam definito immaculatae conceptionis ejusdem. Singulari namque omnipotentis gratia et privilegio praeservata fuit ab initio a peccato originali, ac proinde sanctificata gratia habituali, quae collata fuit ei intuitu meritorum Christi.

2) Sed ulterius, ut devotioni satisfiat, operae pretium est declarare, quanta tunc fuerit in sanctissima Virgine gratia habitualis.

978. Placita theologorum. 1) Omnes theologi facile concedunt gratiam sanctificantem beatae Mariae Virginis a primo instanti suae conceptionis fuisse insignem et omnino singularem.

2) Alii hanc insignem gratiam beatae Virgini in sua conceptione concedentes, non audent dicere eam excessisse gratias angelorum. Ita *Cajetanus* et alii [4].

3) Cl. *Valentia* scribit: «Non solum probatur Virginis gratiam fuisse intensive et extensive majorem gratia aliorum omnium sub finem vitae

---

[1] *III p.,* q. 27, a. 2 ad 3.
[2] *In IV Sent.,* dist. 2, q. 3, a. 5; et *Quodlib.,* lib. 3, q. 13.
[3] *De ortu et progressu cultus et festi immaculati conceptus,* a. 1, n. 11.
[4] *In III p.,* q. 27, a. 5.

http://www.obrascatolicas.com

illius et cum adsumeretur in caelum, sed etiam aetate aliquantulum progrediente et maxime post Christum conceptum» [1].

4) Alii communius docent SS. Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis accepisse ampliorem intensive et extensive gratiam, quam quemlibet hominum vel angelorum, ut vult *Suarez* [2], vel quam omnes simul homines et angelos etiam sanctos, adeo ut perfectior fuerit ac plenior gratia Virginis in illo instanti, quam gratia omnium simul hominum et angelorum. Ita *Honoratus del Val* [3].

979. THESIS I. **Sanctissima Virgo Maria a primo instanti suae conceptionis fuit gratia plena.**

Arg. 1) Maria in protoevangelio dicitur bellum latura contra diabolum ejusque caput contritura. Ad hoc autem oportebat Virginem Mariam emicare plenitudine gratiae ab ipso initio conceptionis, ut nunquam in bello deficeret. Ergo.

2) *Ex SS. Patribus. S. Ephraem* († 373): «Revera quidem tu (Domine) et mater tua soli estis, qui omni ex parte omnino pulchri estis: non enim in te, Domine, labes est, nec ulla in matre tua macula» [4].

S. Ambrosius († 397): «Illa (Elisabeth) post conceptum repletur (Spiritu Sancto), ista ante conceptum» [5].

Theodotus Ancyranus de Virgine Maria loquens ait: «Exstitit Virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta animo et corpore, sicut lilium inter medias spinas germinans, non docta Evae mala» [6].

3) *Ex ratione.* Dogma catholicum est beatam Virginem Mariam fuisse in primo instanti suae conceptionis ab omni peccato praeservatam. Praeservari autem ab omni peccato est gratia sanctificante locupletari. Ergo ab ipso exordio fuit Maria amplissima gratia exornata.

980. THESIS II. **Beata Virgo Maria in prima sua sanctificatione accepit ampliorem gratiam quam quilibet homo aut angelus etiam beatus.**

Arg. 1) *Ex SS. Patribus. S. Petrus Chrysologus* († 450): «Singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo» [7].

S. Germanus Cpolitanus († 733): «Ave, Maria, gratia plena, sanctis sanctior, et cherubim gloriosior, et seraphim honorabilior, et supra omnem creaturam venerabilior» [8].

S. Petrus Damiani († 1072): «Quantumlibet aliae stellae reluceant, luna tamen et magnitudine praeeminet et splendore, sic utramque naturam (humanam et angelicam) Virgo singularis exsuperat et immensitate gratiae et fulgore virtutum» [9].

1 *In III p.*, disp. 2, q. 1, p. 5. «Porro».
2 *De mysteriis Christi*, disp. 4, sect. 1.
3 *De Verbo incarnato*, n. 272.
4 *Carm. Nisibena*, ed. Bickell, p. 122; **Rouet de Journel**, *Ench. Patr.*, 719.
5 *Expos. Evang. sec. Lucam*, lib. 2, c. 1, n. 23; ML **15**, 1641.
6 *Hom. 6, in Deip.*, n. 11; MG **77**, 1427.
7 *Serm.* 143; ML **52**, 583.
8 *Orat. 1, in Praesent. Deiparae*, n. 18; MG **98**, 308.
9 *Serm.* 40, ML **144**, 720.

2) *Ex ratione et auctoritate S. Thomae.* «Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii... Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter... Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae caeteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere» [1]. «Beata Virgo excessit angelos... plenitudine gratiae, quae magis est in beata virgine quam in aliquo angelo» [2].

Nec obstat Virginem in primo instanti suae conceptionis non fuisse Christo secundum humanitatem conjunctam, quia, ut recte ait *Suarez*, ad hoc satis erat «habuisse ordinem ad illam ex divina praedestinatione» [3].

981. Scholion. Probabile est beatam Virginem ex illo jam instanti majorem habuisse intensive et extensive gratiam quam omnes homines et angelos collective, adeo ut omnes simul creaturas humanas et angelicas excesserit in sanctitate, id est, in perfectione et quantitate gratiae [4].

Hoc certe innuit Pius PP. IX in Bulla dogmatica *Ineffabilis* dicens: «Docuerunt (Patres) hac singulari solemnique salutatione *(Ave, Maria, gratia plena)* nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum» [5]. «Supergressa est omnem integritatem et virginitatem ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, ut quae, solo Deo excepto, exstitit cunctis superior et ipsis cherubim et seraphim, et omni exercitu angelorum natura pulchrior, formosior et sanctior» [6].

Cl. *Lepicier* [7] adserit et probat beatissimam Virginem habuisse usum liberi arbitrii in utero matris suae, et proprio liberi arbitrii motu sanctificatam fuisse in primo instanti suae conceptionis.

ARTICULUS II

UTRUM BEATA VIRGO MARIA CONFIRMATA FUERIT IN GRATIA IN PRIMA SUA SANCTIFICATIONE

982. Status quaestionis. 1) Accurate distinguendae sunt *impeccabilitas, confirmatio in gratia* et *perseverantia finalis:* a) *Impeccabilitas* importat quemdam statum seu conditionem subjecti, propter quam repugnat ei ab intrinseco in peccatum cadere. Sic Jesus Christus ratione unionis hypostaticae, et beati ratione visionis divinae essentiae, sunt

1 *III p.*, q. 27, a. 5.
2 *Opusc. Expos. salutationis ang.*, post initium.
3 *In III p.*, q. 27, disp. 4, sect. 1, n. 3.
4 Cfr. **Janssens**, *De Deo homine*, q. 27, a. 5, quaer. 2.
5 Bulla *Ineffabilis*, § «Ad hanc eamdem».
6 Ibid., § «Accedunt».
7 *De beatiss. V. Maria*, p. 2, c. 1, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

impeccabiles [1]. b) *Confirmatio in gratia* est donum supernaturale, quo intellectus hominis firmatur in vero et voluntas in bono. Est ipsa gratia habitualis eminens, non secundum se sumpta, sed quatenus animam firmat in bono, ne in peccatum cadat. c) *Perseverantia finalis* non dat homini impeccabilitatem nec firmat animam in bono, sed est donum speciale gratiae sanctificanti superadditum, quod tribuit actu perseverare in gratia et conjungere gratiam cum morte.

2) Hic solummodo agimus de confirmatione animae Virginis in gratia, quae ut intelligatur, quaedam explicanda sunt.

3) Confirmatio in gratia est, ut dixi, ipsa gratia sanctificans, quatenus habet modum quemdam, quo anima firmatur in bono, ne cadat in peccatum. Dupliciter secundum *S. Thomam* potest aliquis confirmari in bono: «Uno modo simpliciter: ita scilicet, quod habeat in se sufficiens suae firmitatis principium, quod omnino peccare non possit; et sic beati sunt confirmati in bono... Alio modo dicuntur aliqui confirmati in bono per hoc, quod eis datur aliquod munus gratiae, quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili possunt a bono deflecti. Non tamen per hoc ita retrahuntur a malo, quin omnino peccare non possint, nisi divina providentia custodiente» [2].

Unde confirmatio in gratia simpliciter est impeccabilitas, qua quis constituitur ab intrinseco in eo statu, cui repugnat peccatum, et competit solummodo beatis propter visionem beatificam et Christo propter unionem hypostaticam.

Confirmatio vero in gratia, quae aliquando conceditur hominibus in via, est gratia cum aliquo modo intrinseco, «qui, ut ajunt *Salmanticenses*, est participatio impeccabilitatis beatorum, et ab intrinseco petit compleri per extrinsecam Dei protectionem; et per hunc modum gratia confirmatis data differt essentialiter modaliter non solum a gratia non perseverantibus concessa, sed etiam ab illa, quae perseverantibus datur. Unde provenit, quod immobilitas in bono propria confirmatorum sit longe major, quam communiter perseverantium. Illa enim licet non tollat omnem potestatem peccandi, eam tamen ligat in actu primo; quia importat in esse entis modum habitualem, qui nec per peccatum consequenter valet expelli, nec cum peccato componi potest: et ratione hujus modi petit ab intrinseco cuncta auxilia, quae ad non deficiendum per peccatum requiruntur» [3]. «Praedictum intrinsecum consistit, ut diximus, in aliqua participatione modali impeccabilitatis, et immutabilitatis gratiae consummatae beatorum; quae tamen participatio, quia imperfecta est, petit fulciri extrinseca Dei protectione: et ita non constituit hominem simpliciter impeccabilem, sed partim ab intrinseco et partim ab extrinseco» [4].

Confirmatio igitur in gratia, quae confertur hominibus in via, duplici constat elemento, gratia scilicet sanctificante cum modo intrinseco inclinante animam ad bonum, ut difficulter possit a bono deflecti, et

1 Cfr. **Gabriel a S. Vincentio,** *De gratia*, disp. 5 n. 45.
2 *De veritate*, q. 24, a. 9.
3 *De gratia*, disp. 3, n. 250.
4 **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 3, n. 251.

divina providentia eam custodiente [1]. Per primum elementum anima ita firmatur in bono, ut difficulter possit cadere in peccatum et petit fulciri a providentia; per secundum ita custoditur, ut, quotiescumque occurrit occasio peccandi, excitetur atque adjuvetur ad resistendum [2].

4) Per hoc donum confirmationis firmari potest aliquis in bono, a) ne cadat in peccatum mortale, ut firmati fuisse creduntur apostoli et *S. Joannes a Cruce;* b) ne incidat in peccatum veniale [3].

5) Disputatur, an et quomodo Maria Virgo confirmata fuerit in gratia in primo instanti suae conceptionis.

983. Error. 1) Aliqui SS. Patres, non quidem ut praecones traditionis sed ut doctores privati, docuerunt sanctissimam Virginem aliquando, etiam post incarnationem Christi, peccata venialia commisisse. Sic *S. Basilius* dubitationis peccatum tempore passionis tribuit Mariae [4]; inanis gloriae et ambitionis *S. Joannes Chrysostomus*, cum Maria stans foris quaerebat Jesum loqui [5]; et cum rogavit eum, ut aquam converteret in vinum [6].

2) *Gregorius* item *Ariminensis* adseruit SS. Virginem aliquando leviter peccasse [7].

984. Placita theologorum. Theologi catholici communiter, ut par est, admittunt beatam Virginem Mariam confirmatam fuisse in gratia, ne caderet in peccatum, sed diversimode rem explicant.

1) Aliqui docuerunt Virginem Mariam a primo instanti suae conceptionis fuisse confirmatam simpliciter in gratia, adeo ut ex illo momento fuerit impeccabilis, ex eo quod Deus, causa prima, disposuit non concurrere ad actum commissionis peccaminosum, et ubi Maria voluisset cessare ab actu praecepto, Deus concurrisset ut causa totalis ad producendum illum actum, ut volunt *Ockam* et *Biel* [8]; vel ex «eo quod Deus efficaciter decreverit dare semper illi gratias efficaces, et nullo modo permittere, ut laberetur in peccatum aliquod vel levissimum», ut tradit *Muncunill* [9].

2) Alii docent Virginem Mariam in prima sua sanctificatione confirmatam fuisse in gratia, ut nunquam de facto peccaret, in secunda vero sanctificatione, ut nec aliquando peccare posset. Ita *S. Thomas, S. Bonaventura, Alensis* et alii [10].

1 Egregie hoc iterum explicat **Angelicus** dicens: «Per gratiam viae ita potest homo bono adstringi, quod non nisi valde de difficili peccare possit, per hoc quod ex virtutibus infusis inferiores vires refrenantur, et voluntas in Deum fortius inclinatur, et ratio perficitur in contemplatione veritatis divinae, cujus continuatio ex fervore amoris proveniens retrahit a peccato. Sed totum, quod deficit ad confirmationem, completur per custodiam divinae providentiae in illis, qui confirmati dicuntur; ut scilicet, quandocumque occasio peccati se ingerit, eorum mens divinitus excitetur ad resistendum». *De veritate*, q. 24, a. 9.
2 Cfr. **Joseph a Spiritu S.,** *Cursus theologiae myst. schol.*, t. 4, disp. 25, n. 26 sq.
3 Cfr. **Salmanticenses,** *De gratia*, disp. 3, n. 249; **Joseph a Matre Dei,** *Cursus triennalis*, tr. 11, disp. 1, n. 49.
4 *Ep.* 260, n. 9; MG **32,** 965.
5 *In Matth.*, hom. 44, n. 1; MG **57,** 464. «Nam, quod illa fecit... ex ambitione proficiscebatur; volebat enim populo sese ostentare ac si imperaret Filio»; MG **57,** 464.
6 *In Joannem*, hom. 21, n. 2; MG **59,** 130. «Volebat enim et illos beneficio devincire, seque splendidiorem per Filium reddere». Ad haec verba **S. Thomas** ait: «In verbis illis Chrysostomus excessit; possunt tamen exponi, ut intelligatur in ea Dominum cohibuisse non inordinatum inanis gloriae motum quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset aestimari». *III p.*, q. 27, a. 4 ad 3.
7 *In II Sent.*, dist. 30, q. 2, a. 1, in fine.
8 **Ockam,** *In III Sent.*, q. 2, a. 2; **Biel,** *In III Sent.*, dist. 3, q. 2, a. 3.
9 *De Verbo incarnato*, n. 1100.
10 **S. Thomas,** *III p.*, q. 27, a. 4 ad 1; et *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 2; **S. Bo-**

http://www.obrascatolicas.com

3) Alii denique tenent Virginem Mariam fuisse quidem confirmatam in gratia, ne de facto peccaret, quia gratia Virginis id difficile reddebat, et divina providentia sibi coexsistens praeservabat ejus liberum arbitrium, ne inclinaretur ad malum. Ita *Durandus* et *Vazquez* [1].

985. THESIS I. **Beata Virgo Maria in prima sua sanctificatione confirmata fuit in gratia.**

Arg. 1) *Ex auctoritate S. Thomae.* a) *Angelicus* diserte hoc docuisse videtur, cum ait: «In prima sanctificatione gratia collata fuit (Virgini) ad bonum efficaciter liberum arbitrium inclinans» [2]. Si ergo beata Virgo a prima sanctificatione efficaciter movebatur ad bonum per gratiam, exinde jam confirmata fuit in bono, saltem secundum quid.

b) Idem *S. Thomas* [3] expresse dicit in beata Virgine Maria minorem fuisse inclinationem ad malum quam in Jeremia et S. Joanne Baptista, quatenus in his remansit inclinatio fomitis ad venialia, non in Maria. Sed Jeremias et S. Joannes B. fuerunt confirmati in gratia ex utero matris eorum. Ergo.

2) *Ex ratione.* Quanto magis aliquis accedit ad principium gratiae et sanctificationis, tanto magis participat de eadem gratia et sanctificatione. Sed beata Virgo Maria, utpote divinitus electa atque disposita a prima sanctificatione, ut esset mater Dei, propinquissima fuit Deo principio gratiae et sanctificationis prae omnibus creaturis. Ergo ex primo instanti debuit firmari in bono magis quam caeterae creaturae.

986. THESIS II. **Beata Virgo Maria in prima sua sanctificatione ita fuit confirmata in gratia, ut immunis fuerit semper ab omni peccato etiam levissimo.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Ecclesia in sua liturgia applicat beatae Mariae Virgini haec S. Scripturae verba: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* [4]. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* [5].

2) *Ex conciliis.* Concilium Tridentinum: *Si quis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse... aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, a. s.* [6].

Concilium quoque basileense diserte docet «gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, praeveniente et operante divini numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa» [7].

---

naventura, *In III Sent.*, dist. 3, p. 1, a. 2, q. 3; **Alensis,** *III p.*, q. 9, membr. 3, a. 2, § 2.

1 **Durandus,** *In III Sent.*, dist. 3, q. 4, n. 8; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 120, c. 2.
2 *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 2, quaest. 3, sol. 3.
3 *In III Sent.*, dist. 3, q. 1, a. 2, quaest. 3, sol. 1 ad 4.
4 *Cant.*, 2, 2.
5 *Cant.*, 4, 7.
6 *Sess.* 6, can. 23; **Denz-Bannw.**, 833.
7 *Sess.* 36 (a. 1439); **Mansi**, 29, 183.

3) *Ex auctoritate Ecclesiae.* Pius PP. IX in Bulla dogmatica *Ineffabilis* ait: «Illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo adsequi cogitando potest» [1].

4) *Ex SS. Patribus. S. Joannes Damascenus:* «Hac vero (Virgine) quid purius sit? Quid irreprehensibilius?... Terra est, in qua nulla peccati enata spina» [2]. *S. Bernardus:* «Ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem» [3].

5) *Ex ratione S. Thomae.* «Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei... Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dicit *(Luc.*, 1, 30): *Invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies*, etc. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando» [4]. Unde addit *S. Doctor:* «Beata Virgo, quae fuit a Deo electa in matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quam Joannes Baptista... cujus signum est, quod beatae Virgini praestitum est, ut de caetero non peccaret nec mortaliter nec venialiter» [5].

987. Scholion. Valde difficilis est quaestio, an beata Virgo Maria dicatur confirmata in gratia simpliciter, adeo ut fuerit impeccabilis ex gratia, vel e contra fuerit confirmata inferiori modo, quo conceditur aliquibus impeccantia per participationem.

I. *Alexander Alensis* haec habet: «In gloriosa Virgine post sanctificationem illam, quam habuit in conceptione Filii sui, non remansit potentia ad peccandum, quia ablata fuit per sanctificationem illam, quam habuit, cum dixit angelus *(Luc.*, 1, 30): *Ave, gratia plena.* Unde plenitudo gratiae fuit gratia confirmationis in bonum... In beata Virgine per gratiam sanctificationis ultimae, quae maxime superabundat omnibus aliis sanctificationibus, quae est per plenitudinem gratiae, est potentia liberi arbitrii necessitans ad non peccandum: et sic post illam sanctificationem non habuit potentiam peccandi» [6].

Deinde conditionem Mariae partim aequiparat beatis dicens: «Sicut duo sunt quae prohibent visionem, scilicet defectus visus ut caecitas, et defectus luminis: similiter sunt duo, quae prohibent visionem Dei aeternam; privans visionem et prohibens lumen. Visionem privans fuit culpa originalis in singulis personis; prohibens autem lumen fuit ipsa rum-

---

1 Bulla *Ineffabilis*, § «Ineffabilis Deus».
2 *Hom. in Nat. B. V. Mariae*, n. 4; MG **96**, 684 sq.
3 *Ep.* 174, n. 5; ML **182**, 334.
4 *III p.*, q. 27, a. 4.
5 *III p.*, q. 27, a. 6 ad 1.
6 *III p.*, q. 9, m. 3, a. 2, § 2.

http://www.obrascatolicas.com

phea, quae est ex reatu naturae humanae generali manens. Primum prot hibet visionem aeternam in habitu, secundum in actu... In Virgine ergo per gratiam datam in sanctificatione removebatur quidquid debebaremoveri, quod erat pertinens ad caecitatem personae, sed non quod pertinebat ad reatum naturae, ex quo est defectus luminis. Imo quod beata Virgo non evolaret ante passionem, si moreretur, hoc non facit defectus ex parte ipsius videntis, sed quia sanctificatio non removet tenebram naturae, scilicet rumpheam, quae est prohibens exterius, quod solum tollitur per passionem Christi» [1].

His similia habet *S. Bonaventura* et concludit: «Beata Virgo Maria post Filii Dei conceptionem peccare non potuit, non propter alicujus potentiae amissionem sed propter potentiae confirmationem et defectus ablationem» [2].

II. *Ockam* et *Biel* supra citati defenderunt Mariam fuisse omnino impeccabilem, «quia habuit aliquem habitum ad actum bonum inclinantem et retrahentem a malo; et Deus sic ordinavit quod coexsisteret sibi coagendo immediate sicut causa partialis; sicut facit in omni actione, sicut dictum est in secundo, coagendo ad omnem actum bonum, et non coegit ad actum malum; et quia nullus actus potest elici a causa secunda nisi concurrente causa prima immediate; ideo potuit bene agere et non male, nec peccare peccato commissionis, quia Deus concurrit ut causa partialis, in actu bono et virtuoso; et non in malo et vitioso... Sed si aliquando cessaret (ab actu praecepto), Deus statim concurreret ut causa totalis ad causandum illum actum, ne ipsa peccaret peccato omissionis» [3]. Vel quia «Deus, addit *Biel*, disposuit non concurrere ad quemcumque actum inordinatum. Deo ergo non concurrente, nullus talis committi poterat... Sed, si aliquando cessare voluisset, Deus statim concurrisset ut causa totalis ad causandum illum actum, nec ipsa peccaret peccato omissionis» [4].

Haec tamen ratio non videtur esse sufficiens ad explicandam impeccabilitatem beatae Mariae Virginis, seu confirmationem ejus in gratia simpliciter. Quia

1) Deus concurrebat semper ad actus positivos Virginis, non ut causa partialis, sed ut causa totalis prima.

2) Haec totalis Dei actio in beatam Virginem non impediebat, quominus ipsa a bono deflecteret, nisi aliter fulciretur.

3) Nullibi constat Deum non concursum iri ad actus inordinatos Virginis, si quando ipsa esset a bono deflectura.

4 Ad excusandam Virginem a peccato omissionis, non sufficiebat ut Deus solus immediate poneret actum praeceptum, quia non Deo sed Virgini urgebat praeceptum.

III. Cl. *Muncunill* putat beatam Virginem fuisse confirmatam in gratia simpliciter, seu redditam fuisse impeccabilem a primo instanti suae conceptionis, «eo quod Deus efficaciter decreverit dare semper illi

---

III p., q. 9, m. 3, a. 2, § 3.
[2] *In III Sent.*, dist. 3, p. 1, a. 2, q. 3.
[3] **Ockam**, *In III Sent.*, q. 2, a. 2.
[4] **Biel**, *In III Sent.*, dist. 3, q. 2, a. 3, dub. 1.

gratias efficaces, et nullo modo permittere, ut laberetur in peccatum aliquod vel levissimum» [1].

Videtur heic clarissimus vir procedere ex falso principio, quo statuitur per gratiam efficacem necessitari hominem ad eliciendam operationem, et quod negavit aliis hominibus, ne laederetur eorum libertas, tribuit beatae Virgini, ut salvaretur ejus impeccabilitas.

Sed hoc est inconveniens, quia

1) Per gratias efficaces non necessitabatur Virgo Maria ad opera bona exercenda.

2) In hac theoria necessario exercuisset Maria opera bona, quod nefas est dicere.

3) Si per gratias efficaces intelligantur, ut decet, auxilia supernaturalia, quae non tollunt libertatem, sed dant ipsum agere, non sufficiebant ad conferendam Virgini impeccabilitatem, quia alii plures receperunt haec auxilia supernaturalia, et non fuerunt impeccabiles.

IV. *De mente Angelici Doctoris* in hac parte jure dubitari potest.

1) In quibusdam locis videtur docuisse beatam Virginem non fuisse confirmatam in gratia simpliciter, nec redditam fuisse omnino impeccabilem in via. «Fuit tamen, ait, sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum» [2]. Et in quaestionibus *De veritate* expresse docet neminem in via posse confirmari in bono simpliciter, nec impeccabilem reddi propter rationes allatas [3].

2) Alibi vero certo innuit sanctissimam Virginem Mariam fuisse confirmatam in gratia simpliciter et peccare non potuisse. «Ex hoc enim, inquit, creatura rationalis in gratia confirmatur, quod efficitur beata per apertam Dei visionem, cui viso non potest non inhaerere, cum ipse sit ipsa essentia bonitatis, a qua nullus potest averti, cum nihil desideretur, et ametur nisi sub ratione boni. *Et hoc dico secundum legem communem; quia ex aliquo privilegio speciali secus accidere potest, sicut creditur de Virgine Matre Dei*» [4].

V. Plures hodie *Durandum* et *Vazquez* sequuti et argumentis *S. Thomae* innixi, defendunt Virginem Mariam fuisse quidem confirmatam in gratia per donum confirmationis, quod, ut diximus, est modus intrinsecus gratiae ligans potentiam peccandi et petens ab intrinseco auxilia cuncta divinae providentiae ad non peccandum; sed non fuisse nec potuisse esse confirmatam in gratia simpliciter, adeo ut redderetur omnino impeccabilis in via [5].

VI. Si meam opinionem aperire cogar, ingenue fatebor beatam Virginem fuisse quidem confirmatam in gratia modo prae caeteris viatoribus perfectissimo, adeo ut participaverit de impeccabilitate et immutabilitate gratiae beatorum, et vehementer exegerit compleri per custodiam divinae providentiae, ne laberetur in peccatum vel levissimum,

---

[1] *De incarnatione*, n. 1100.
[2] *In I Sent.*, dist. 44, q. un., a. 3 ad 3.
[3] *De veritate*, q. 24, a. 9.
[4] *I p.*, q. 100, a. 2.
[5] Cfr. **Joseph a Spiritu Sancto**, *Cursus Theol. myst. schol.*, disp. 2, n. 19; **Lepicier**, *De gratia*, q. 6, a. 9, n. 5; **Janssens**, *De Deo homine*, q. 27, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

sed non fuisse confirmatam nec potuisse confirmari in gratia simpliciter, nec reddi absolute impeccabilem, dum esset in via.

Ratio fundamentalis exponitur a *S. Thoma* his verbis: «Non enim potest aliquis omnino impeccabilis reddi, nisi omnis origo peccati auferatur. Origo autem peccati est, vel ex rationis errore, quae in particulari decipitur circa finem boni et circa utilia, quae in universali naturaliter appetit; vel ex hoc quod judicium rationis intercipitur propter passionem inferiorum virium. Quamvis autem alicui viatori concedi possit, ut ratio nullatenus erret circa finem boni, et circa utilia in particulari, per dona sapientiae et consilii; tamen non posse intercipi judicium rationis excedit statum viae, propter duo: Primo et principaliter, quia rationem esse semper in actu rectae contemplationis in statu viae, ita quod omnium operum ratio sit Deus, est impossibile. Secundo, quia in statu viae non contingit inferiores vires ita rationi esse subditas, ut actus rationis nullatenus propter eas impediatur nisi in Domino Jesu Christo, qui simul viator et comprehensor fuit» [1].

Concordat cum hac sententia, quod *Angelicus* ait: «Erat in ea potentia ad peccandum» [2].

Unde impossibilitatem peccandi, quam *S. Bonaventura* tribuit Virgini, putat *Janssens* [3] reducendam esse ad impeccantiam, quae impossibilitatem communem et consequentem audit [4].

ARTICULUS III

UTRUM GRATIA SANCTIFICANS BEATAE MARIAE VIRGINIS CREVERIT DURANTE EJUS VITA

988. Status quaestionis. 1) Dogma catholicum est gratiam sanctificantem augeri in anima per bona opera, ut docet Concilium Tridentinum his verbis: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non etiam ipsius augendae causam, a. s.* [5].

2) Augmentum gratiae sanctificantis potest esse *intensivum*, quando gratia in sua entitate crescit; et *extensivum*, quando novos effectus producit.

---

1 *De veritate*, q. 24, a. 9.
2 *In I Sent.*, dist. 44, q. un. a. 3 ad 3.
3 *De Deo homine*, q. 27, a. 4. *De S. Bonaventura.*
4 Locum autem in quo dicit **S. Thomas** homines non confirmari in gratia simpliciter nisi per visionem beatificam secundum legem communem, sed ex speciali privilegio secus accidere posse, «sicut creditur de Virgine matre Dei». *I p.*, q. 100, a. 2; cl. Pègues commentatur his verbis: «Mais alors, ce ne serait pas en vertu de son état et de soi, que la creature raisonnable serait confirmée dans la justice et ne pourrait pas pécher; ce serait en vertu d'une action particulière de la Providence de Dieu veillant sur elle pour qu'en fait elle ne pèche jamais. Donc, l'état des hommes, tant qu'ils eussent vécu sur cette terre, non encore totalement spiritualisés, n'aurait pas comporté, de soi, la confirmation dans la justice». *Commentaire in I p.*, q. 100, a. 2.
5 *Sess.* 6, can. 24; **Denz-Bannw.**, 834.

3) Gloriosissima Virgo Maria, dum in terris ageret, non fuit in statu comprehensoris, sed remansit in statu viatoris, quidquid sit de sententia eorum, qui dicunt eam aliquoties, praesertim in conceptione Filii Dei, essentiam divinam vidisse.

4) Unde quaeritur, an Deipara Virgo, dum in terris ageret, susceperit augmentum tum intensivum tum extensivum gratiae sanctificantis.

989. Placita theologorum. *Petrus venerabilis*, abbas cluniacensis, in epistola ad Gregorium expresse docuit gratiae beatae Mariae Virginis post incarnationem Filii nihil additum fuisse [1].

S. Albertus Magnus ait: «Credimus etiam, sine praejudicio melioris sententiae, beatam Virginem in conceptione Filii Dei, caritatem Filii talem ac tantam accepisse, qualis et tanta percipi poterat a creatura in statu viae» [2].

Scotus etiam sub dubio admittere videtur Virginem Mariam in conceptione Filii sui attigisse terminum gratiae sanctificantis [3].

990. THESIS. **Beatissima Virgo Maria semper suscepit augmentum gratiae, dum in terris viveret.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Doctores merito applicant beatae Mariae Virgini illa verba S. Scripturae: *Justorum autem semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem* [4].

2) *Ex SS. Patribus. Rupertus Abbas* lepide ajebat: «Quando nata es, o Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit... Quando autem Spiritus Sanctus in te supervenit, et Filium Virgo concepisti, Virgo peperisti, tunc tu et ex tunc pulchra... ut luna... Quando autem de hoc mundo adsumpta atque ad aethereum thalamum translata es, tunc tu et ex tunc electa ut sol» [5].

3) *Ex auctoritate theologorum. S. Thomas:* «In beata Virgine fuit triplex perfectio gratiae: prima quidem quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc, quod esset mater Christi, et haec fuit perfectio sanctificationis. Secunda autem perfectio gratiae fuit in beata Virgine ex praesentia Filii Dei in ejus utero incarnati. Tertia autem est perfectio finis, quam habet in gloria. Quod autem secunda perfectio sit potior quam prima, et tertia quam secunda, patet... nam primo in sua sanctificatione adepta est gratiam inclinantem eam ad bonum, in conceptione autem Filii Dei consummata est ejus gratia confirmans eam in bono; in sui vero glorificatione consummata est ejus gratia perficiens eam in fruitione omnis boni» [6]. Haec tamen verba non ita accipias velim, ut *S. Doctor* posuerit in Virgine tres gradus gratiae sine ullo progressu intermedio, sed ita ut adsignaverit tres quasi epochas, in quibus erat specialis manifestatio profectus gratiae, complectentes vicissim plures gradus.

Profundissimus *Dom. Soto* hanc doctrinam tradidit et ratione confirmavit dicens: «Quis enim ambigat, quin, cum merita praemium prae-

---

1 *Ep.* 7; ML **189**, 287.
2 *Super Missus*, Resp. ad q. 46 (ed. Vivès, vol. 37, p. 117).
3 *In IV Sent.*, dist. 4, q. 6 ad 1.
4 *Prov.*, 4, 18.
5 *In Cant. Cant.*, lib. 6; ML **168**, 936.
6 *III p.*, q. 27, a. 5 ad 2.

http://www.obrascatolicas.com

cedant, per tam egregia omnium virtutum officia, quae post sacratissimum partum accumulavit, cumulatior etiam in dies illi accresceret gratia? Fuit quidem gratia plena ante conceptionem Filii, quantum par erat, ut fieret Christi mater. Attamen gratia illa non fuit eo modo summa; ut non posset deinceps meritis augeri» [1].

4) *Ex ratione.* Ratio fundamentalis ex eo sumitur, quod omnis gratia creata, utpote limitata, sine fine augeri potest, dummodo opera bona praemio vitae aeternae condigna repetantur. Unde de caritate optime ait *S. Augustinus:* «Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*» [2].

ARTICULUS IV

QUIBUS OPERIBUS MARIA IN GRATIA PROFECERIT

991. Status quaestionis. 1) Maria Virgo, sicut caeteri homines fideles Ecclesiae, proficere potuit et proculdubio profecit in gratia ex opere operantis et ex opere operato, bonis scilicet operibus in gratia factis, et sacramentis susceptis.

2) Breviter investigandum est, quomodo Maria profecerit in gratia ex opere operantis et quomodo ex opere operato.

I. *Augmentum gratiae Virginis ex opere operantis.*

1) Facile concedunt theologi Virginem Mariam non profecisse in gratia operibus naturalibus, nutritione, sanguinis circulatione, etc., non pendentibus ab ejus voluntate, sed actionibus liberis, quas voluntate ad Deum referebat.

2) Omnibus vero et singulis virtutum operibus proficiebat certe in gratia, quia, sanctissima ut erat, omnes actus virtute saltem referebat in Deum. Unde non solum actibus caritatis, quibus in Dei amore flagrabat, sed etiam actibus aliarum virtutum, tum theologicarum tum cardinalium, Maria Virgo multum crevit in gratia.

3) Plures theologi existimant beatissimam Virginem Mariam in omnibus suis actibus operatam fuisse virtute totius gratiae habitualis praecedentis, adeo ut opera ejus semper fuerint praecedentibus intensiora, et singulis omnium virtutum actibus duplicata fuerit gratia praecedens.

II. *Augmentum gratiae Virginis ex opere operato.*

1) Per sacramenta veteris Legis, si quae recepit Maria, non suscepit augmentum gratiae ex opere operato, quia, ut dicemus suo loco, illa sacramenta ex se non producebant gratiam, sed significabant eam per Christum conferendam.

2) Per ea vero novae Legis sacramenta, quae recepit, beata Virgo profecit in gratia ex opere operato, quia haec sacramenta ex se producunt gratiam in iis, qui obicem non ponunt. Beata autem Virgo Maria non solum non posuit obicem gratiae sanctificanti, sed in omnibus suis operibus avide eam quaesivit.

[1] *In IV Sent.*, dist. 5, q. un., a. 2, § «Sed et de sacratissima Virgine».
[2] *In ep. Joannis*, tr. 5, c. 3, n. 4; ML **35**, 2014.

3) *Quae autem sacramenta novae Legis susceperit,* disputatur a theologis.

a) Certum est beatissimam Virginem non suscepisse sacramenta poenitentiae, ordinis et matrimonii.

Non quidem *poenitentiam,* quia non habuit materiam remotam et proximam hujus sacramenti, et non erat capax absolutionis.

Non *ordinem,* quia mulier, quantumvis perfecta, nequit esse subjectum ordinis.

Non *matrimonium* ut sacramentum, quia, licet in Lege veteri vere nupserit S. Joseph, eo tempore matrimonium non erat novae legis sacramentum.

De *extrema-unctione* duplex est theologorum sententia, sed, quidquid alii dixerint, multo probabilius censeo Virginem Mariam non suscepisse extremam-unctionem, quia immunis fuit ab omni peccato ejusque sequelis, et in extremo agone non indiguit speciali sacramento corroborari.

b) *Baptismum* autem, *confirmationem* et *eucharistiam* probabilissime suscepit, et per haec sacramenta accepit gratiam ex opere operato.

Quantum ad baptismum haec habet *Euthymius:* «Scribunt autem quidam apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum ac Virginem Matrem baptizaverit, Petrus vero reliquos omnes apostolos» [1]. Exinde theologi communi fere consensu tenent beatissimam Virginem baptismo Christi baptizatam fuisse ejusque gratiam accepisse [2]. Sane crediderim Matrem Christi, Ecclesiae catholicae membrum principale, lege baptismi obstrictam esse, et huic obligationi satisfecisse.

Minime dubitandum puto, quin Virgo Maria receperit sacramentum confirmationis, et per illud creverit in gratia ex opere operato. Urgebat enim ad hoc obligatio [3].

Ac demum pie creditur eam sanctissimo eucharistiae sacramento frequentissime refici consuevisse, non solum ut servaret praeceptum Ecclesiae, sed etiam ut devotioni satisfaceret. Unde merito credimus Deiparam saepe ad templum concurrisse cum fidelibus Jerusalem, de quibus dicitur: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione* [4]. Hoc loco nomine panis sacram eucharistiam intelligunt commentatores [5].

[1] *Comment. in Joan.*, c. 3, v. 5; MG **129**, 1161.
[2] Conferri possunt **S. Albertus M.**, *Mariale,* sol. ad q. 36, § 2; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 4 ad 1, n. 3; **Suarez,** *In III p.*, disp. 18, sect. 3; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 119, c. 7; **Sotus,** *In IV Sent.*, dist. 5, q. un., a. 2, § «Sed et de sacratissima Virgine»; **Valentia,** *In III p.*, disp. 4, q. 3, p. 4. § «Quo autem tempore»; **Alapide,** *In Lucam*, c. 2, v. 24; **Canisius,** *De beata Virgine*, lib. 1, c. 9; **Lepicier,** *De beatissima Virgine Maria*, p. 2, c. 1, a. 5, n. 8.
[3] Cfr. **S. Albertus M.,** *Mariale*, sol. ad q. 36, § 2; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 119, c. 7, n. 67; et **Campana,** *Maria nel dogma cattolico*, lib. 1, p. 2, q. 3, n. 6.
[4] *Act.*, 2, 46.
[5] Cfr. **Vigouroux,** *La Saint Bible Polyglotte*, Act., 2, 46; et **Josephus a J. M.,** *Historia de la vida y excelencias*, t. 2, c. 13.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS V

QUO PROGRESSU CREVERIT GRATIA SANCTIFICANS BEATAE MARIAE VIRGINIS

992. Opinio probabilis. Piissimam et in hac materia probabilem opinionem egregie exponit *Valentia* dicens: «Incepit crescere Virginis gratia (atque adeo jus ad gloriam) ex sublimiori quodam intensiori gratiae gradu, quam sit gradus gratiae ullius aliorum... Et praeterea sine intermissione per omnes tam longae vitae suae actiones, cum omnes fuerint bonae, et bona intentione et in gratia factae, meruit semper plusquam in duplo augmentum gratiae maximae, et continenter per merita priora plus quam in duplum similiter auctae; quippe cum ex parte gratiae summum post Christum habuerit ad merendum praesidium; et ex parte naturae nullum retardans impedimentum, quominus gratiae vis, quantum posset, se exerceret, sed potius etiam magnum ad id incitamentum ob innatum, ut diximus, eumque vehementissimum amorem maternum. Et denique habuit etiam innumeras augendi hunc amorem, atque adeo magis magisque promerendi, occasiones. Constat autem apud arithmeticae peritos, si vel aliquis exiguus numerus per aliquantulum temporis spatium, etiam non longum, iterato saepius multiplicetur saltem in duplum, innumerabilem et pene infinitam ea ratione confici multitudinem; ut si augeatur, verbi gratia, numerus binarius per quaternarium, et illico quaternarius per octogenarium, et sic deinceps aliquandiu. Quantus igitur, et quam innumerabilis erit numerus graduum gratiae (atque adeo gloriae) Virginis, tam saepe, tam multum, tamdiu, per infinita prope illius merita multiplicatus?» [1].

Ratio hujus doctrinae inde colligi potest, quod beata Virgo, cum nihil habuerit, quod intensionem affectuum animi retardaret, respondit atque cooperavit influxui divinae gratiae juxta mensuram totius gratiae praecedentis.

Hanc piam et probabilem sententiam plures contra *Vazquez* [2] defendunt [3].

S. Franciscus Salesius optime describit progressum beatae Mariae Virginis in gratia sine ulla animi perturbatione et sine obstaculo interiori vel exteriori» [4].

993. Corollarium. 1) Virtutes comitantur gratiam sicut proprietates essentiam, et eo sunt perfectiores in anima, quo major fuerit gratia sanctificans. Cum gratia beatae Mariae fuerit abundantissima, facile consequitur animam ejus fuisse omnibus virtutibus exornatam. Unde Virgini Mariae infusae sunt omnes virtutes non tantum theologicae, quibus in Deum continuo ferebatur, sed etiam morales, quibus in bonum

[1] *In III p.*, disp. 2, q. 1, p. 5.
[2] *In III p.*, disp. 119, c. 6.
[3] Cfr. **Josephus a Jesu Maria,** *Historia de la vida y excelencias de la Sacr. Virgen*, lib. 2, p. 2, c. 28 sqq.
[4] *De l'amour de Dieu*, liv. 7, ch. 14.

sponte movebatur. Omnes ipsa proficiebat occasiones, ut fidem, spem, et caritatem exerceret, atque fortitudinem, temperantiam, justitiam ac prudentiam, cunctasque earum, in quas a theologis dividuntur, partes perficeret.

2) Donis quoque Spiritus Sancti plenissime aucta, effecta est inspiratione Dei prompte mobilis in his, quae pertinebant ad bene vivendum. Ad apprehensionem veritatis ratio ejus speculativa perficiebatur per *intellectum*, ratio vero practica per *consilium*. Ad recte judicandum ratio ejus speculativa perficiebatur per *sapientiam;* ratio vero practica per *scientiam*. Pars appetitiva in his, quae erant ad alterum,perficiebatur per *pietatem;* et in his, quae erant ad se ipsam, per *fortitudinem*. Ac demum pars concupiscibilis dirigebatur per *timorem* [1].

3) Habuit denique *gratias gratis datas* in statu perfecto, ut posset alios erudire in rebus divinis, quae sunt supra rationem [2].

4) Cum meritum nihil aliud sit quam opus retributione dignum, et opera beatae Mariae Virginis fuerint omnino perfecta, pronum est merita Mariae Virginis fuisse immensa.

ARTICULUS VI

QUAM SCIENTIAM HABUERIT BEATA VIRGO MARIA

994. I. Scientia potest esse *beata*, *infusa*, vel *acquisita*, ut late explicuimus in Christologia, n. 710.

II. *De scientia beata.* 1) Certum est sacratissimam Virginem, dum esset in hac vita mortali, non habuisse permanenter scientiam beatam, quae in clara Dei visione consistit. Maria enim conditionem viatoris non comprehensoris habuit in hac vita [3].

2) An aliquando transeunter Deum viderit, disputant theologi. Affirmant *Banez, Zumel, Suarez, Joseph a Spiritu Sancto, Joseph a Matre Dei*, aliique plures [4] contra paucos.

Haec sententia affirmativa est multo probabilior, et pie sustineri potest. Unde gravissimus *Banez* ait: «Citra temeritatem, imo magna cum probabilitate posset dici (Mariam) vidisse divinam essentiam, cum Filium unigenitum concepit, vel cum ipsum peperit, vel alias» [5].

III. *De scientia infusa.* 1) Haec scientia potest esse *per se* vel *per accidens* infusa. Scientia, quae a Deo infunditur, si superet vires na-

[1] Cfr. **S. Thomas,** *I-II*, q. 68, a. 4; et **Josephus a Jesu Maria,** *Historia de la vida y excelencias*, lib. 2, part. 2, c. 33 sq.
[2] Omnes virtutes, dona, gratiasque gratis datas beatae Mariae Virginis egregie explicuit **S. Albertus Magnus,** *Mariale seu 230 quaestiones* super Evangelium *Missus est*. Cfr. etiam **Lepicier,** *De beatissima Virg. Maria*, p. 2, c. 1, a. 6; et **Josephus a Jesu Maria,** *Historia de la vida y excelencias*, lib. 2, p. 2, cc. 33-35.
[3] Cfr. **Lepicier,** *De beatissima Virg. Maria*, p. 2, c. 1, a. 7, n. 2.
[4] **Banez,** *In I p.*, q. 12, a. 11, concl. 2; **Zumel,** *In I p.*, q. 12, a. 11, disp. un., concl. 2; **Suarez,** *In III p.*, disp. 19, sect. 4; **Joseph a Spiritu Sancto,** *Cursus Theol. myst. schol.*, disp. 22, n. 23 sqq.; **Joseph a Matre Dei,** *Cursus trienn.*, tr. 11, disp. 2, dub. 6.
[5] *In I p.*, q. 12, a. 11, concl. 2.

http://www.obrascatolicas.com

turales hominis, dicitur *per se* infusa; sin autem, vocatur *per accidens* infusa.

2) Multo probabilior est beatam Virginem non habuisse *permanenter* scientiam per se infusam. Quamvis enim, absolute loquendo, potuerit Deipara scientia per se infusa habitualiter instrui, non tamen videtur hoc fuisse ejus dignitati ac perfectioni necessarium. Unde *Salmanticenses* merito docent scientiam per se infusam, qua intellectus sine conversione ad phantasmata per species intelligibiles illustratur, Christo solummodo convenire ratione unionis hypostaticae [1].

3) Puto tamen scientiam per se infusam crebro communicatam fuisse transeunter animae beatissimae Virginis multo perfectius quam aliis sanctis. Aequum enim fuit, ut, quod aliis perfectissimis viris aliquando conceditur, frequentius ac perfectius Virgini Deiparae elargiretur.

4) *Scientia infusa per accidens* amplissime illustrata est anima beatae Mariae Virginis.

Quousque haec scientia se extenderit, difficile est dictu. Nihilominus reor ea omnia, quae ad ejus dignitatem et officium necessaria erant, et naturaliter eam latebant, divinitus ipsi manifestata fuisse. Hinc scientia theologica, quae ex principiis seu articulis fidei conclusiones deducit, innotuit Deiparae.

IV. *De scientiis naturalibus* plurima a Christo Domino [2], et ab angelis Maria accepit [3], et non pauca proprio labore comparavit.

Amplitudinem hujus scientiae bene explicat *S. Albertus Magnus* dicens: «Beata Virgo sufficienter perfecta fuit per habitum naturae et gratiae in operationes exire, et finem consequi cujuslibet scientiae: et haec scientia exivit in actum et operationem, quando, ubi, qualiter, et quantum ordinabatur sibi in beatitudinem et aliis in salutem. Habuit etiam perfectam cognitionem omnium ad suam beatitudinem secundum statum viae pertinentium et nullorum inutilium et ad gratiam impertinentium» [4].

QUAESTIO LXXIII

DE VIRGINITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS

ARTICULUS UNICUS

AN DEIPARA SEMPER FUERIT VIRGO

995. Status quaestionis. 1) Virginitas potest esse *corporis*, *mentis*, et *sensus*. Virginitas *corporis* est integritas carnis seu immunitas ab omni opere carnali venereo; virginitas *mentis* est immunitas ab omni consensu cogitationum venerearum; virginitas *sensus* est immunitas a motibus inordinatis carnalis concupiscentiae.

[1] *De incarnatione*, disp. 17, n. 54.
[2] Cfr. **S. Bernardus**, *De beata Maria Virgine sermo*, n. 1; ML **184**, 1015.
[3] Cfr. **S. Thomas**, *III p.*, q. 30, a. 2 d. 1.
[4] *Mariale*, solutio ad quaest. 95 sqq. (ed. Vivès, vol. 37, p. 168).

2) Beatam Mariam fuisse semper virginem mente et sensu luculenter ostendit ejus immunitas ab omni peccato etiam levissimo et ab ipso fomite peccati.

Unde supposita virginitate mentis et sensus in Deipara, loquimur de ejus virginitate corporali.

3) Porro virginitas seu integritas corporis spectari potest in Maria *ante partum*, *in partu* et *post partum*. Si sine concubitu viri concepit Filium unicum, fuit virgo *ante partum;* si ex utero clauso sine violatione sigilli virginalis edidit Filium, fuit virgo *in partu;* si deinceps nunquam cognovit virum, fuit virgo *post partum*.

Quaeritur, an hoc triplici modo Maria fuerit virgo.

996. Errores. 1) *Virginitatem Mariae ante partum et in partu* inficiati sunt imprimis judaei, qui, ut divinitatem Messiae negarent, Deiparam de adulterio accusare non erubuerunt. Deinde saeculo II ebionitae, cerinthiani, et alii judaizantes dixerunt, ut refert *Tertullianus* [1], Deiparam concepisse suum Filium ex concubitu maritali cum S. Joseph.

2) *Virginitatem Mariae in partu* negavit saeculo IV Jovinianus [2].

3) *Virginitatem Mariae post partum Filii* impugnarunt quidam haeretici, quos *S. Epiphanius antidicomarianitas* appellat [3]; necnon Bonosus, episcopus sardicensis, et Helvidius (saeculo IV), dixerunt Mariam post nativitatem Jesu alios quoque filios ex Joseph genuisse. Id ipsum docet *Wright* [4].

4) Protestantes plerique et hodierni rationalistae, qui omnia volunt criticae naturalis regulis moderari, absolute negant Deiparam aliquando virginem fuisse. *Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei* [5].

997. THESIS. **Sancta Dei genitrix fuit virgo ante partum, in partu et post partum.**

Arg. 1) *Ex conciliis.* Concilium Cpolitanum II ait: «Si quis abusive et non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam... a. s.» [6].

Concilium Cpolitanum III: «Partus ipse incorruptibilis, illibata virginitas, quae ante partum, et in partu, et post partum est intemerabilis» [7].

2) *Ex SS. Patribus. Gennadius massiliensis:* «Integra fide credendum est beatam Mariam Dei Christi matrem, et virginem concepisse, et virginem genuisse, et post partum virginem permansisse» [8].

S. Isidorus hispalensis: «Maria... Virgo sancta, Virgo feta, Virgo ante partum, Virgo post partum salutationem ab angelo accepit» [9].

998. Pars 1.ª Fuit Virgo ante partum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* a) Isaias prophetavit dicens: *Dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet et pariet filium, et voca-*

[1] *Virginibus velandis*, c. 6; ML **2**, 946.
[2] Cfr. **S. Augustinus**, *Contra duas ep. Pelag.*, lib. 1, c. 2, n. 4; ML **44**, 552.
[3] *Haeres.*, 78; MG **42**, 699.
[4] *Protestant Dictionary*, v. «Mary the Virgin».
[5] *I Cor.*, 2, 14.
[6] *Can.* 6; **Mansi**, 9, 379; **Denz-Bannw.**, 218.
[7] *Ep. synod. S. Sophronii* approbata a Patribus; **Labbé**, 6, 876.
[8] *De Eccl. dogm.*, c. 69; ML **58**, 996.
[9] *De ortu et obitu PP.*, c. 67; ML **83**, 148.

http://www.obrascatolicas.com

bitur nomen ejus Emmanuel[1]. In his verbis certe α) *agitur de matre Christi;* β) *haec praedicitur virgo, cum concipit et parit filium.*

α) *Agitur de matre Christi;* tum quia *Matthaeus* evangelista locum Isaiae legitime interpretatus est de matre Christi, cum, relata Christi conceptione, adjecit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: ecce virgo concipiet,* etc.[2]; tum quia Christo conveniunt ea, quae praedicavit *Isaias* de filio virginis; quod vocabitur Emmanuel (nobiscum Deus); quod possidebit terram Juda[3], quae appellatur terra Domini[4]; quod futurus est admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis[5]; quod «multiplicabitur ejus imperium..., super solium David et super regnum ejus sedebit»[6]. Cui haec nisi Christo, filio Mariae, conveniant?

β) *Maria praedicitur virgo in concipiendo et pariendo filium.* Textus, sive in hebraico sive in graeco sermone spectetur, hunc sensum praesefert. Vox enim העלמה (almah) puellam innuptam significat; et si suffixum ferat, virginem singularem aut notabilem denotat. Unde in contextu sermonis virgo praedicitur ut virgo praegnans et pariens filium.

Praeterea dicitur datum iri a Domino *signum,* quod eventum extraordinarium et insignem denotat. «Si sermo esset, ait ad rem *S. Joannes Chrysostomus,* de muliere secundum naturae legem pariente, cur signum vocaret, quod quotidie fieri solet?... Si virgo non fuisset, signum non erat. Signum enim rerum seriem excedere debet et naturae consuetudinem superare»[7].

Denique *Matthaeus* authentice interpretatus est haec verba dicens: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*[8].

b) *Ex Novo Testamento.* Cum angelus nuntiasset Virgini in ejus utero incarnatum iri Filium Dei, dixit Maria ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*[9]. Clarissima sunt verba. Virgo, quae non cognoscebat virum, obumbrata est virtute Altissimi, et peperit Filium Dei.

2) *Ex symbolis Ecclesiae.* In symbolo apostolorum dicitur Christus *natus ex Maria Virgine*[10]; et in symbolo nicaeno-cpolitano: *incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*[11].

3) *Ex SS. Patribus. S. Ignatius M.* ait: «Principem hujus saeculi latuit Mariae virginitas»[12].

1 *Is.*, 7, 14. Juxta **S. Hieronymum** «*alma* non solum puella vel virgo, sed cum επιτασει virgo abscondita dicitur et secreta». *Comment. in Is.*, 7, 14; ML **24,** 110. Cfr. **Coudamin,** *Le livre d'Isaïe,* 7, 14, p. 67.
2 *Matth.*, 1, 22 sq.
3 *Is.*, 8, 8.
4 *Is.*, 14, 2 et 25.
5 *Is.*, 9, 6.
6 *Is.*, 9, 7.
7 *In Isaiam*, 7, n. 5; MG **56,** 83-84.
8 *Matth.*, 1, 18.
9 *Luc.*, 1, 34, 35.
10 **Denz-Bannw.,** 6.
11 **Denz-Bannw.,** 86.
12 *Ephes.*, 19, 1; **Funk,** 1, 187.

S. Irenaeus: «Diligenter igitur significavit Spiritus Sanctus per ea quae dicta sunt (ex *Isaia,* 7, 14), generationem ejus quae est ex Virgine, et substantiam, quoniam Deus (Emmanuel enim nomen hoc significat)»[1].

Unde *Tertullianus* docetas[2], *Origenes* Celsum philosophum[3], *S. Ambrosius* Bonosum[4] et *S. Hieronymus* Helvidium ac Jovinianum[5], adversarios virginitatis Mariae acerrime impugnarunt.

4) Rationem convenientiae adsignat *S. Thomas* propter quatuor[6], sed praecipua est, quia non decebat, ut, quae erat paritura Deum, conciperet ex concubitu, neque ut caro Christi formaretur ex semine viri corrupto.

Objicies 1.° *S. Matthaeus* et *S. Lucas* texerunt genealogiam Joseph, ut ostenderent Christum esse filium David et Abrahae ex linea Joseph. Ergo Christus est filius non solum Mariae sed etiam Joseph.

Resp. Hi evangelistae certo probaverunt ex genealogia Christum esse filium David et Abrahae, Joseph enim, ut dicemus inferius, contraxit verum matrimonium cum Maria. Haec autem, utpote primogenita, debuit secundum legem Moysis, nubere viro ejusdem tribus. Unde ex descendentia Joseph ab Abraham atque ex ejusdem matrimonio cum Maria legitime deducebatur Christum, filium Mariae, fuisse filium David et Abrahae.

Obj. 2.° *Agnes Smith Lewis* invenit (a. 1892) in quodam orientis monasterio veterem codicem syro-sinaiticum evangeliorum, in quo locum *Matthaei,* 1, 16, sic vertitur: «Joseph, cui desponsata erat Maria Virgo, genuit Jesum, qui appellatur Christus». Ergo Jesus fuit filius Joseph.

Resp. Ex hoc jam triumphum contra virginitatem Mariae cecinere critici rationalistae, sed frustra.

Ex uno codice, cujus auctoritas fere nulla est, non licet auctoritatem Evangeliorum, quae in codicibus magis authenticis continetur, rejicere. Unde dicendum est vel versiculum fuisse corruptum ab ebionitis, vel librarios errorem incurrisse, repetendo verbum «genuit», vel explicando verbum «genuit» cum ipso *Lewis*[7] pro generatione legali non physica.

999. Pars 2.ª Fuit Virgo in partu.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura. Isaias* praedicit virginem non solum concepturam sed et parituram esse filium[8]. Quod *evangelista* expressis terminis confirmat[9]. Hunc locum exponens ait *S. Ambrosius:* «Haec est virgo, quae in utero concepit, virgo, quae peperit filium... Non enim concepturam tantum virginem sed et parituram virginem dixit»[10].

Id ipsum constat ex Evangelio *S. Matthaei.* Cum enim cognovisset Joseph Mariam esse praegnantem, voluit occulte dimittere eam, sed, praemonito angelo, accepit conjugem suam, et *non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum*[11].

1 *Contra haer.*, lib. 3, c. 21, n. 4; MG **7,** 951.
2 *De carne Christi,* c. 17; ML **2,** 827.
3 *Contra Celsum,* lib. 1, n. 28; MG **11,** 714.
4 *De instit. virg.*, c. 5 sqq.; ML **16,** 228 sqq.
5 *De perpetua Virginitate B. M. contra Helvidium;* ML **23,** 194 sqq.; *Adv. Jovinianum,* lib. 1, n. 31 sqq.; ML **23,** 265.
6 *III p.*, q. 28, a. 1.
7 *Some pages of the four Gospels retranscribed from the sinaitic palimpsest,* etc.
8 *Is.*, 7, 14.
9 *Matth.*, 1, 23.
10 *Ep.* 42, n. 5; ML **16,** 1174.
11 *Matth.*, 1, 25.

http://www.obrascatolicas.com

2) *Ex SS. Patribus. S. Augustinus:* «Quo si vel nascente corrumperetur ejus virginitas, non jam ille de virgine nasceretur; eumque falso, quod absit, natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia» [1].

S. Leo: «Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum matris virginis, quae illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit» [2].

3) *Ex ratione congruentiae.* Conveniens fuit, ut Christus nasceretur ex virgine, «ne matris honorem nascendo minueret, qui parentes praeceperat honorandos» [3].

Corollarium. *Virgo Maria peperit sine dolore Filium.* Nam dolor in partu, ut ait *S. Thomas,* «causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Dictum est autem... quod Christus est egressus ex clauso utero matris, et sic nulla violenta apertio meatuum ibi fuit; et propter hoc in illo partu nullus fuit dolor sicut nec aliqua corruptio; sed fuit ibi maxima jucunditas ex hoc, quod Homo Deus est natus in mundum» [4].

1000. Pars 3.ª Fuit Virgo post partum.

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Satis aperte hoc innuit ipsa Virgo Maria, cum respondit ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* [5]. His verbis certo significare voluit Maria se esse voto virginitatis ligatam, vel saltem propositum habere servandi virginitatem.

2) *Ex conciliis.* Concilium Chalcedonense adlocutum est Marcianum imperatorem: «Quomodo et Dei genitrix Virgo vocitata, propter eum, qui virginitatem ejus dignatus est etiam sacrare *post partum,* uterumque, ut decebat Deum, integritate signare» [6].

Concilium Lateranense I (a. 649): «Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque virginem et immaculatam Mariam... incorruptibiliter eam génuisse, indissolubili permanente et *post partum* ejus virginitate, condemnatus sit» [7].

3) *Ex SS. Patribus. S. Epiphanius:* «Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit» [8].

S. Ambrosius: «Fuerunt, qui eam (Mariam) negarent virginem perseverasse. Hoc tantum sacrilegium silere jamdudum maluimus» [9].

4) *Ex ratione.* a) Omnino decuit, ut Christus, unigenitus Patris, esset etiam unigenitus matris. b) Pariter decuit, ut uterus virginalis, qui sacrarium fuit Spiritus Sancti, inviolatus permaneret. c) Ingratissima videretur mater Dei, «si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet

1 *Enchiridion,* c. 34; ML **40,** 249.
2 *Ep. 28 ad Flavianum,* c. 2; ML **54,** 759.
3 **S. Thomas,** *III p.,* q. 28, a. 2.
4 *III p.,* q. 35, a. 6.
5 *Luc.,* 1, 34.
6 *Adlocutio ad Marcianum imp.;* **Mansi,** 7, 462.
7 *Can.* 3; **Mansi,** 10, 1151.
8 *Haeres.,* 78, n. 6; MG **42,** 707.
9 *De instit. Virg.,* c. 5, n. 35; ML **16,** 328.

per carnis concubitum». d) Derogaret sanctitati Joseph, «si eam, quam revelante angelo de Spiritu Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret» [1].

1001. Objicies 1.° S. Matthaeus ait: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto... Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum* [2]. Haec verba certe innuunt 1) Josephum et Mariam non convenisse, quousque Maria inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, bene tamen postea; 2) Mariam, donec peperisset Filium suum, non fuisse cognitam, sed postea; 3) Jesum fuisse Mariae primogenitum, quod indicat alios habuisse fratres.

Resp. 1) Expressio *antequam convenirent* idem significare videtur ac *antequam cohabitarent,* quia nondum videtur eos, cum status Mariae Josepho innotuit, in eadem domo cohabitasse, sed postea.

2) Si tamen hanc expressionem de concubitu maritali intelligere velis, dicendum est per eam sicut etiam per particulam *donec* in eodem textu designari quid factum non sit, quin necesse sit id postea factum iri. Ut recte argumentatur *S. Hieronymus,* si quis diceret: «Helvidius, antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est» [3], nollet manifestare illum post mortem poenitentiam egisse; sicut ex textu: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* [4], non sequitur Filium postea non sessurum a dextris Dei. Hinc *S. Hieronymus* iterum: «Non sequitur, ut postea convenerint, sed Scriptura quod factum non sit, ostendit» [5].

3) Quantum ad particulam *primogenitum* optime respondet *S. Hieronymus:* «Primogenitus est non tantum post quem et alii, sed ante quem nullus» [6].

Obj. 2.° S. Scriptura tribuit Christo fratres Jacobum, Joseph, Judam et Simonem [7], imo et sorores, quas singillatim non nominat [8]. Ergo Maria post partum primogeniti alios liberos genuit.

Resp. 1) Haec difficultas omnino corruit, si prae oculis habeatur morem apud judaeos fuisse receptum vocandi saepe fratres et sorores non solum germanos uterinos verum etiam omnes cognatos. Ita Abraham et Loth dicti sunt fratres *(Gen.* 13, 8; 14, 16), cum primus fuerit patruus secundi [9]. Unde *S. Augustinus:* «Cognati Mariae fratres Domini, de quolibet gradu cognati... Qua regula cognita, invenies omnes consanguineos Mariae fratres esse Christi» [10].

2) Evangelia apochrypha Jacobi et Petri, quae saeculo II prodierunt, suspicantur Josephum, antequam matrimonium iniret cum Maria, genuisse liberos ex priore conjugio, eosque vocant fratres Domini.

Haec solutio placuit quibusdam Patribus. Sic *Clemens Alexandrinus* vocat Judam «fratrem filiorum Joseph» [11] et *S. Epiphanius* latissime filios Joseph enumerat [12]. Eamdem solutionem admiserunt etiam *S. Hilarius, S. Gregorius Nyss., S. Cyrillus Alex.* et *S. Ambrosius* [13].

1 **S. Thomas,** *III p.,* q. 28, a. 3. Cfr. **Josephus a Jesu Maria,** *Historia de la vida y excelencias de la Sacr. Virgen,* lib. 4, p. 1, c. 5.
2 *Matth.,* 1, 18, 25.
3 *De perpetua Virginitate B. M.,* n. 4; ML **23,** 195.
4 *Ps.* 109, 1-2.
5 *In Matth.,* 1, 18; ML **26,** 25.
6 *De perp. Virg.,* n. 10; ML **23,** 202.
7 *Matth.,* 12, 46; 13, 55; *Marc.,* 6, 3.
8 *Marc.,* 6, 3.
9 **S. Hieronymus,** *De perp. Virg.,* n. 12 sqq.; ML **23,** 204 sqq.
10 *In Joan.,* tr. 10, c. 2, n. 2; ML **35,** 1467 sq.
11 *Adumbrat. in ep. Judae;* MG **9,** 731.
12 *Adv. haeres.,* haer. 78, n. 7 sqq.; MG **42,** 708 sq.
13 **S. Hilarius,** *In Matth.,* 1, 4; ML **9,** 922; **S. Gregorius Nyss.,** *Orat. 2 in resurr. Chr.;* MG **46,** 648; **S. Cyrillus Alex.,** *In Joan.,* 7, 5; MG **73,** 637; **S. Ambrosius,** *In Gal.* 1, 19; MG **17,** 364.

http://www.obrascatolicas.com

Sed *S. Hieronymus* et ex eo omnes jure refutant hanc opinionem: «Quidam, ait *S. Hieronymus*, fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et quamdam Melcham vel Escham mulierculam confingentes. Nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus materterae Domini, quae esse dicitur mater Jacobi minoris et Joseph et Judae, quos in alio Evangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat» [1]. Et *S. Thomas*, relata eorum opinione, qui dicebant Josepho fuisse alios liberos ex primo conjugio, ait: «Hoc est falsum, quia, si Dominus matrem virginem noluit nisi virgini commendare custodiendam, quomodo sustinuisset sponsum ejus virginem non fuisse et sic perstitisse» [2].

Qui fuerint cognati Jesu, quos Scriptura vocat fratres et sorores Domini, et quomodo fuerint cum eo conjuncti, quaestio est scripturistica et commentatoribus Scripturarum relinquenda. Cfr. *S. Thomas*, *Pesch*, *Campana* et *Van Noort* [3].

1002. Scholion I. *De voto virginitatis Mariae.* 1) Deipara, antequam nuntium de futura Filii Dei incarnatione in suo utero ab angelo reciperet, votum virginitatis emisit. Hoc merito deducunt SS. Patres et theologi ex responsione, quam ipsa dedit angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hic locus eumdem facit sensum ac si dixisset: Non possum cognoscere, eo fere modo quo abstemius dicit: *Non bibo vinum*, id est, non possum bibere: et caecus: *Non video caelum*, id est, non possum videre. Difficultas siquidem concipiendi filium, quam virgo opposuerat, non oriebatur ex non habito commercio viri, quia poterat misceri, et ex eo concubitu concipere, sed oriebatur ex voto virginitatis. Sensus igitur responsionis erat: *Quomodo fiet istud, quoniam non possum cognoscere virum?* [4]. Hoc sensu rem explicat *S. Augustinus* dicens: «Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset» [5].

Virginitas revera voto firmata laudabilior est coram Deo et magis meritoria, ac proinde Virgini Deiparae videtur omnino tribuenda.

2) *Angelicus Doctor* addit: «Verum, quia tempore legis oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur, mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse; sed, licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit» [6]. Rursum: «Quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei genitrix, sed sub conditione, si Deo placeret; postquam autem ei innotuit hoc esse Deo acceptum, absolute vovit, antequam ab angelo annuntiaretur» [7].

1 *In Matth.*, 12, 49-50; ML **26**, 87 sq.
2 *In Gal.*, c. 1, lect. 5, «Circa istum Jacobum».
3 **S. Thomas,** *In Gal.*, c. 1, lect. 5; **Pesch**, *De Verbo incarnato*, n. 606; **Campana,** *Maria nel dogma cattolico*, lib. 1, p. 2, q. 4, c. 2, n. 4; **Van Noort,** *De Deo Redemptore*, n. 209.
4 *Luc.*, 1, 34.
5 Cfr. **Billuart,** *De mysteriis Christi*, diss. 1, a. 4.
6 *III p.*, q. 28, a. 4.
7 *III p.*, q. 28, a. 4 ad 1.

3) Alii, ut *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Vazquez*, *Josephus a Matre Dei*, et *Campana*, defendunt Mariam votum virginitatis ante contractum matrimonium absolute emisisse [1]. Difficultatem autem, quae *Angelicum Doctorem* movit ad admittendum votum conditionatum, solvere conantur dicentes praeceptum vacandi generationi apud judaeos ad communitatem non ad singulos spectasse.

Scholion II. *De matrimonio beatae Mariae Virginis et S. Joseph.* 1) Certissime tenendum est Dei genitricem vere nupsisse S. Joseph. Constat ex S. Scriptura. *Joseph autem*, ait evangelista, *vir ejus* (Mariae), *cum esset justus* [2]. Rursum: *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam* [3]. Item: *Ascendit autem et Joseph..., ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore praegnante* [4]. Vocabula autem *vir, uxor* et *conjux*, quibus utuntur evangelistae, designant conjuges matrimonii vinculo ligatos.

Nec obstitit votum virginitatis Mariae, aut S. Joseph, si voto obstrictus erat, ut aliqui volunt, quia Maria et Joseph, licet certi forent ex divina inspiratione nunquam concubitum inter eos futurum, in contrahendo matrimonio non apposuerunt conditionem non solvendi debitum. Matrimonium quippe contractum ex condicto pacto non solvendi debitum esset nullum, ut docent *Salmanticenses*, sed est validum, cum contrahitur absque ulla conditione cum certitudine non consummandi [5]. Unde *S. Thomas* expresse dicit, «quod B. Virgo mater Dei ex familiari instinctu Spiritus Sancti credenda est desponsari voluisse, confidens de divino auxilio, quod nunquam ad carnalem copulam perveniret; hoc tamen divino commisit arbitrio; unde in nullo detrimentum passa est virginitas» [6].

Consonant, quae dicit *S. Bonaventura* his verbis: «Beata Virgo divina inspiratione noverat, vel fortassis ipsius Joseph relatione, quod nunquam vellet uti ejus corporis potestate, sed ejus custodire virginitatem; ideo potuit et debuit ei committere sive dare» [7].

2) Quamvis nemini constet, qua aetate Maria et Joseph matrimonium inierint, probabilius Maria fuit grandiuscula et aetate nubili jam constituta, ut longum iter, quod ad visitandam Elisabeth arripuit, probare videtur, et S. Joseph non senex sed in aetate florens, ut officium patris putativi et nutritii Jesu ac sponsi beatae Mariae Virginis exigere videbatur.

1 **S. Bonaventura,** *In IV Sent.*, dist. 30, q. 2; **Scotus,** *In IV Sent.*, dist. 30, q. 2, «Dico ergo»; **Vazquez,** *In III p.*, disp. 124, c. 4; **Suarez,** *In III p.*, disp. 6, sect. 2; **Josephus a Matre Dei,** *Cursus triennalis*, tr. 11, disp. 2, n. 21; **Campana** *Maria nel dogma cattolico*, lib. 1, p. 2, q. 4, c. 3, n. 4.
2 *Matth.*, 1, 19.
3 *Matth.*, 1, 20.
4 *Luc.*, 2, 4-5.
5 **Salmanticenses Morales,** t. 2, tr. 9, c. 7, n. 87 sqq.
6 *III p.*, q. 29, a. 1 ad 1. Id ipsum confirmat alibi dicens: «Beata Virgo, antequam contraheret cum Josepho, fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat, et ideo non se commisit periculo nubens». *In IV Sent.*, dist. 30, q. 2, a. 1, sol. 2 ad 2.
7 *In IV Sent.*, dist. 28, a. un., q. 6.

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO LXXIV

DE MATERNITATE DIVINA BEATAE MARIAE VIRGINIS

ARTICULUS I

UTRUM BEATA VIRGO MARIA FUERIT MATER DEI

1003. Status quaestionis. In sanctissimo incarnationis mysterio docemur Verbum Dei virtute Spiritus Sancti conceptum fuisse in utero Virginis et suo tempore natum fuisse secundum carnem. Cum in Verbo sic humanato non fuerit nisi una persona divina in duplici natura, docent catholici beatam Virginem Mariam genuisse et in mundum edidisse Deum in natura humana. Ex hoc sequitur Mariam esse matrem Dei.

1004. Errores. 1) Virginem Mariam esse matrem Dei indirecte negaverunt *docetae*, qui inficiabantur Christum habuisse corpus reale; *apollinaristae*, qui docebant divinitatem et humanitatem in Christo immiscuisse et tertiam naturam constituisse; *valentiniani*, qui contendebant corpus humanum Christi non fuisse formatum ex substantia Mariae Virginis, sed e caelo allatum.

2) Nestorius, patriarcha cpolitanus, negando Christum fuisse divinam personam, nolebat admittere sanctam Virginem fuisse Deiparam seu Θεοτοκον sed appellabat illam χριστοτοκον. Imo sacrilege ajebat: «Non ego bimestrem aut trimestrem Deum nominare possum».

3) Hodierni rationalistae, qui plerumque inficiantur divinitatem Christi, negant pariter sanctissimam Virginem Mariam esse matrem Dei.

1005. THESIS. **Sanctissima Virgo Maria est vere et proprie mater Dei seu Θεοτοκος.**

Arg. 1) *Ex S. Scriptura.* Elisabeth, antequam Christus nasceretur, repleta Spiritu Sancto, appellavit Mariam matrem Domini: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* [1]. *Jesus dixit ad Mariam, matrem ejus* [2]. *Erat mater Jesu ibi* [3]. Commentatores hic appellatione matris Domini ac Jesu intelligunt *matrem Dei* [4].

Ad rem *S. Thomas:* «Licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum, quod beata Virgo sit mater Dei, invenitur tamen expresse in Scriptura, quod Jesus Christus est verus Deus, ut patet *I Joannis* ult., et quod beata Virgo est mater Jesu Christi, ut patet *Matth.*, 1. Unde sequitur ex necessitate ex verbis Scripturae, quod sit mater Dei» [5].

2) *Ex SS. Patribus. S. Ignatius* anthiochenus († 107): «Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria juxta dispensationem Dei ex semine quidem David, Spiritu autem Sancto; qui natus est et baptizatus» [6].

1 *Luc.*, 1, 43.
2 *Luc.*, 2, 34.
3 *Joan.*, 2, 1.
4 Cfr. **Knabenbauer,** *In Lucam*, 1. 43.
5 *III p.*, q. 35, a. 4 ad 1.
6 *Ad Ephes.*, 18, 2; MG **5**, 660.

S. Justinus († 163): «Desinere oportebat (circumcisionem, sabbatum, victimas et munera) in eum, secundum voluntatem Patris, ex Virgine generis Abrahae, tribus Juda, et stirpe David, genitus est Filius Dei Christus» [1].

Joannes anthiochenus: «Nomen hoc *Theotocos* nullus unquam ecclesiasticorum doctorum repudiavit. Qui vero illo usi sunt et multi reperiuntur et apprime celebres» [2].

Theodoretus: «Primus autem initae novitatis gradus fuit non oportere sanctam Virginem, quae Dei Verbum peperit, quod ex ea carnem suscepit, Deiparam confiteri, sed Christiparam dumtaxat; cum tamen antiquissimi orthodoxae fidei praedicatores, juxta traditionem apostolicam Deiparam docuerint nominare et credere Domini matrem» [3].

Id ipsum Patres latini saepe tradidere. *S. Ambrosius* ait: «Quid nobilius Dei matre?» [4]. *S. Hieronymus:* «Non mireris ad rei novitatem, si virgo Deum pariat» [5].

3) *Ex Ecclesiae definitionibus.* Concilium Ephesinum I recepit et communi plausu approbavit primum anathematismum *S. Cyrilli Alex.*, his verbis expressum: *Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam Virginem: peperit enim secundum carnem, carnem factum Dei Verbum, a. s.* [6].

4) *Ex ratione.* Terminus generationis non est natura sed suppositum. Atqui suppositum, quod Maria genuit ac peperit, est Deus in natura humana. Ergo Maria genuit ac peperit Deum, atque idcirco est mater Dei. Profundissime hanc rationem exponit *S. Thomas* dicens: «Omne nomen significans in concreto naturam aliquam, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturae. Cum autem unio incarnationis sit facta in hypostasi..., manifestum est, quod hoc nomen *Deus* potest supponere pro hypostasi habente humanam naturam et divinam. Et ideo quidquid convenit divinae naturae vel humanae, potest attribui illi personae, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans divinam naturam, sive secundum quod pro ea supponit nomen significans humanam naturam. Concipi autem et nasci personae attribuitur et hypostasi secundum naturam illam in qua concipitur et nascitur. Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natura assumpta a divina persona..., consequens est, quod vere possit dici Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicujus mater, quod eum concepit et genuit. Unde consequens est, quod beata Virgo vere dicatur mater Dei» [7].

Hoc nomen Θεοτοκος vel *Dei genitrix, deipara, ac mater Dei*, in Scriptura jam insinuatum et a primis Ecclesiae Patribus implicite retentum, saeculo III expresse coepit adhiberi, et deinceps communissime applicatum est beatae Virgini. Theodoretus saeculo V antiquissimis fidei

1 *Dial. cum Tryphone*, n. 43; MG **6**, 568.
2 *Ep. I ad Nestorium;* MG **77**, 1455.
3 *Haeret. fabul. comp.*, lib. 4, c. 12; MG **83**, 435.
4 *De Virginibus*, lib. 2, c. 2; ML **16**, 220.
5 *In Isaiam*, lib. 3, c. 7, v. 15; ML **24**, 112.
6 **Denz-Bannw.**, 113.
7 *III p.*, q. 35, a. 4.

http://www.obrascatolicas.com

orthodoxae praedicatoribus tribuit hujus vocabuli usum. Et *S. Cyrillus Alex.* ait: «Non dubitarunt (SS. Patres) sacram Virginem *deiparam* appellare, non quod Verbi natura ipsiusve divinitas ortus sui principium ex sancta Virgine sumpserit, sed sacrum illud corpus anima intelligente perfectum ex ea traxerit, cui et Dei Verbum secundum hypostasim unitum, secundum carnem natum dicitur» [1].

Hodie prae oculis habenda sunt haec verba *S. Joannis Damasceni:* «Hoc enim nomen (Θεοτοκος) totum incarnationis mysterium adstruit» [2].

ARTICULUS II

IN QUO CONSISTAT MATERNITAS DIVINA BEATAE MARIAE VIRGINIS

1006. Status quaestionis. 1) Dogma catholicum est, ut probabimus inferius, sanctissimam Virginem Mariam non fuisse matrem Dei, sicut aliae matres, per concubitum viri. Ipsamet Virgo, cum accepisset ab angelo nuntium suae futurae maternitatis, rejecit viri commercium dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Angelus vero respondit ei: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* [3]. Et angelus iterum S. Joseph: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est* [4].

2) Deus igitur per actionem, quae appropriatur Spiritui Sancto, collegit purissimum ipsius Virginis sanguinem, et contulit ei virtutem, ut suppleret rationem seminis in generatione. Beata autem Virgo hac virtute fecundata egit in conceptione Jesu, quod aliae matres in concipiendis filiis agere solent, sine tamen ulla imperfectione.

3) Estne hoc sufficiens, ut beata Virgo Maria appelletur mater Dei?

1007. Errores. Triplici ex capite procedunt errores circa naturam maternitatis Dei:

1) Si humanitas supponatur prius «subjecta conceptioni et nativitati, quam homo ille fuisset Filius Dei, sicut Photinus posuit».

2) Si humanitas dicatur «non fuisse assumpta in unitatem personae vel hypostasis Verbi Dei, sicut posuit Nestorius» [5].

3) Si ad maternitatem Dei requiratur generatio divinitatis per concubitum, ut requirunt hodierni rationalistae.

1008. THESIS. **Beata Virgo Maria in incarnatione Verbi Dei subministravit materiam operationi Spiritus Sancti, quae habebat rationem principii activi generationis Christi, non quidem per modum concubitus sed qua virtus supernaturalis divina, et sic agente Deo per modum principii activi, Maria concepit ac genuit Filium Dei in humana natura, et effecta est mater Dei.**

Haec thesis plures complectitur partes, quas oportet accurate expendere.

---

1 *Ep. ad Nestorium;* **Mansi,** 4, 891.
2 *De fide orth.,* lib. 3, c. 12; MG **94,** 1029.
3 *Luc.,* 1, 35.
4 *Matth.,* 1, 20.
5 *III p.,* q. 35, a. 4.

1) *Ad maternitatem requiritur generatio.* «Nomina, ait *S. Thomas,* paternitatis et maternitatis, et filiationis generationem consequuntur; non tamen quamlibet, sed proprie generationem viventium et praecipue animalium. Non enim dicimus, quod ignis generatus sit filius ignis generantis, nisi forte secundum metaphoram; sed hoc solum dicimus in animalibus, quorum generatio est magis perfecta. Nec tamen omne, quod in animalibus generatur, filiationis accipit nomen, sed solum illud, quod generatur in similitudinem generantis» [1].

2) *Generatio Christi effecta est in Virgine Maria sine concubitu viri, sola operante virtute Dei ex parte principii activi, et Virgine materiam subministrante atque alia ex parte mulieris ad casum necessaria gerente.* «Dicendum, inquit *Angelicus,* quod... in conceptione Christi fuit secundum conditionem naturae, quod est natus ex femina, sed supra conditionem naturae, quod est natus ex Virgine. Habet hoc naturalis conditio, quod in generatione animalis femina materiam ministrat, ex parte autem maris sit principium activum in generatione, sicut probat Philosophus (in lib. 1 *De Generatione animalium,* c. 19, in fine). Femina autem, quae ex mare concipit, non est virgo. Et ideo ad supernaturalem modum generationis Christi pertinet, quod activum principium in generatione illa fuerit virtus supernaturalis divina, sed ad naturalem modum generationis ejus pertinet, quod materia, de qua corpus ejus conceptum est, sit conformis materiae, quam aliae feminae subministrant ad conceptionem prolis. Haec autem materia secundum Philosophum (in lib. 1 *De Generatione animalium,* c. 19) est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quamdam ampliorem digestionem per virtutem generativam matris, ut sit materia apta ad conceptum. Et ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptum» [2].

An hoc, quod dicitur de sanguine mulieris ad conceptum, sit verum, decident physiologi, sed ad rem sufficit, ut quaelibet materia adsignetur ad conceptum necessaria. Eam enim subministravit beata Virgo Maria.

3) *Beata Virgo Maria non genuit divinitatem nec fuit mater divinitatis, sed genuit Filium Dei in humana natura.*

Hoc dilucide explicuit *S. Thomas* exemplo generationis humanae. Sicut aliae matres, cum generant liberos, non generant animam rationalem, sed personam anima et corpore constitutam, ita beata Virgo Maria non genuit divinitatem, sed personam divinam in humana natura [3]. Unde *S. Thomas:* «Beata Virgo dicitur mater Dei, non quia sit mater divinitatis, sed quia personae habentis divinitatem et humanitatem est mater secundum humanitatem» [4].

Beata igitur Maria ex eo, quod subministravit materiam ad generationem Filii Dei, et cooperavit ad unionem corporis et animae, cui hypostatice unita est persona divina, constituta est mater Dei [5].

---

1 *III p.,* q. 32, a. 3.
2 *III p.,* q. 31, a. 5.
3 Cfr. **S. Thomas,** *Compend. theol.,* c. 222.
4 *III p.,* q. 35, a. 4 ad 2.
5 Cfr. **Campana,** *Maria nel dogma cattolico,* lib. 1, p. 1, q. 1, c. 1, a. 2, n. 8.

http://www.obrascatolicas.com

ARTICULUS III

QUALIS FUERIT IN MARIA EXCELLENTIA MATERNITATIS DIVINAE

1009. Status quaestionis. Non loquimur de excellentia naturali beatae Mariae Virginis, sed de celsitudine ejusdem supernaturali, quae complectitur praerogativas, privilegia, qualitates, gratias, etc., quae maternitatem divinam consequuntur.

Tres praecipue occurrunt quaestiones dilucidandae: 1) An maternitas divina formaliter sanctificaverit animam beatae Mariae Virginis. 2) An maternitas divina fuerit in Maria praeclara dignitas. 3) An maternitas divina in Virgine Maria excesserit pretio ejus sanctitatem.

1010. THESIS I. **Beata Virgo Maria non fuit sanctificata formaliter per maternitatem divinam.**

Nota. *Ripalda* in hac materia singularem tenuit opinionem, dicens beatam Virginem Mariam maternitate Dei formaliter fuisse sanctificatam, eo fere modo quo anima Christi sanctificata fuit formaliter per gratiam unionis [1].

Sed hoc sine fundamento dictum esse censemus.

Anima quippe in sanctificatione fit consors divinae naturae, ut dicitur in tractatu de gratia. Maternitas autem divina non reddidit animam Virginis consortem divinae naturae, quia nullam ex se Dei similitudinem in ea produxit. Unde maternitas divina est in Maria gratia gratis data non gratia sanctificans.

Nec valet comparatio cum gratia unionis, qua formaliter sanctificata est anima Christi, quia in Christo fuit unica persona ac hypostasis, et natura humana in unitatem personae divinae adsumpta nequibat a sanctitate substantiali Verbi esse aliena. At beata Virgo Maria, licet intime conjuncta personae Verbi, conservabat personalitatem propriam a persona Verbi distinctam.

1011. THESIS II. **Maternitas divina, etiam nude sumpta, est in Maria dignitas praeclarissima.**

Beata Virgo Maria constituta est mater Dei, quando concepit ac genuit in utero Filium Patris; simul consanguinea effecta est ei; maternam auctoritatem exercuit in ipsum; imo et affinitatem adepta est cum Deo [2]; atque intime conjuncta est Sanctissimae Trinitati juxta illud *S. Bernardi:* «Dominus Filius tecum, quem carne tua induis: sed et Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis; et Dominus Pater, qui genuit quem concipis» [3].

Quis dubitaverit hoc esse nobilissimum beatae Virgini? Audi *S. Ambrosium* dicentem: «Quid nobilius Dei matre, quid splendidius ea, quam splendor elegit?» [4].

S. Albertus Magnus ait: «Filius infinitat bonitatem matris... infinita

1 *De ente supernaturali*, t. 2, disp. 79, n. 58.
2 **S. Thomas,** *II-II*, q. 103, a. 4 ad 2.
3 *Hom. 3 super Missus est*, n. 4; ML **183,** 73.
4 *De Virginibus*, lib. 2, c. 2, n. 7; ML **16,** 220.

bonitas in fructu adhuc ostendit infinitam in arbore bonitatem» [1]. Et *S. Thomas:* «Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, et beata Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo» [2].

1012. THESIS III. **Maternitas divina in Maria nude spectata est inferior quam filiatio adoptiva per gratiam sanctificantem, sed complexive spectata cum gratia sanctificante est excellentior omni dignitate creata.**

Nota. Maternitas divina potest considerari: 1) *Nude* seu praecisione facta a gratia habituali, quatenus solum significat Filium Dei in utero concepisse. 2) *Complexive* cum gratia sanctificante, sicut de facto fuit in Maria et videbatur convenire suae altissimae dignitati.

Juxta *Suarez* «vix possunt haec Dei maternitas et filiatio adoptiva comparari; sunt enim diversorum ordinum, et mutuo sese quodammodo excedunt» [3].

Puto tamen nihil obstare, quin maternitas divina per generationem Filii Dei et filiatio adoptiva per gratiam sanctificantem praecisive et seorsim considerentur in Maria, et inter se quantum ad valorem et pretium comparentur. Haec duo clare distinxisse videtur Christus, cum mulieri extollenti maternitatem divinam implicite adsensus est et adjunxit: *Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* [4].

Pars 1.ª

S. Beda ait: «Eadem Dei genitrix et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra est facta temporalis, sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat aeterna» [5].

Ratio id suadet, quia magis aestimandum est habere Deum finem ultimum, amicum ac benevolum, quam physice concurrere ad temporalem Dei nativitatem [6].

Pars 2.ª

S. Bonaventura, vel quisquis fuerit auctor opusculi *Speculum beatae Mariae Virginis*, ait: «Ipsa est, qua majorem Deus facere non posset. Majorem mundum posset facere Deus; majus caelum posset facere Deus; majorem matrem quam matrem Dei non posset facere Deus» [7].

Pius IX in constitutione dogmatica *Ineffabilis* haec habet: «Ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque

1 *Mariale*, q. 197.
2 *I p.*, q. 25, a. 6 ad 4.
3 *De mysteriis Christi*, disp. 1, sect. 2, n. 5.
4 *Luc.*, 11, 28.
5 *In Luc.*, lib. 4, prooem.; ML **92,** 480.
6 Cfr. **Pesch,** *De Verbo incarnato*, n. 578; **Van Noort,** *De Deo Redemptore*, n. 198.
7 *Speculum beatae Mariae Virginis*, lect. 10. Plures hoc opusculum tribuunt *Conrado de Saxonia*, C. M. († 1279).

http://www.obrascatolicas.com

prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe angelicos spiritus cunctosque sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, *qua major sub Deo nullatenus intelligitur*, et quam praeter Deum nemo adsequi cogitando potest» [1].

Maternitas igitur divina complectens filiationem Dei adoptivam, superat omnem dignitatem creatam, et idcirco beata Virgo Maria dicenda est omnium creaturarum in ordine supernaturali nobilissima.

1013. Corollarium I. Quamvis absolute non fuerit necessarium, ut Verbum Dei adsumeret naturam humanam, et supposita voluntate Dei adsumendi naturam humanam, potuerit incarnari sine matre, ut expresse docent theologi, valde tamen fuit conveniens, ut Filius Dei nasceretur ex matre virgine, tum ut tolleretur dubium de vera humanitate Christi; tum ut facilius pateret accessus ad Redemptorem per piam matrem; tum ut Filius Dei, matri suae subjectus, humilitatis et obedientiae nobis praeberet exemplum.

Coroll. II. In admittenda praeclara dignitate matris Dei vitandi sunt tum excessus *colliridianorum*, qui putabant Mariam genuisse divinitatem et fuisse revera deam, tum defectus quorumdam protestantium, qui nunquam laudes et praeconia Mariae solent celebrare. «Unico verbo, ait *Lutherus*, totus ejus (Virginis Mariae) honos concluditur, si parentis Dei insigniatur nomenclatura; quandoquidem nemo majora vel de ipsa praedicare, vel illi enuntiare possit» [2].

Coroll. III. «Hoc nomen (Θεοτοκος), ut apprime ait *S. Joannes Damascenus*, totum incarnationis mysterium adstruit» [3]. Ad quod merito addit *Franzelin:* «Sicut in doctrina de SS. Trinitate professio του ομοουσιου a Patribus habita est velut tessera orthodoxae fidei, eo quod illa non minus distinctionem personarum adversus monarchianos, quam unitatem naturae adversus arianos exprimeret, ita praedicatio της Θεοτοκου in Ecclesia catholica magno studio celebrata est veluti symbolum et compendium totius professionis de Dei Verbi incarnatione» [4]. Hoc unico nomine docetur: 1) *divinitas Christi* adversus arianos et recentes rationalistas; 2) *veritas humanae naturae in Christo* contra docetas, phantasiastas, apollinaristas et valentinianos; 3) *unio substantialis inter divinam et humanam naturam in Christo* contra nestorianos et adoptionistas.

---

1 Bulla *Ineffabilis*, § 1.
2 *Comment. ad B. V. M. Cant.*
3 *De fide orth.*, lib. 3, c. 12; MG **94**, 1029.
4 *De Verbo incarnato*, th. 39, 3.

QUAESTIO LXXV

DE ADSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS IN CAELUM

ARTICULUS UNICUS

AN BEATA VIRGO MARIA ADSUMPTA FUERIT IN CAELUM SECUNDUM CORPUS

1014. Status quaestionis. 1) Certissime tenendum esse putamus beatissimam Virginem in fine vitae mortem subiisse [1], non quidem in poenam sui peccati, quia Maria peccatum non cognovit, sed ex necessitate et defectu naturae. Et quidem mortua fuisse creditur, non vi morbi, sed vi ardentissimi amoris divini et sine doloribus.

2) Quando mortua fuerit beata Virgo Maria, non constat. *Suarez* [2] putat eam septuagesimo secundo aetatis suae anno obiisse; *Nicephorus* [3] dicit totius ejus vitae annos fuisse quinquaginta novem; sed *Baronius* [4] et alii merito contendunt hoc incertum esse.

3) Neque constat ubi decesserit [5]. a) Aliqui volunt Mariam post mortem Christi cum S. Joanne evangelista semper vixisse, et cum eo Ephesum petiisse, mortemque ibi subiisse. Ita *Alapide, Tillemont*, et alii non pauci [6]. b) Alii e contra dicunt eam, cum S. Joannes perrexit in Ephesum, jam olim Hierosolymis obiisse. Ita *S. Joannes Damascenus, Nicephorus, Baronius* et alii plures [7].

4) Anima ejus sanctissima, vix a corpore exiit, convolavit in caelum, et recepta est in caelesti beatitudine.

---

1 **S. Epiphanius** hoc dubitasse dicitur, cum scripsit: «Si falso jactari quispiam existimet; licet sacrarum litterarum vestigia consectari, in quibus nullam de Mariae obitu mentionem reperiet, mortua sit necne, sepulta an non sepulta fuerit... Quamquam illud non affirmo penitus, neque aut immortalem permansisse definio, aut utrum mortua sit confirmare possum». *Haer.* 78, n. 11; MG **42**, 716. Hanc dubitationem saeculo praeterito suscitavit **Mons. Arnaldus de Genova** in opere: *Super transitu B. M. Deiparae expertis omni labe culpae originalis*, Mediolani, 1879; et professor **Pennacchi** dicitur in scholis de Propaganda Fide tradidisse doctrinam, quae tenebat Virginem Mariam non fuisse mortuam. Cfr. **Campana,** *Maria nel dogma cattolico*, lib. 1, p. 2, q. 5, c. 1, a. 1.
2 *De mysteriis Christi*, disp. 21, sect. 1, n. 9.
3 *Eccl. Hist.*, lib. 2, c. 3; MG **145**, 757.
4 *Annal.* ad annum Christi, 48, n. 5.
5 Cfr. **Natalis Alex.,** *Hist. Eccl.*, saec. 1, c. 1, n. 5.
6 **Alapide,** *Comment. in S. Joannem*, 19, 27; **Tillemont,** *Mémoires*, t. 1, nn. 1 et 15.
7 **S. Joannes Damascenus,** *Hom. 2 de dormitione B. M. V.*; MG **96**, 747; **Nicephorus,** *Eccl. Hist.*, lib. 2, c. 3; MG **145**, 760; **Baronius,** *Annal.* ad annum Christi, 48, n. 5; cfr. **Lagrange,** *Revue Biblique*, a. 1899, p. 589 sqq. Quae in libro apochrypho *De transitu Virginis Mariae* dicuntur de commoratione Deiparae in Jerusalem ac Bethlehem, ac de transmigratione ejusdem ex Hierosolymis, fundamento carent. Liber invenitur in collectione «Corpus scriptorum christianorum orientalium», *Scriptores aethiopici*, series prima, t. 7, p. 17 sqq.

http://www.obrascatolicas.com

5) Corpus beatissimae Virginis non fuisse corruptioni obnoxium, sed post mortem integrum permansisse, videtur esse certum, adeo ut nemo hoc hucusque negaverit.

6) Quaestio ergo ad hoc reducitur, an beata Virgo Maria paulo post mortem a mortuis resurrexerit, et simul cum corpore adsumpta fuerit in caelum.

1015. Placita theologorum. 1) *Renan* adseruit festum adsumptionis ortum fuisse ex legendis apochryphis [1]. 2) Nonnulli professores et historiographi Galliae et Belgii aliquando dubitare coeperunt de adsumptione beatae Mariae Virginis cum corpore in caelum, sed theologi fere communiter eam defenderunt, et hodie «beatam Virginem non esse in caelos cum corpore adsumptam... licet fidei minime adversum sit, sed quia communi Ecclesiae consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur» [2].

1016. THESIS. **Beata Virgo Maria adsumpta est in caelum secundum corpus.**

Nota. Dominus Jesus Christus non dicitur adsumptus fuisse sed *ascendisse* in caelum, quia ipse propria virtute abiit, sed Maria dicitur *adsumpta*, quia non propria virtute sed virtute Dei evecta est in patriam.

Arg. 1) *Ex liturgia ecclesiastica.* a) In missali mozarabico, quod jam inde a saeculo V vel VI uti incepit in Hispania, die 15 Augusti legitur haec oratio: «Ingenite Pater summe, qui tanta ac talia beneficii munera Virgini gloriosae Mariae contulisti..., sicut illa hodie inter angelorum virginumque choros meruit adsumi; sive dono illibatae carnis feliciter jucundari, sic nos stimulo perfecte exstirpato carnali, beatiores ibidem misericorditer admitti» [3].

b) In Sacramentario Veteri: «Sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum» [4].

c) «Mauricius (imperator), ut refert *Nicephorus*, sacrosanctae Dei genitricis dormitionem quintodecimo Augusti mensis die celebrari praecepit» [5]. Porro adsumptio B. M. V. saepe vocabatur dormitio aut etiam transitus.

d) Missale gothicum gallicanum quod saeculo IX «non modo in desuetudinem sed etiam in oblivionem abiit», sub numero XII in missa Adsumptionis sanctae Mariae matris Domini nostri haec habet: «Contestatio: Quae nec de corruptione suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulcro; pollutione libera, germine gloriosa, adsumptione secura... Recte ab ipso suscepta es in adsumptione feliciter, quem pie suscepisti conceptura per fidem, ut quae terrae non eras conscia, non teneret rupes inclusa» [6].

---

1 *Origines du Christianisme*, t. 6, p. 513.
2 **Canus,** *De locis theol.*, lib. 12, c. 10.
3 ML **85,** 822.
4 *Oratio in die Assumptionis sanctae Mariae;* ML **151,** 852.
5 *Eccl. Hist.*, lib. 17, c. 28; MG **147,** 292.
6 *De Liturgia gallicana, Praefatio;* ML **72,** 101.

e) Denique liturgia hodierna tum missalis tum breviarii romani, nullum in hac materia relinquit dubium.

2) *Ex traditione.* In ecclesia S. Engratiae Caesaraugustae crypta *Santas Masas*, visitur sarcophagus, saeculi ut dicitur IV in quo beata Virgo inter apostolos collocata, manu qua apparet de caelo educitur de hoc mundo et elevatur in caelum [1]. *S. Gregorius Turonensis* († 594): «Ecce iterum adstitit eis Dominus susceptumque corpus sanctum (Virginis) in nube deferri jussit in paradisum, ubi nunc, resumpta anima, cum electis ejus exsultans, aeternitatis bonis, nullo occasuris fine, perfruitur» [2].

Modestus hierosolymitanus († 634): «Christus Deus... illam elegit, et concorpore induit incorruptibilitate ac supra modum glorificavit, ut sua esset haeres, utpote sanctissima sua» [3]. Rursum: «Qui (Christus) illam e sepulcro excitavit, et apud se adsumpsit, ut ipse solus novit» [4].

S. Joannes Damascenus († 754) haec refert: «Cum sancta et caelesti gloria animam sanctam Deo commendavit; ejus autem corpus, quod Deum susceperat, cum angelico et apostolico cantu elatum in loco Gethsemani depositum est; quo in loco angeli totos tres dies choros agere et canere non destiterunt. Post autem tres dies angelico cantu cessante, qui aderant apostoli, cum unus *Thomas*, qui abfuerat, post diem tertium venisset, et, quod Deum tulerat corpus, adorare voluisset, tumulum aperuerunt. Ac laudatissimum illius corpus nequaquam invenire potuerunt; cum autem jacentia lintea reperissent, atque inenarrabili, qui ex iis proficiscebatur, odore perfusi sunt, loculum clauserunt» [5].

Haec omnia satis probant traditionem de adsumptione beatae Mariae Virginis secundum corpus in caelum esse vetustissimam in Ecclesia.

3) *Ex auctoritate theologorum.* Veterum circa hoc traditionem uno ore confirmant scholastici.

S. Albertus Magnus: «His rationibus et auctoritatibus et multis aliis manifestum est, quod beatissima Dei mater in corpore et anima super choros angelorum est adsumpta. Et hoc modis omnibus credimus esse verum» [6].

S. Thomas: «Tertia (maledictio) fuit communis viris et mulieribus, ut scilicet in pulverem reverterentur; et ab hac immunis fuit beata Virgo, quia cum corpore est adsumpta in caelum. Credimus enim, quod post mortem resuscitata fuerit et portata in caelum» [7].

Adeo communis exinde invaluit theologorum opinio in favorem doctrinae, quam defendimus, ut supervacaneum sit auctorum nomina referre.

---

1 Cfr. **Leclercq,** *Dict. archéol. chrét.*, v. «Assomption».
2 *Miracul.*, lib. 1, c. 4; ML **71,** 708.
3 *Encomium in B. Virginem*, n. 5; MG **86,** 3289.
4 *Encomium in B. Virginem*, n. 14; MG **86,** 3312.
5 *Hom. 2 in dormitionem B. V. Mariae*, n. 18; MG **96,** 749. **S. Joannes Damascenus** haec accepisse videtur ab Euthymio et dicuntur prolata a Juvenali Patriarcha Jerosolymitano. Jure suspicantur critici ea esse dubiae fidei et inserta secunda manu.
6 *Mariale*, 132.
7 *Expositio salutationis angelicae*. Opusc. 6.

http://www.obrascatolicas.com

4) *Ex congruentiis.* Ratio hujus doctrinae nulla potest adsignari, nisi voluntas Dei, quae in concedendis donis ac privilegiis liberrime solet operari. Sed congruentiae non desunt, quae suadeant adsumptionis corporeae gratiam fuisse beatae Virgini Mariae, matri Dei, liberaliter concessam. Nam

a) Cum corpus Christi formatum fuerit ex corpore Mariae, oportebat utrumque fore ejusdem conditionis in resurrectione et gloria.

b) Corpus, quod nullo peccato fuit contaminatum, nunquam debuit corruptionem pati aut in pulverem reverti.

1017. Scholion. Inveniuntur aliqua scripta apochrypha saeculi II et posteriorum, quae referunt adsumptionem corpoream beatae Mariae Virginis in caelum. Hujusmodi sunt: *Transitus Mariae Virginis*, qui Melithoni sardensi adscribitur: *Evangelium duodecim apostolorum*, quod saeculo II incerto auctore dicitur scriptum: *Historia Euthymii*, ex qua S. Joannes Damascenus videtur accepisse suam secundam homiliam; *Sermones S. Hieronymi et S. Augustini* de adsumptione beatae Mariae Virginis; *Textus pseudo-Dionysii* («De divinis nominibus», c. 3, § 2; MG **3,** 681). Sed haec, utpote apocrypha et incertae originis, noluimus in testimonium adducere. Nihilominus, minime praetereundum est auctores horum librorum, quiqui fuerint, antiquissimos esse, et consensum traditionemque fidelium sui temporis collegisse ac manifestasse [1].

QUAESTIO LXXVI

DE OFFICIIS BEATAE MARIAE VIRGINIS ERGA HOMINES

ARTICULUS I

UTRUM BEATA VIRGO MARIA SIT VERE HOMINUM MATER

1018. Status quaestionis. In vita tam corporali quam spirituali indigemus matris officiis, non solum ut incipiamus esse et vivere, sed etiam ut foveamur amore materno, et gratiis opitulemur.

Ad vitam corporalem natura dedit nobis matrem, quae nos genuit, et sollicite de nobis curam gessit.

In vita spirituali providit nobis Deus de matre, quando beatam Virginem Mariam elegit, ut esset mater Christi, et ipse Christus e cruce pendens S. Joannem, et in eo omnes homines Virgini Matri commendavit.

Ut pietati fidelium satis fiat, declarandum est, an et quomodo beata Virgo Maria sit hominum mater in vita spirituali.

1019. THESIS. **Sanctissima Virgo Maria merito dicitur in Ecclesia et est mater hominum in vita spirituali.**

Arg. Officium matris est filios gignere, alere et educare. Sic matres primo conferunt vitam filiis, et deinde sollicite curant de eorum salute

[1] Lege circa hoc eruditissimum articulum P. Vitti apud ephemeridem *Verbum Domini*, a. 1926, p. 225 sqq.

et educatione. Si haec omnia gerit beata Virgo Maria erga homines in vita spirituali, certe dicenda erit mater hominum. Sed beata Virgo Maria contulit et confert hominibus vitam spiritualem, et prosequitur opus sanctificationis eorum. Ergo est vere mater hominum.

Quaestio est, quomodo Maria Virgo contulerit vitam spiritualem hominibus, et quomodo efficiat eorum sanctificationem. Sed res est manifesta. Maria etenim edidit mundo Salvatorem, et cooperata est ad opus redemptionis Christi, conferens ministerialiter eam vitam spiritualem omnibus, quam Christus in nobis produxit. Unde mater est omnium, quos Christus redemit. «Illa una femina, ait *S. Augustinus*... (est) plane mater membrorum ejus (Christi), quod nos sumus, quia cooperata est caritati, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt» [1]. Et *S. Epiphanius:* «A Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat, et viventium Maria sit mater» [2].

Haec maternitas Mariae erga homines exorta est ex eo, quod ipsa genuit Filium Dei, ac ideo simul constituta est mater naturalis Dei et mater spiritualis hominum, et, Salvatorem gerens in utero, simul gerebat in corde omnes, quorum redemptor exstitit Christus.

I. **Initium maternitatis.** Huic hominum maternitati initium dedit Maria, quando mysterio incarnationis consensum praebuit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* [3], et gravida facta est [4]. In ea autem confirmata est, quando Christus e cruce pendens ait ipsi: *Mulier, ecce filius tuus;* et discipulo: *ecce mater tua* [5].

II. **Officia maternitatis.** Caetera pariter officia matris gessit Maria erga homines in vita spirituali. Filios siquidem suos a Christo redemptos materna sollicitudine fovit, salubri doctrina aluit, sanctis inspirationibus a Deo obtentis ad salutem saepe vocavit, et ad portum salvationis pia mater conduxit.

III. **Fuit omnium mater.** Est quidem omnium, si excipias damnatos, hominum mater, sed 1) *perfectissime* eorum, qui gloriam in caelo adepti sunt; 2) *perfecte* eorum, qui per caritatem Deo conjuncti ad salutem aeternam adspirant; 3) *imperfectius* et *secundum quid* eorum, qui fidem quidem habent, sed gratia sanctificante privantur; 4) *in potentia* eorum, qui fidem nondum receperunt sed possunt recipere [6].

ARTICULUS II

UTRUM BEATA VIRGO MARIA SIT MEDIATRIX UNIVERSALIS INTER DEUM ET HOMINES

1020. Status quaestionis. 1) *Notio mediationis.* Ad mediationem proprie dictam requiruntur duo extrema opposita reconcilianda et unum medians quod ea reconciliet. Mediator quippe unius non est, sed debet

[1] *De sancta Virginitate*, c. 6; ML **41,** 399.
[2] *Haeres.*, 78, n. 18; MG **42,** 727.
[3] *Luc.*, 1, 38.
[4] Cfr. **Lepicier,** *De beatis. V. Maria*, p. 3, c. 1, a. 1.
[5] *Joann.*, 19, 26-27.
[6] Cfr. **Terrien,** *La Madre de Dios y madre de los hombres*, lib. 8, c. 4.

http://www.obrascatolicas.com

esse saltem duorum [1]. Unde *S. Joannes Chrysostomus* ait: «Mediator autem debet ea jungere et communia facere, quorum mediator est» [2].

Hinc mediator dicitur, qui medius inter extrema exsistens et aliquid ex utroque extremorum participans «actum medii exercet in conjungendo disjunctos» [3]. Sic Christus, in quantum homo, supra homines exsistens per plenitudinem gratiarum et unionem, et infra Deum propter naturam creatam adsumptam, mediator fuit Dei et hominis, quia utrumque conjunxit.

Beata Virgo Maria inferior Deo in omnibus et superior hominibus propter dignitatem maternitatis divinae et plenitudinem gratiarum, media stetit inter Deum et homines, ac propterea quaeritur, an mediationem universalem exercuerit.

2) Duplici ex capite potest considerari Virginem Matrem exercere hanc mediationem universalem. Primo, quatenus in vita ad oeconomiam redemptionis electa, consensit in integrum munus maternitatis divinae, et consequenter concepit, formavit, parturiit, aluit, fovit et protexit Redemptorem, imo et cum eodem compassa est, consatisfecit, commeruit, conredemit ac cooperata est sacrificio crucis in ordine ad redemptionem generis humani. Secundo, quatenus in caelo cooperata est ad dispensationem et distributionem omnium gratiarum in favorem hominum.

Mediatio ex capite conredemptricis videtur esse fundamentum tituli cooperationis ad dispensationem gratiarum. Et ideo probandum est mediationem universalem ex utroque capite beatae Mariae Virgini competere.

3) Doctrina de mediatione universali beatae Mariae Virginis communior in dies evasit, adeo ut hodie sine periculo negari non possit.

1021. THESIS. **Mediatio universalis inter Deum et homines beatae Mariae Virgini competit** 1) **quatenus diversimode cooperata est ad integrum opus redemptionis hominum; et** 2) **quatenus cooperatur in caelo ad dispensationem et distributionem gratiarum.**

Pars 1.ª *Quatenus diversimode cooperata est ad integrum opus redemptionis hominum.*

Arg. 1) *Ex traditione. S. Irenaeus* (a. 202): «Eva... inobediens facta et sibi et universo generi humano causa facta est mortis... Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo, obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis» [4].

S. Augustinus: «Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam; reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset femina decepti per se hominis peccatum, generando Christum» [5].

---

1 *Gal.*, 3, 20.
2 *In I Tim.*, c. 2, hom. 7; MG **62**, 536.
3 **S. Thomas,** *In III Sent.*, dist. 19, q. 1, a. 5, sol. 2.
4 *Contra haer.*, lib. 3, c. 22; MG **7**, 958 sqq.
5 *Serm.* 51, c. 2; ML **38**, 335.

S. Bonaventura: «Illa mulier, scilicet Eva, nos a paradiso expellit et vendit, ista nos reducit et emit» [1].

Leo XIII: «Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel unquam contulerit, vel aliquando sit collaturus» [2].

2) *Ex ratione theologica.* Beata Virgo Maria adhuc in terris agens ad opus redemptionis et salutis generis humani operam contulit atque concurrit, a) consensum praebendo ad incarnationis mysterium et inde ad totius oeconomiae propositum; b) operibus suae vitae merendo incarnationem Christi et quidquid Christus promeruit; c) cooperando Christo Redemptori per acerbissimam suam compassionem. Haec sane sufficiunt, ut beatissima Virgo vere dicatur mediatrix universalis inter Deum et homines. Agitur enim de cooperatione Mariae ad omne opus Mediatoris primarii Christi Jesu. Ergo beata Virgo Maria fuit mediatrix universalis inter Deum et homines.

Videamus qualem operam contulerit ad opus redemptionis.

a) *Per liberum consensum ad incarnationem Redemptoris,* quando angelo nuntianti incarnationem respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* [3]. Hoc libero consensu Maria vere cooperata est ad incarnationem et redemptionem et ad omne opus bonum, quod effecturus erat Christus ad salutem hominum.

b) *Meritis suae vitae.* Nemo potuit mereri merito de condigno incarnationem Christi aut divinam maternitatem Mariae, ut docet *S. Thomas* [4], et probavimus alibi [5], neque purus homo alteri gratiam sanctificantem. Sed beata Virgo Maria vere meruit de congruo substantiam incarnationis et maternitatem divinam, imo omne illud promeruit nobis de congruo, quod Christus de condigno [6]. Hinc solus Christus fuit mediator meritis de condigno per viam justitiae, sed Maria praeclara sanctitate et immensis meritis ditata meruit de congruo aliis gratiam, et fuit mediatrix inter Deum et homines per viam intercessionis et meriti [7].

c) *Per acerbissimam compassionem in passione Christi. S. Thomas,* si tamen ipse scripsit *Sermones festivos,* ait: Beata Virgo «habuit meritum martyris, mortem crucis cum Filio patiendo. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius» [8]. Et *S. Albertus M.:* «Peperit (Virgo Maria) Filium suum primogenitum sine dolore in sua nativitate, postea peperit totam gentem simul in Filii passione» [9]. *Leo XIII:* «Stabat juxta crucem Jesu Maria Mater ejus, quae tacta in nos caritate immensa, ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit justitiae divinae, cum eo

---

1 *De donis Spiritus Sancti,* collat. 6, n. 14.
2 Encyclica *Fidentem,* 20 Sept. 1896; *Acta S. Sedis,* 29, 206.
3 *Luc.*, 1, 38.
4 *III p.*, q. 2, a. 11.
5 *De Verbo incarnato,* n. 624 sqq.
6 Cfr. **Pius X,** Encyclica *Ad diem illum,* 2 Febr. 1904; *Acta S. Sedis,* 36, 454.
7 Cfr. **S. Alphonsus,** *Glorie di Maria,* VI, 1; et **Bittremieux,** *De mediatione universali B. M. V.*, lib. 1, c. 3, a. 2, pag. 40.
8 *Sermones festivi,* 58, De Assumpt. B. M. V.
9 *Mariale,* q. 148.

http://www.obrascatolicas.com

commoriens corde, doloris gladio transfixa» [1]. Hinc sanctissima Virgo Maria vehementissime compassa est cum Christo pro hominibus, et adsociata est omnino passioni Christi, concurrens ad effectum passionis.

Porro passio Christi causavit salutem humani generis principaliter per modum meriti, per modum satisfactionis, per modum sacrificii et per modum redemptionis [2]. Eodem pariter modo sanctissima Virgo compassa est et concurrit cum Christo ad effectum nostrae redemptionis:

a) *Per modum meriti* de congruo, ut diximus supra; b) *per modum satisfactionis* etiam de congruo, quatenus compassio vehementissimi doloris Matris Dei conjuncta satisfactioni Christi oblata est Deo in recompensationem de congruo pro peccatis hominum secundum acceptationem Dei; c) *per modum sacrificii*, tum ministrando Filio corpus pro victima, tum victimam cum Christo coofferendo aeterno Patri; d) *per modum redemptionis*, quatenus Virgo Maria coobtulit Deo Patri ipsam passionem Christi imo et proprios dolores, qui simul ac erant satisfactorii, habebant rationem pretii redemptivi, in solutionem pretii pro nostra libertate. Hinc Deipara merito nuncupatur *conredemptrix*, quia consociata est passioni Filii sui [3].

Ex eo igitur quod beata Virgo Maria cooperata est ad opus redemptionis hominum, vere dicenda est mediatrix inter Deum et homines.

Pars 2.[a] *Quatenus cooperata est ad dispensationem et distributionem omnium ac singularum gratiarum.*

Arg. 1) Maria stans sub cruce Domini proclamata est a Christo mater cunctorum viventium, tum praesentium tum futurorum, ut maternis visceribus procuraret salutem omnium. Hoc autem munere nequibat fungi nisi elargiendo gratias.

2) *Ex traditione. S. Bernardus:* «Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam» [4].

S. Albertus M.: «Beata Virgo proprie dicitur porta caeli, quia per ipsam exivit quidquid gratiae unquam creatum vel increatum in hunc mundum venit vel venturum fuit» [5].

3) *Ex documentis Ecclesiae. Leo XIII* ait: «Affirmare licet nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus,... nihil prorsus nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri» [6]. Et a Pio X vocatur Maria «princeps omnium largiendarum gratiarum ministra» [7]. Denique S. R. Congregatio die 12 Januarii 1921 concessit officium ac missam B. M. Virginis Mediatricis gratiarum.

---

[1] Encyclica *Jucunda semper*, 8 Sept. 1894; *Acta S. Sedis*, 27, 178.

[2] Cfr. **S. Thomas,** *III p.*, q. 48, a. 1 sqq.

[3] Ad rem optime **Benedictus XV:** «Ita cum Filio patiente et moriente passa est et pene commortua, sic materna in Filium jura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei justitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat ipsam cum Christo humanum genus redemisse». *Sodalitati nostrae Dominae a Bona morte*, 22 Mart. 1918; *Acta Ap. Sedis*, vol. 10, p. 182.

[4] *Serm. de aquaeductu in nativ. B. M. V.*, n. 7; ML **183,** 441.

[5] *Mariale*, q. 147.

[6] Encyclica *Octobri mense*, 22 Sept. 1891; *Acta S. Sedis*, vol. 24, p. 196.

[7] Encyclica *Ad diem illum*, 2 Febr. 1904; *Acta S. Sedis*, vol. 36, 454.

4) *Ex rationibus theologicis.* a) Beata Virgo Maria, mysterio incarnationis Verbi consentiendo, operi redemptionis active concurrendo, cum Filio suo compatiendo, aliaque opera meritoria exercendo, cooperata est Christo ad acquirendum infinitum thesaurum gratiarum, qui est in acceptatione divina, eo praecise scopo, ut hae gratiae prodessent hominibus. Sed rectus administrator, qui hoc modo cooperatus est ad acquirendum thesaurum ad determinatum finem, de eo semper disponit, ubi occurrit necessitas. Ergo beata Virgo Maria, videns necessitates hominum, dispensat semper viatoribus gratias de thesauro caelesti.

b) Beata Virgo Maria omnes etiam angelos sanctitate longe superat, vehementi caritate Deo conjungitur, homines etiam peccatores diligit, et, cum omnes ad ipsam ut filii ad matrem pertineant, eorum necessitates intime cognoscit. Ergo oportet, ut ipsa maternis visceribus pro omnibus hominibus intercedat, omnesque gratias, quibus viatores indigent, dispenset. «Cum oratio, ait *S. Thomas*, pro aliis facta, ex caritate proveniat, quanto sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris caritatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt; et quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces» [1].

---

[1] *II-II*, q. 83, a. 11.

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

http://www.obrascatolicas.com

INDEX

TRACTATUS I

DE GRATIA DEI

PAG.

Praefatiuncula 7

Sectio I.—De gratia Dei in genere.

QUAESTIO I

DE NOTIONE ET DIVISIONIBUS GRATIAE

ART. I. Quid sit gratia Dei in genere 9
ART. II. De divisionibus gratiae 11
ART. III. Errores circa gratiam Dei 13

Sectio II.—De gratia actuali.

QUAESTIO II

DE NATURA GRATIAE ACTUALIS

ART. UNICUS. Quid et quotuplex sit gratia actualis 17

QUAESTIO III

DE NECESSITATE GRATIAE ACTUALIS AD ACTUS ETHICE BONOS

ART. I. Utrum homo lapsus sine gratia actuali possit cognoscere aliquas veritates naturales 20
ART. II. Utrum homo lapsus possit sine auxilio gratiae efficere aliqua opera ethice bona 21
ART. III. Utrum homo lapsus solis naturae viribus possit diligere Deum super omnia amore naturali, absoluto et efficaci 25
ART. IV. Utrum homo lapsus sine auxilio gratiae Dei possit universam legem naturalem implere 28
ART. V. Utrum homo possit sine gratia vincere graves tentationes contra legem naturalem ingruentes 31

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO IV

DE NECESSITATE GRATIAE AD OPERA SALUTARIA

PAG.

ART. I. Utrum homini lapso sit necessaria gratia Dei ad omnes et singulos actus salutares 33
ART. II. Utrum gratia dispensetur homini omnino gratis 35
§ 1. Utrum homo gratia destitutus et agens viribus naturae possit mereri primam in sua serie gratiam ... 36
§ 2. An homo viribus naturae possit impetrare primam Dei gratiam 37
§ 3. Utrum homo lapsus viribus naturae possit se praeparare ad gratiam 38
ART. III. Utrum facienti, quod est in se, Deus semper conferat gratiam. 41
ART. IV. Quo Dei auxilio indigeat homo justus ad diversa opera facienda. 45
ART. V. Quo auxilio indigeat homo justus ad perseverandum in bono. 48
ART. VI. An homo justus sine gratia speciali posset vitare omnia peccata venialia 52

QUAESTIO V

DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI IN GENERE

ART. I. Utrum gratia Dei actualis convenienter dividatur in sufficientem et efficacem 57
ART. II. De mutuo respectu inter gratiam sufficientem et efficacem ... 60
ART. III. An gratia sufficiens et efficax realiter distinguantur 62

QUAESTIO VI

DE GRATIA ACTUALI SUFFICIENTE

ART. I. Utrum detur gratia solummodo sufficiens gratiae efficaci non conjuncta 63
ART. II. Utrum gratia mere sufficiens sit verum Dei beneficium 65
ART. III. Utrum gratia proxime sufficiens ita dicatur sufficiens, ut voluntas per ipsam elevata sine alio auxilio exeat in actum, vel e contra indigeat validiori auxilio quod eam e statu potentialitatis ad actum salutarem traducat 66
ART. IV. Utrum Deus non solum praeparet sed etiam offerat omnibus hominibus auxilia sufficientia ad salutem 67
ART. V. Utrum Deus conferat omnibus justis gratiam sufficientem, ut vere possint omnia praecepta implere et in accepta justitia perseverare 70
ART. VI. Utrum peccatoribus excaecatis et induratis conferat Deus gratiam saltem remote sufficientem ad salutem 71
ART. VII. Utrum infidelibus negativis concedantur a Deo gratiae saltem remote ad salutem sufficientes 73

QUAESTIO VII

DE GRATIA EFFICACI ET EJUS INFLUXU IN LIBERUM ARBITRIUM

PAG.

ART. I. Utrum detur aliqua Dei gratia efficax 77
ART. II. Utrum gratia Dei efficax tollat omnino libertatem hominis ... 79

QUAESTIO VIII

ERRORES CIRCA INFLUXUM GRATIAE EFFICACIS IN VOLUNTATEM

ART. I. Errores novatorum 84
ART. II. In quo consistat, et utrum admitti possit systema Jansenii ... 85

QUAESTIO IX

CATHOLICORUM SYSTEMATA CIRCA CONCORDIAM GRATIAE EFFICACIS ET LIBERI ARBITRII

ART. I. De systemate Molinae 87
ART. II. De congruismo 92
ART. III. De systemate Sorbonico seu de Syncretismo 96
ART. IV. De systemate Augustinensium 97
ART. V. De systemate Scotistarum 100
ART. VI. De systemate Thomistarum 102

Sectio III.—De gratia habituali.

QUAESTIO X

DE NATURA GRATIAE HABITUALIS

ART. I. Utrum gratia habitualis sit aliquid reale, creatum, intrinsece receptum in anima 119
ART. II. Utrum gratia sanctificans sit qualitas permanens in anima ... 121
ART. III. Utrum gratia santificans sit participatio formalis ac physica naturae divinae sub conceptu naturae 123
ART. IV. Utrum gratia sanctificans distinguatur a caritate 128
ART. V. Utrum gratia sanctificans sit in essentia animae vel in aliqua potentia tanquam in subjecto 129
ART. VI. Quae sit perfectio gratiae sanctificantis 130

QUAESTIO XI

DE CAUSA GRATIAE

ART. I. Utrum solus Deus sit causa efficiens principalis gratiae sanctificantis 132
ART. II. Quomodo producatur gratia sanctificans 134

http://www.obrascatolicas.com

PAG.

ART. III. Utrum ex parte hominis adulti sibi conscii requiratur aliqua praeparatio vel dispositio ad recipiendam gratiam sanctificantem 136
ART. IV. Utrum gratia habitualis sit major in uno quam in alio 138
ART. V. Utrum aliquis possit in via certo scire se habere gratiam sanctificantem 141

QUAESTIO XII

DE EFFECTIBUS FORMALIBUS GRATIAE SANCTIFICANTIS

ART. I. Utrum gratia sanctificans constituat nos formaliter filios Dei adoptivos 145
ART. II. Utrum gratia sanctificans ex natura sua reddat hominem Deo gratum 148
ART. III. De caeteris effectibus gratiae sanctificantis 151

QUAESTIO XIII

DE JUSTIFICATIONE IMPII

ART. I. Quaedam notiones traduntur 153
ART. II. Utrum in justificatione impii peccata mortalia vere remittantur ac deleantur 155
ART. III. De gratia infusa in justificatione 157
§ 1. Utrum in justificatione impii infundatur gratia sanctificans in animam 157
§ 2. Utrum sanctificatio et remissio peccatorum in justificatione impii sint effectus formales gratiae sanctificantis 160
§ 3. Utrum sola gratia habitualis independenter ab omni alio elemento sit causa formalis sanctificationis animae et remissionis peccatorum 161
§ 4. Utrum de potentia Dei absoluta peccatum mortale et gratia sanctificans in eodem subjecto simul coexsistere possint 163
ART. IV. De dispositionibus ad justificationem 165
§ 1. Utrum ad justificationem impii necessario requiratur aliqua dispositio ex parte peccatoris per proprios actus 165
§ 2. An et qualis fides requiratur ad justificationem 166
§ 3. Quibus actibus disponatur impius ad justificationem. 171
§ 4. An contritio et actus caritatis, quibus peccator disponitur proxime ad justificationem, procedant effective a gratia sanctificante 172
§ 5. Utrum actus praeparantes impium ad justificationem sint dispositiones morales vel physicae 176

QUAESTIO XIV

DE MERITO

PAG.

ART. I. Quid sit meritum 179
ART. II. Utrum justi aliquid mereantur apud Deum 180
ART. III. Quid sit meritum de condigno et meritum de congruo 182
ART. IV. Quae conditiones requirantur ad meritum de condigno 186
ART. V. Quomodo referendi sint actus humani in Deum, ut possint esse meritorii de condigno 191
ART. VI. Quae conditiones requirantur ad meritum de congruo 194

QUAESTIO XV

DE OBJECTO MERITI DE CONDIGNO

ART. I. An homo mereri possit primam gratiam sanctificantem ejusque augmentum 195
ART. II. Utrum homo mereatur de condigno primam gloriam, augmentum ejusdem et gloriam accidentalem 200
ART. III. Utrum homo possit mereri de condigno gratias actuales efficaces, reparationem post lapsum, et perseverantiam finalem .. 202
ART. IV. Utrum homo justus possit mereri de condigno bona temporalia. 204

QUAESTIO XVI

DE OBJECTO MERITI DE CONGRUO

ART. I. An et quomodo detur in homine meritum de congruo 205
ART. II. Quid homo mereatur merito congrui 206

QUAESTIO XVII

DE REVIVISCENTIA MERITORUM

ART. I. Utrum merita per peccatum mortificata reviviscant in justificatione hominis 208
ART. II. Quomodo et quo gradu merita mortificata reviviscant in justificatione 209

TRACTATUS II

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

Sectio I.—De fide.

QUAESTIO XVIII

DE NATURA FIDEI

ART. I. Errores circa naturam fidei 215
ART. II. Vera fidei notio 217

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO XIX

DE OBJECTO FORMALI FIDEI

PAG.

ART. I. Traduntur notiones generales 219
ART. II. Quod sit objectum formale fidei 220
ART. III. An motiva credibilitatis, vel propositio Ecclesiae, vel quid aliud spectent ad naturam objecti formalis «quo» fidei divinae .. 223

QUAESTIO XX

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI DIVINAE

ART. I. Utrum omnis veritas a Deo formaliter revelata pertineat ad objectum materiale fidei divinae 227
ART. II. Utrum aliquae propositiones particulares, quae in praemissa universali formaliter revelata continentur, et per applicationem alterius praemissae colliguntur, sint objectum materiale fidei divinae 229
ART. III. Utrum veritates virtualiter a Deo revelatae sint objectum materiale fidei divinae et ab Ecclesia definibiles 230
ART. IV. Utrum veritates a Deo quibusdam personis privatim revelatae pertineant ad objectum materiale fidei divinae 235
ART. V. De objecto materiali fidei divinae quoad nos, seu de fide catholica 238
ART. VI. Utrum objectum materiale fidei catholicae creverit 240
ART. VII. De incremento objecti fidei secundum quid, seu de profectu fidei 243

QUAESTIO XXI

DE ACTU FIDEI DIVINAE

ART. I. In quo consistat actus fidei divinae 250
ART. II. De praeparatione ad actum fidei 253
ART. III. Utrum et quomodo adsensus fidei resolvatur ultimo in auctoritatem Dei revelantis, seu quomodo fiat analysis actus fidei. 256

QUAESTIO XXII

DE CERTITUDINE FIDEI

ART. I. Utrum Deus possit revelare falsum 262
ART. II. Utrum adsensus fidei possit esse falsus 263
ART. III. Utrum fides divina sit certior omni alia certitudine 264
ART. IV. Utrum fides et opinio de eodem objecto possint esse simul in eodem intellectu 266

QUAESTIO XXIII

DE OBSCURITATE FIDEI

PAG.

ART. I. Utrum cognitio fidei sit obscura 268
ART. II. Utrum adsensus obscurus fidei componi possit cum evidentia credibilitatis de eodem objecto et in eodem intellectu 269
ART. III. Utrum adsensus obscurus fidei de veritate revelata sit compatibilis in eodem intellectu cum evidentia in attestante, seu cum evidentia de facto revelationis 270
ART. IV. Utrum de eodem objecto possimus simul habere fidem et scientiam 272

QUAESTIO XXIV

DE LIBERTATE FIDEI

ART. I. Utrum adsensus fidei sit omnino liber libertate exercitii 274
ART. II. Utrum adsensus fidei sit liber quoad specificationem 275

QUAESTIO XXV

DE NECESSITATE FIDEI

ART. I. Utrum fides proprie dicta sit necessaria ad salutem 276
ART. II. Quae sint explicite credenda necessario necessitate medii ad salutem 278
ART. III. Utrum detur praeceptum credendi aliquos articulos fidei 283

QUAESTIO XXVI

DE HABENTIBUS FIDEM

ART. I. In quibus creaturis inveniatur fides divina 284
ART. II. Utrum haereticus, qui pertinaciter negat unum articulum fidei, habeat fidem theologicam circa alias veritates, quas admittit. 286

QUAESTIO XXVII

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS

ART. I. De infidelitate 287
ART. II. De haeresi 289
ART. III. De apostasia 290

QUAESTIO XXVIII

DE MUTUIS FIDEI ET RATIONIS RELATIONIBUS

ART. I. Utrum fides et ratio suos habeant limites 291
ART. II. Utrum sit aliqua dissensio inter fidem et scientiam 292
ART. III. Utrum fides et scientia sibi invicem obstent in rerum cognitione adquirenda 294

http://www.obrascatolicas.com

Sectio II.—De spe.

QUAESTIO XXIX

DE NATURA ET OBJECTO SPEI THEOLOGICAE

PAG.

ART. I. Quid sit spes theologica..... 297
ART. II. Quid sit objectum spei theologicae..... 298

QUAESTIO XXX

DE SUBJECTO SPEI THEOLOGICAE

ART. I. Utrum spes sit in voluntate..... 301
ART. II. In quibus creaturis remaneat spes theologica..... 301

QUAESTIO XXXI

DE VITIIS SPEI THEOLOGICAE OPPOSITIS

ART. I. De desperatione..... 303
ART. II. De praesumptione..... 304

Sectio III.—De caritate.

QUAESTIO XXXII

DE CARITATE SECUNDUM SE

ART. I. Quid sit caritas..... 305
ART. II. Utrum caritas sit vera amicitia inter Deum et homines..... 306

QUAESTIO XXXIII

DE OBJECTO CARITATIS

ART. I. Quodnam sit objectum tum materiale tum formale caritatis.. 308
ART. II. Utrum eadem caritate, qua diligimus Deum, diligamus etiam proximum..... 311

QUAESTIO XXXIV

DE ORDINE CARITATIS

ART. I. Utrum Deus sit super omnia diligendus..... 313
ART. II. Utrum homo magis debeat ex caritate se diligere quam proximum..... 315
ART. III. Qualis sit ordo servandus in diligendis proximis..... 316

QUAESTIO XXXV

DE ACTU ET EFFECTIBUS CARITATIS

PAG.

ART. I. In quo consistat actus caritatis..... 316
ART. II. Qui sint effectus amoris caritatis..... 317
ART. III. Utrum dilectio sit actus caritatis..... 317

QUAESTIO XXXVI

DE AUGMENTO CARITATIS

ART. I. An et quomodo caritas augeri possit..... 318
ART. II. Utrum quolibet actu remisso caritatis mereamur de condigno augmentum ipsius caritatis..... 321
ART. III. Quando physice conferatur animae augmentum caritatis actibus remissis promeritum..... 324

QUAESTIO XXXVII

DE DIMINUTIONE ET AMISSIONE CARITATIS

ART. I. Utrum habitus caritatis diminuatur..... 325
ART. II. Utrum quodlibet peccatum mortale expellat caritatem..... 326

QUAESTIO XXXVIII

DE PERFECTIONE CARITATIS

ART. I. Utrum caritas sit praestantior quam aliae virtutes..... 327
ART. II. Quomodo caritas sit forma aliarum virtutum..... 329

TRACTATUS III

DE VERBO INCARNATO

Sectio I.—De Christologia seu de Verbi Incarnatione in se considerata.

QUAESTIO XXXIX

DE NOTIONE, POSSIBILITATE, CONVENIENTIA, NECESSITATE ET EXSISTENTIA INCARNATIONIS VERBI

ART. I. Notio incarnationis Verbi..... 333
ART. II. Utrum incarnatio Verbi sit possibilis..... 335
ART. III. Utrum conveniens fuerit Verbum incarnari..... 336
ART. IV. Utrum incarnatio Verbi fuerit necessaria..... 339
ART. V. Utrum de facto Verbum Dei incarnatum fuerit..... 344
ART. VI. De motivo incarnationis Verbi Dei..... 346

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO XL

DE NATURA SEU QUIDDITATE INCARNATIONIS VERBI

PAG.

ART. I. Utrum unio Verbi cum humanitate facta fuerit in natura, adeo ut in Christo fuerit unica natura 350
ART. II. Utrum unio Verbi cum humanitate facta fuerit in persona, adeo ut in Christo sit una tantum persona 353
ART. III. Utrum Christus sit verus Deus 356
ART. IV. Utrum persona Christi sit composita 360
ART. V. Utrum Verbum Divinum in incarnatione aliquam mutationem subierit 362
ART. VI. De proprietatibus unionis Verbi cum humana natura 364
ART. VII. De principio effectivo incarnationis 369
ART. VIII. De causa meritoria incarnationis 370

QUAESTIO XLI

DE PERSONA ADSUMENTE

ART. I. Utrum sit proprium personae divinae adsumere naturam alienam 373
ART. II. Utrum convenienter solus Filius humanam naturam adsumpserit 375
ART. III. Quae sit ratio formalis, qua Verbum immediate terminat humanam naturam in Christo 376
ART. IV. Utrum Verbum communicet humanitati Christi exsistentiam increatam 377
ART. V. Utrum Deus ratione subsistentiae absolutae possit adsumere naturam humanam 380
ART. VI. Breves quaestiones de persona adsumente 381

QUAESTIO XLII

DE NATURA ADSUMPTIBILI A VERBO

ART. I. Utrum persona creata potuerit adsumi a Verbo 384
ART. II. Utrum natura creata propriam personalitatem habens possit, retenta subsistentia, adsumi ad subsistentiam divinam ... 384
ART. III. Utrum quaelibet natura substantialis completa potuerit adsumi a Verbo 385
ART. IV. Utrum et qualis natura substantialis incompleta possit a Verbo adsumi 387

QUAESTIO XLIII

DE NATURA ADSUMPTA A VERBO DEI

ART. I. Utrum Verbum Dei adsumpserit verum corpus humanum et animam rationalem 389
ART. II. De adsumptione partium 392

QUAESTIO XLIV

DE ORDINE ADSUMPTIONIS

PAG.

ART. UNICUS. An Verbum prius adsumpserit partes humanae naturae, quam totam naturam 395

QUAESTIO XLV

DE GRATIA CHRISTI HOMINIS

ART. I. Utrum anima Christi sanctificata fuerit formaliter per gratiam substantialem unionis 398
ART. II. Utrum Christus habuerit gratiam habitualem 400
ART. III. De perfectione gratiae habitualis Christi 404
§ 1. Utrum Christus habuerit plenitudinem gratiae 404
§ 2. Utrum gratia habitualis Christi fuerit infinita 406
§ 3. Utrum gratia habitualis Christi potuerit augeri 407
ART. IV. Utrum Christus habuerit omnes virtutes 409
ART. V. Utrum in Christo fuerint dona Spiritus Sancti 410
ART. VI. Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae 412

QUAESTIO XLVI

DE GRATIA CHRISTI, UT EST CAPUT ECCLESIAE

ART. I. Utrum Christus sit caput Ecclesiae 413
ART. II. Quae fuerit in Christo ratio formalis capitis Ecclesiae 414
ART. III. Utrum Christus sit omnium creaturarum intellectualium caput. 415

QUAESTIO XLVII

DE SCIENTIA HUMANA CHRISTI

ART. I. An Christus quatenus homo habuerit aliquam scientiam creatam. 417
ART. II. Quotuplex fuerit scientia humana Christi 420

QUAESTIO XLVIII

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI

ART. I. Quod fuerit objectum scientiae beatae animae Christi 424
ART. II. Utrum Christus per scientiam beatam viderit creaturas simul in Verbo 426

QUAESTIO XLIX

DE SCIENTIA INFUSA ANIMAE CHRISTI

ART. I. Quid cognoverit anima Christi per scientiam infusam 427
ART. II. Quomodo usus fuerit Christus scientia infusa 430
ART. III. Utrum scientia infusa Christi fuerit perfecta 432

http://www.obrascatolicas.com

QUAESTIO L

DE SCIENTIA ACQUISITA ANIMAE CHRISTI

PAG.

ART. I. Quae cognoverit Christus per scientiam acquisitam 434
ART. II. Discutiuntur variae quaestiones circa scientiam acquisitam Christi 435

QUAESTIO LI

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI

ART. I. Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter 437
ART. II. Quae opera potuerit Christus ut homo seu per humanitatem efficere 437
ART. III. Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis 442

QUAESTIO LII

DE DEFECTIBUS CORPORIS A FILIO DEI ADSUMPTIS

ART. UNICUS. An et quos defectus corporis adsumpserit Filius Dei in incarnatione 443

QUAESTIO LIII

DE DEFECTIBUS ANIMAE CHRISTI

ART. I. Utrum Christus habuerit aliquod peccatum 446
ART. II. Utrum Christus homo, praescindendo a gratia sanctificante et visione beatifica, fuerit impeccabilis 447
ART. III. Utrum fuerit vel esse potuerit fomes peccati in Christo 450
ART. IV. Utrum Christus commiserit vel committere potuerit defectus ob transgressionem consiliorum 451
ART. V. Utrum in Christo fuerit vel esse potuerit error aut ignorantia. 452
ART. VI. An et quales passiones habuerit Christus 453

QUAESTIO LIV

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM

ART. UNICUS. Utrum in Christo admittenda sit communicatio idiomatum. 454

QUAESTIO LV

DE UNITATE CHRISTI QUANTUM AD ESSE

ART. UNICUS. Utrum Christus sit unum vel duo 458

QUAESTIO LVI

DE DUPLICI VOLUNTATE ET OPERATIONE CHRISTI

PAG.

ART. I. Utrum sint duae voluntates in Christo 460
ART. II. Utrum Christus habuerit liberum arbitrium 463
ART. III. Quomodo concilietur humana Christi libertas cum ejus impeccabilitate 465

QUAESTIO LVII

DE CHRISTO UT EST FILIUS DEI, SEU DE FILIATIONE CHRISTI

ART. I. Utrum Deus aliquem adoptet in Filium 468
ART. II. Utrum Christus in quantum homo sit filius Dei naturalis tantum, vel aliquo modo dici possit filius Dei adoptivus 469

QUAESTIO LVIII

DE SERVITUTE CHRISTI

ART. UNICUS. Utrum Christus ut homo fuerit servus Dei 473

QUAESTIO LIX

DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI

ART. I. Utrum Christus praedestinatus fuerit 475
ART. II. Quis fuerit terminus primarius ad quem praedestinatus est Christus ut homo 475
ART. III. Utrum et quomodo praedestinatio Christi fuerit causa nostrae praedestinationis 478

QUAESTIO LX

DE ADORATIONE CHRISTI AC VENERATIONE SANCTORUM ATQUE SACRARUM IMAGINUM

ART. I. Traduntur notiones praeviae 479
ART. II. Quo cultu adorandus sit Christus homo 481
ART. III. Quo cultu adorandus sit Christus in Eucharistia 485
ART. IV. In quo consistat cultus sacratissimi Cordis Jesu, et an legitimus sit et utilis in Ecclesia 486
ART. V. Utrum et quo cultu colendi sint sancti 491
ART. VI. Quo cultu colenda sit Beata Virgo Maria 493
ART. VII. De cultu sacrarum imaginum 495
§ 1. An usus sacrarum imaginum sit licitus in Ecclesia. 495
§ 2. Utrum deceat imagines Christi et sanctorum colere. 497
§ 3. Utrum imagines Dei et angelorum depingi et coli possint 498
§ 4. Quo cultu venerandae sint sacrae imagines 499
ART. VIII. An et quo cultu adoranda sit crux Christi 503

http://www.obrascatolicas.com

Sectio II.—Soteriologia seu de opere redemptionis.

QUAESTIO LXI

DE IPSO REDEMPTORE SEU DE CHARACTERE REDEMPTORIS

PAG.

ART. I. Notiones praeviae traduntur..... 507
ART. II. Utrum Christus fuerit mediator Dei et hominum..... 507

QUAESTIO LXII

DE TRIPLICI CHRISTI MUNERE, SACERDOTIS SCILICET, PROPHETAE ET REGIS

ART. I. Utrum Christus fuerit vere sacerdos..... 509
ART. II. De Christo Rege..... 512
§ 1. Utrum Christus fuerit rex totius mundi..... 512
§ 2. Quo titulo fuerit Christus rex totius mundi..... 514
§ 3. An et quomodo Christus exercuerit jus regium..... 515
ART. III. Utrum Christus fuerit vere propheta..... 517

QUAESTIO LXIII

DE SACRIFICIO CHRISTI

ART. I. Utrum Christus verum sacrificium obtulerit in cruce..... 520
ART. II. Ubinam consummatum fuerit sacrificium Christi..... 522

QUAESTIO LXIV

DE MERITO CHRISTI

ART. I. An, quando et quibus actibus Christus meruerit..... 523
ART. II. Quaenam Christus sibi meruerit..... 527
ART. III. Quid meruerit Christus angelis et hominibus..... 529

QUAESTIO LXV

DE SATISFACTIONE CHRISTI

ART. I. Utrum Christus vere et proprie pro nobis satisfecerit..... 533
ART. II. Utrum satisfactio Christi fuerit condigna, superabundans, infinita ac universalis ex valore intrinseco operum Christi vel ex gratiosa et extrinseca acceptatione Dei..... 537
ART. III. Utrum satisfactio Christi pro nobis fuerit secundum rigorem justitiae et ad apices juris..... 539
ART. IV. Utrum satisfactio Christi fuerit actus justitiae commutativae. 543

QUAESTIO LXVI

DE REDEMPTIONE CHRISTI

ART. I. Quid sit redemptio proprie dicta..... 545
ART. II. Utrum Christus redemerit nos a potestate diaboli..... 545

QUAESTIO LXVII

DE ORTU ET VITA CHRISTI IN HOC MUNDO

PAG.

ART. I. Notiones praeviae..... 547
ART. II. De nativitate Christi..... 548
ART. III. De manifestatione Christi..... 548
ART. IV. De fuga in Aegyptum..... 549
ART. V. De vita abscondita Christi..... 550
ART. VI. De vita publica Christi..... 551

QUAESTIO LXVIII

DE PASSIONE CHRISTI

ART. I. Utrum necessarium vel saltem conveniens fuerit Christum pro nobis pati..... 552
ART. II. Quid passus fuerit Christus..... 553

QUAESTIO LXIX

DE MORTE CHRISTI

ART. I. Utrum Christus vere mortuus fuerit..... 555
ART. II. Quo motivo mortuus fuerit Christus..... 556
ART. III. Utrum Christus mortuus fuerit pro omnibus hominibus..... 557
ART. IV. Quando mortuus fuerit Christus..... 558

QUAESTIO LXX

DE EXALTATIONE CHRISTI

ART. I. Utrum Christus post mortem secundum animam descenderit ad inferos..... 560
ART. II. De resurrectione corporali Christi..... 561
ART. III. De ascensione Christi..... 563
ART. IV. De sessione Christi ad dexteram Patris..... 563

Sectio III.—Mariologia.

QUAESTIO LXXI

DE CONCEPTIONE IMMACULATA BEATAE MARIAE VIRGINIS

ART. I. Traduntur notiones praeviae..... 567
ART. II. Quid intelligatur per Conceptionem Immaculatam..... 569
ART. III. Errores circa Immaculatam Conceptionem Beatae Mariae Virginis..... 570
ART. IV. Quid tandem doceat dogma catholicum in hac materia..... 571
ART. V. Quod debitum habuerit Beata Virgo Maria contrahendi peccatum originale..... 575

http://www.obrascatolicas.com

PAG.

ART. VI. Utrum S. Thomas admiserit doctrinam de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis..... 577
ART. VII. Utrum fomes peccati exstinctus fuerit in Virgine Maria 582
ART. VIII. De festo Immaculatae Conceptionis..... 583

QUAESTIO LXXII

DE SANCTITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS

ART. I. Quam gratiam habuerit Beata Virgo Maria in primo instanti suae conceptionis..... 585
ART. II. Utrum Beata Virgo Maria confirmata fuerit in gratia in prima sua sanctificatione 587
ART. III. Utrum gratia sanctificans Beatae Mariae Virginis creverit durante ejus vita..... 594
ART. IV. Quibus operibus Maria in gratia profecerit..... 596
ART. V. Quo progressu creverit gratia sanctificans Beatae Mariae Virginis..... 598
ART. VI. Quam scientiam habuerit Beata Virgo Maria..... 599

QUAESTIO LXXIII

DE VIRGINITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS

ART. UNICUS. An deipara semper fuerit Virgo..... 600

QUAESTIO LXXIV

DE MATERNITATE DIVINA BEATAE MARIAE VIRGINIS

ART. I. Utrum Beata Virgo Maria fuerit Mater Dei..... 608
ART. II. In quo consistat maternitas divina Beatae Mariae Virginis.. 610
ART. III. Qualis fuerit in Maria excellentia maternitatis divinae..... 612

QUAESTIO LXXV

DE ADSUMPTIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS IN CAELUM

ART. UNICUS. An beata Virgo Maria adsumpta fuerit in caelum secundum corpus..... 615

QUAESTIO LXXVI

DE OFFICIIS BEATAE MARIAE VIRGINIS ERGA HOMINES

ART. I. Utrum Beata Virgo Maria sit vere hominum mater..... 618
ART. II. Utrum Beata Virgo Maria sit Mediatrix universalis inter Deum et homines..... 619

INDEX ALPHABETICUS HUJUS VOLUMINIS

Referuntur numeri marginalis.

A

Actio, qua effecta est incarnatio Verbi fuit toti Trinitati communis 621.
Actus ethice boni et **supernaturales** 20, 48; actus supernaturales, quibus imperfecte disponitur peccator ad justificationem, procedunt a gratia actuali praeveniente et excitante 286.
Actus externus fidei 473; de praecepto divino et ecclesiastico 473.
Actus fidei divinae est 408; elicitur ab intellectu ex imperio voluntatis motae per gratiam Dei 410, 450; praeparatio ad actum fidei 414; ex parte intellectus 415; ex parte voluntatis 416; est omnino simplex 421; an possit esse cum actu opinionis de eodem objecto in eodem intellectu 435; habitus cum habitu 436; habitus cum actu et viceversa 437; actus fidei et scientiae nequeunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto 448; neque habitus fidei et habitus scientiae 449; bene tamen habitus fidei cum actu scientiae et viceversa 451.
Actus salutares 48; ad omnes et singulos actus salutares est nobis simpliciter necessaria gratia Dei 50.
Actuum humanorum relatio in Deum potest esse *actualis, virtualis* et *habitualis* 311; referendi sunt in Deum saltem virtualiter 312; quomodo 312; omnes actus honesti hominis justi sunt meritorii vitae aeternae de condigno 313.
Adoptio 231, 792; Deus plures homines adoptat in filios 793; adoptio divina est communis toti Trinitati 794.
Adoratio, etymon 816; definitio 816; divisio 816; *interna* et *externa; civilis* et *religiosa, latria* et *dulia; absoluta* et *relativa* 816; signa adorationis 816; in quo distinguitur a cultu 816.
Adsensus fidei nequit esse falsus 429; est omnino certus 431; an certior quam notitiae naturales ac supernaturales et omnes cognitiones naturales 432; est essentialiter obscurus 440; semper est liber quoad exercitium 454; probabilius etiam quoad specificationem 457; adsensus formalis et explicitus fidei est omnibus adultis necessarius necessitate medii ad salutem 463; non sufficit votum seu propositum credendi 464.
Adsumere 628, 646; adsumptio 628; quis possit adsumere naturam alienam 631, 632; solus Filius adsumpsit naturam humanam 633; et quidem convenienter 635; Verbum Dei immediate terminavit naturam humanam per subsistentiam relativam 638; ratione subsistentiae absolutae potest Deus adsumere naturam humanam 644; quaelibet Dei persona potest adsumere naturam humanam 645; una persona plures naturas 645; plures personae unam numero naturam 645; adsumptibiles naturae 647 sqq.; adsumptibiles naturae incompletae 656 sqq.
Adsumptio beatae Mariae Virginis 1016; Maria adsumpta est in caelum secundum corpus 1016; libri apochryphi de hoc 1017.
Aequalitas arithmetica et geometrica seu proportionis 304; in esse entis et in esse praemii 304.
Altruismus, nulla facta relatione ad Deum, non est caritas 530.
Amicitia 242; naturalis et supernaturalis 243; Deum et homines justos conjungit 245; ut habitus et ut actus 518; conditiones ad veram amicitiam 518; amicorum bona sunt communia 518; bona triplicis generis 518; inter aequales 521.
Amor, quo Christus diligebat Deum, quomodo necessarius et quomodo liber 791.
Amor seu **actus caritatis** 540; non est amor concupiscentiae, nec simplex benevolentia, sed addit unionem amantis ad amatum 540; effectus amoris caritatis 541.
Amor Dei et actus contritionis non sunt nec possunt esse causae formales justificationis 267; sunt meritorii de condigno gloriae 290; sunt dispositio-

http://www.obrascatolicas.com

nes physicae ad gratiam sanctificantem 293.
Amor naturalis 24; absolutus seu *efficax, conditionatus* seu *inefficax;* efficax affective et effective 34.
Anima Christi sanctificata fuit formaliter per gratiam substantialem 673; quod sit principium *quo* hujus sanctificationis 674; anima Christi habuit gratiam habitualem 676; fuit causa, principales et physica, effectuum, qui sunt animae convenientes 735; habuit potentiam faciendi ea quae voluit implere per se 741; non vero potentiam faciendi, quae erant complenda per alium 741.
Apollinaris laodicensis circa animam Christi 572.
Apostasia 491; a fide, ab ordine et ab ordine sacro 491; est peccatum grave 491.
Ariminensis negat hominem sine speciali Dei auxilio facere actum moraliter bonum 27.
Ascensio Christi 959.
Auctoritas Dei *in jubendo* et *in dicendo* seu testificando 359; auctoritas Dei revelantis sine propositione Ecclesiae est objectum formale *quo* fidei pro iis, qui immediate a Deo acceperunt revelationem 365; pro aliis est auctoritas Dei revelantis cum propositione Ecclesiae ut conditione sine qua non 366, 422.
Augmentum est species alterationis 545; sola qualitas, quae specificatur ab extrinseco, augeri potest 545; et quidem dupliciter, *extensive* et *intensive* 545; caritas viae augeri potest in infinitum syncategorematice 548; non extensive 550; sed intensive per majorem sui ipsius radicationem in subjecto 551; causa efficiens augmenti caritatis est Deus 552; per modum dispositionis etiam homo 552; homo meretur de condigno augmentum caritatis 552; quolibet actu etiam remisso meretur homo augmentum caritatis 554; quando conferatur augmentum caritatis operibus remissis debitum 558.
Augmentum fidei, vide incrementum.
Augmentum gratiae intensivum et **extensivum** 988; in beata Virgine ex opere operantis et ex opere operato 991.
Augmentum gratiae meretur saepe a justis 320; quid de actibus remissioribus 321; quando conferatur justis augmentum gratiae 322; nemo potest aliis mereri de condigno augmentum gratiae 323.
Augustinenses circa gratiam efficacem 155; quomodo explicent distinctionem gratiae sufficientis et efficacis 155; non videntur recte explicare efficaciam gratiae Dei 156.
Auxilium Dei triplex, *naturale, generale gratiae,* et *speciale gratiae* 70; auxilium supernaturale remote et proxime sufficiens 110; oblatum et collatum 110; proxime vel remote applicabile 110; praeparantur et offeruntur a Deo omnibus auxilia proxime vel remote sufficientia ad salutem 114; etiam pueris in utero materno vel inter infideles morientibus 115.

B

Bachonus (Joannes) exposuit systema thomistarum 160 in nota.
Bajanismus 12.

C

Caput primatum habet inter omnia corporis membra 697.
Caritas 517; ut habitus et ut actus 517, 518; recipitur in voluntate 517; est virtus specialis 517; est amicitia inter Deum et homines 520; caritatis objectum materiale primarium est Deus, 523; secundarium creaturae rationales capaces beatitudinis 523 sq.; objectum formale *quod* caritatis est ipse Deus secundum bonum absolutum 525; objectum formale *quo* caritatis est bonitas divina increata in se cognita per fidem 526; quatenus complectitur essentiam, attributa ac personas Dei 527; eadem caritate diligimus Deum propter se et proximum propter Deum 529; caritas erga proximum est vera amicitia 531; etiam caritas erga inimicos est amicitia 531; augmentum caritatis 554 sqq.; diminutio ejusdem 561; caritas amittitur per quodlibet peccatum mortale 563; est perfectior fide tum in esse moris tum in esse entis 566; caritas est forma omnium virtutum et quomodo 568.
Causa 202; *materialis, formalis, efficiens* et *finalis* 202; causa efficiens physica principalis gratiae sanctificantis est solus Deus 203; causa instrumentalis physica ejusdem sunt humanitas Christi et sacramenta Ecclesiae 204.
Certitudo quid sit 430; potest esse *objectiva* vel *subjectiva* 222, 430; objectiva 222; subjectiva 222; triplici via acquiri potest 222; *objectiva, subjectiva* et *formalis* 430.
Christus habuit duas naturas, divinam et humanam 596; et unam personam divinam 599; fuit verus Deus 603; habuit gratiam habitualem 676; et plenitudinem gratiae 681; omnes virtutes theologicas et morales praeter fidem, spem et poenitentiam 689; probabilius accepit virtutes morales per infusionem 690; habuit omnia dona Spiritus Sancti 692; quomodo his usus fuerit 692; Christus est caput Ecclesiae 698; et quidem solus 698; ratione gratiae habitualis connotantis gratiam unionis 701; est caput angelorum 703; et hominum non damnatorum 704; non daemonum nec damnatorum 705; quatenus Deus habuit scientiam infinitam 701; quatenus homo a principio suae conceptionis habuit scientiam humanam ab omni errore immunem 708; habuit scientiam beatam 712; infusam 714; et acquisitam 715; per scientiam beatam a primo instanti suae conceptionis videbat Deum longe perfectius quam angeli et beati 717; et in Verbo omnes creaturas praesentes, praeteritas et futuras 718; non omnes possibiles 719; per scientiam beatam videbat omnes creaturas simul in Verbo 722; per scientiam infusam cognovit omnia naturalia, imo et cogitationes cordium et futura contingentia 723; per eam cognovit et comprehendit omnia entia supernaturalia, ut gratiam, fidem et caritatem 723; et Deum ac mysterium Trinitatis *quoad an est,* non *quoad quid est* 723; non tamen omnia possibilia 723; potuit uti hac scientia cum vel sine conversione ad phantasmata, cum vel sine discursu, non tamen futura intuitive 724; per scientiam acquisitam cognovit omnia objecta, quae in praesenti providentia per lumen intellectus agentis sunt cognoscibilia 726; quomodo eam acquisiverit 727 sqq.; Christus fuit omnipotens 731; fuit absolute impeccabilis 754; ne venialiter quidem potuit peccare 755; non habuit nec habere potuit fomitem peccati 759, 760; habuit duplicem naturam et proprietates utriusque 769; Christus non potest dici divinitas et humanitas simul sumpta 772; est unus et unum tam in genere masculino quam in neutro 774; accepit a Patre praeceptum subeundi mortem 789; nihilominus libere mortuus est 790, 791; est filius Dei naturalis non adoptivus 797, 798; non potest dici filius naturalis SS. Trinitatis 800; Christus ut homo bene dicitur filius naturalis B. M. Virginis 800; fuit ab aeterno praedestinatus 807; ut esset filius Dei naturalis 810, 812; Christus ut Deus adorandus est cultu latriae 817; in eucharistia adorandus est latria 824; vere aliquid meruit de condigno 890; a primo instanti suae conceptionis usque ad extremum vitae, non in morte 891; omnibus actibus suae voluntatis 893; et omnibus actibus suarum potentiarum 894; non meruit primam gratiam, dona eam consequentia et gloriam essentialem 898; meruit gloriam accidentalem animae, gloriam corporis, etc., 899; non meruit angelis primam gratiam essentialem 901; bene tamen praemium accidentale 902; non meruit Adamo justitiam originalem et dona supernaturalia ipsam concomitantia ante peccatum 903; meruit praedestinationem hominum 904; meruit hominibus post lapsum omnes dispositiones, gratiam sanctificantem, etc., 905; pro nobis condigne satisfecit 908; solvit debitum culpae et poenae 909; satisfecit pro peccatis Patrum V. Testamenti 910.
Christus homo consideratur *complexive, specificative* et *reduplicative* 817; *complexive* colendus est una adoratione latriae 819; *specificative* colendus est adoratione latriae 820; *reduplicative ut homo* non est colendus adoratione latriae 821; Christus ut homo est mediator Dei et hominum 862; et quidem simpliciter 864; alii sunt mediatores secundum quid 864; fuit vere sacerdos 867; secundum humanam naturam fuit sacerdos 868; vere fuit rex quad spiritualia et temporalia universae terrae 871; titulo unionis hypostaticae 874; et acquisitionis 875; plenissime exercuit potestatem regiam in actu secundo quoad spiritualia 877; non exercuit in actu secundo quoad temporalia 878; fuit praestantissimus propheta 880; quomodo cognitionem propheticam cum visione beatifica conciliaverit 881; obtulit in cruce verum sacrificium 885; et quidem *latreuticum, eucharisticum, impetratorium* et *propitiatorium* 886; consummatum est in cruce 888.
Communicatio idiomatum 760; admittenda est in Christo 770; regulae pro usu communicationis idiomatum in Christo 771.
Compositio et compositum 602.
Conceptio Mariae Virginis 963; activa et passiva 963; passiva potest esse inchoata et completa 963; in conceptione considerandum est esse naturae et esse gratiae 963; natura mysterii immacu-

http://www.obrascatolicas.com

latae conceptionis 963; errores circa hoc mysterium 964.
Conclusiones theologicae pertinent ad objectum materiale fidei 382.
Confirmatio in gratia 80; distinguitur distinctione essentiali modali a perseverantia 80.
Congruismus 151; fundatur in scientia media 151; duplicem admittit gratiam, unam *congruam* et alteram *incongruam* 151; parum differt a Molinismo 151; tria docet circa efficaciam gratiae 151; videtur rejiciendus 152.
Contritio et actus caritatis sunt supernaturales 284.
Cor Jesu est objectum adorationis 825; ejus cultus 825; historia 825; definitio 825; objectum materiale et formale 825; ejus cultus est legitimus et commendandus 828; ejus emblemata 829.
Corpus Christi habuit defectus corporales communes 745; defectus particulares provenientes ex causis particularibus non habuit Christus 748.
Creatio 206.
Credenda praecepto divino et ecclesiastico 471, 472.
Credere explicite quid sit 465; necessarium semper fuit necessitate medii ad salutem credere Deum exsistere et bonorum operum remuneratorem esse 466; et quidem Deum esse auctorem et remuneratorem supernaturalem 467.
Crux 856; crux Christi *authentica*, et ex aliqua materia confecta, et in aere etc., signata 856; crux sancta, sive authentica fuerit sive ex alia materia confecta, adoranda est latria relativa 858; utiliter fideles signo crucis se signant 859.
Cultus 833; *latria*, *dulia* et *urbanitas* 833; *Hyperdulia* 838, 839.

D

Debitum contrahendi peccatum originale 966; remotum et proximum 966; Virgo Maria habuit debitum proximum 968.
Defectus animae 749.
Defectus corporales 743; alii *communes* alii *particulares* 743; communes fuerunt in Christo 745; eos non contraxit Christus sed voluntarie adsumpsit 747; fuerunt voluntarii respectu voluntatis divinae et respectu voluntatis humanae 747; erant involuntarii *secundum quid* et quomodo 747; defectus corporales provenientes ex causis particularibus non adsumpsit Christus 748.
Defectus moralis seu violatio consiliorum 761; non fuit nec esse potuit in Christo 763.
Delectatio victrix Jansenii 143; delectatio victrix Augustinensium 155; non semper movetur homo majori delectatione in operibus salutaribus efficiendis 156; verba S. Augustini 157.
Desperatio 515; est actus voluntatis 515; potest esse sine infidelitate 515; est ex genere suo peccatum mortale 515; oritur principaliter ex acedia et potest oriri ex luxuria 515.
Dilectio est actus voluntatis gratia et caritate informatae 544.
Diligere Deum super omnia 34.
Diminutio caritatis non fit directe sed indirecte 561.
Docetae erraverunt circa humanitatem Christi 572, 659.
Divinitas Christi 601 sqq.; errores, 602.
Doctrina fidei continetur tanquam in principio universali et remoto in textu Apostoli: *Credere enim oportet*, etc., 381; tanquam in principio proximiori continetur in symbolo 381.
Dogma 390; dogmata sunt veritates absolutae, nunquam transformandae et evolvendae 400.
Dona Spiritus Sancti 691; sunt septem 691; fuerunt omnia in Christo 692.
Donum naturale et supernaturale 6; dona naturalia aliquando vocantur gratia 6.
Dubius in fide est haereticus 488.

E

Ecclesia Catholica est unica regula, qua nobis veritates revelatae innotescunt 367.
Elevatus est homo ad ordinem supernaturalem 4.
Error 764; speculativus vel practicus, culpabilis vel inculpabilis 764; non fuit in Christo nec esse potuit 766.
Euthyches circa naturam humanam Christi 572; unam naturam posuit in Christo 595.
Euthychiani et communicatio idiomatum 769.
Evidentia credibilitatis 441; differt ab evidentia sive attestantis, sive revelationis, sive sensus verborum revelationis, sive objecti revelati 441; praecedit actum fidei 441; nullatenus obstat obscuritati fidei 442.
Evidentia in attestante 444; potest compati cum adsensu fidei in eodem intellectu circa veritatem revelatam 446.
Excaecatio 119; excaecati 119.
Exsistentia 639; advenit naturae post subsistentiam 639; fuit in Christo una eaque divina exsistentia substantialis 641.
Exsistentia divina in Christo 641.

F

Facienti, quod est in se Deus non denegat gratiam 64; errores 65; placita theologorum 66; intelligendum est de faciente quod est in se viribus gratiae 67, 68.
Falsitas 425.
Falsum a Deo revelari nequit 426; nec miraculis confirmari 427.
Festum immaculatae Conceptionis 976.
Fidei subjectum 474 sq.
Fides, acceptiones 353; notio 353, 459; differt ab opinione et a scientia 353; humana et divina 353; fides divina ut actus et habitus 353; definitio 353; fides divina *formata* seu *viva* et *informis* seu *mortua* 353; *explicita* et *implicita* 353; fides explicita in Deum auctorem et remuneratorem fuit semper necessaria necessitate medii ad salutem 466; et quidem in Deum ut auctorem et remuneratorem supernaturalem 467; ante promulgationem Evangelii requirebatur et sufficiebat fides implicita in Christum Redemptorem et Trinitatem personarum 468; in lege gratiae non constat fidem explicitam Incarnationis Verbi et Trinitatis personarum esse necessariam necessitate medii ad salutem 469; fides non adversatur rationi 494; nec scientiae 498, 502; doctrina praedicatorum non est confundenda cum fide 499.
Fides ecclesiastica 407; non datur 407.
Fides habitualis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem 461.
Fides Novatorum, historica, miraculorum et promissionum 350.
Fides promissionum non est vera fides, nec justificat impium in sensu Novatorum 277; non sufficit ad salutem 462.
Fides theologica, quae est vera fides, est necessaria ad justificationem 278; de quibus mysteriis est necessaria haec fides 279; sola fides non justificat impium 280.
Filiatio naturalis et adoptiva 792; nemo potest esse simul filius naturalis et adoptivus 792.
Fomes peccati 757, 972, *in actu primo* et *in actu secundo* 757; nullo pacto fuit in Christo 759; fomes *exstinctus*, *ligatus*, *solutus* 972; exstinctus fuit in beata V. Maria a primo instanti suae conceptionis 974; mens S. Thomae 975.
Fuga in Aegyptum 934.

G

Gaudium et tristitia conciliabantur in Christo 713, 942.
Generatio 206.
Gratia 5; definitio 7; potest esse *increata* et *creata*; *gratia Dei* et *gratia Christi*; *gratum faciens* et *gratis data*; gratiae gratis datae sunt novem; *actualis* et *habitualis* 8; errores circa gratiam per defectum 10; per excessum 11.
Gratia actualis, ejus natura juxta aliquos; juxta S. Thomam et thomistas 107 dividitur in *operantem* et *cooperantem*; in *excitantem* et *adjuvantem*, in *praevenientem*, *concomitantem* et *subsequentem*, in *internam* et *externam*; in *sufficientem* et *efficacem* 18, 90; omnes facile reducuntur ad operantem et cooperantem 19; est necessaria ad resurgendum a peccato 51; ad credendum mysteria fidei, sicut oportet ad salutem 52; gratia Dei actualis dividitur in sufficientem et efficacem 92; realiter distinguuntur 99, 160.
Gratia capitis in Christo 701.
Gratia Christi 670; duplex, una substantialis et altera accidentalis 670; gratia accidentalis potest esse habitualis et capitalis 670.
Gratia efficax 131; nobis confertur a Deo ad singulos actus supernaturales 133; nunquam tollit liberum arbitrium 136, 171; praevenit, sanat, praeparat et applicat voluntatem hominis liberam ad actus salutares 137; molinistae non recte explicant efficaciam gratiae 149; gratia entitative indifferens Congruistarum non dicitur in actu primo efficax ex eo, quod congruat subjecto, etc., 152; nec eorum systema recte explicat efficaciam gratiae 152; efficacia gratiae non provenit ex decreto Dei condeterminante scotistarum 159; gratia Dei efficax ita movet voluntatem, ut voluntas sic a Deo mota libere velit id, ad quod movetur 160; est ab intrinseco efficax 160; non moraliter suadendo, sed physice movet voluntatem 160; entitative et physice differt a gratia sufficienti 99, 160; potest vocari quaedam praemotio physica 160; efficaciam a solo Deo habet, et virtute sua praevie et physice, non moraliter, ita movet voluntatem, ut infallibiliter producat ejus consensum 161; est aliquid reale supernaturale per modum motus et impressionis transeuntis a Deo in potentias animae prius natura causatum, quam operatio potentiarum exerceatur 169.

http://www.obrascatolicas.com

Gratia habitualis et sanctificans seu gratum faciens 174; est aliquid reale, creatum et intrinsece receptum in anima 177; non est substantia sed forma accidentalis 179; est qualitas physica permanens 180; pertinet ad primam speciem qualitatis, quae est habitus 181; est participatio formalis ac physica naturae divinae 188; quomodo participat divinam naturam 189; constituit nos filios Dei adoptivos 191; realiter distinguitur a caritate 194; inhaeret essentiae animae tanquam subjecto 198; est qualitas excellentissima 199; perfectior aliis qualitatibus 200; non est simpliciter perfectior unione hypostatica 201; non creatur neque concreatur, sed educitur a Deo de potentia obedientiali animae 208; est aequalis in omnibus ex parte objecti seu finis, non ex parte subjecti 217, 218; quomodo augeatur 221; per revelationem potest homo cognoscere se esse in gratia 225; non citra revelationem 226, 227; qua certitudine morali possit homo scire se esse in gratia 228, 229; effectus gratiae sanctificantis 231; gratia sanctificans facit nos filios Dei adoptivos 234; et quidem formaliter 235; Deoque gratos 238; et vitae aeternae dignos 239; reddit hominem justum et sanctum 246; animam mira pulchritudine exornat 247; vitam supernaturalem homini confert 248; non est immediate operativa 284; sed mediante caritate et poenitentia dicitur principium remotum contritionis 284, 290.

Gratia habitualis fuit in Christo 676; an haec fuerit distincta intensive vel ontologice ab aliis gratiis 677; communicata fuit Christo in primo instanti suae conceptionis 678; praeviis actibus liberis Christi 678; non fuit necessaria, ut Christus esset sanctus 678; bene tamen ad merendum praemia supernaturalia 678; gratia habitualis Christi potest considerari physice vel moraliter 682; in esse entis fuit finita 682; in ratione gratiae fuit moraliter infinita, non quidem positive et simpliciter, sed negative et secundum quid 684; potuit de potentia Dei absoluta augeri secundum aestimationem moralem 687.

Gratia sufficiens quid sit 100; proxime et remote sufficiens 100; unita efficaci vel separata 100; datur gratia actualis sufficiens non conjuncta efficaci 102; Gratia Dei sufficiens est multiplex, et suficiens pro uno actu potest esse efficax pro alio 94; est magnum Dei beneficium 106; confert homini potentiam completam ad agendum in ordine supernaturali et dat posse agere 107; sed homo indiget gratia efficaci ad agendum 109; nunquam denegatur justis gratia proxime vel remote sufficiens ad praecepta Dei et Ecclesiae adimplenda 118; non denegatur excaecatis ac induratis 122; nec infidelibus negativis 126; infidelibus negativis conferuntur auxilia supernaturalia 127.

Gratia unionis Christi fuit physice et moraliter infinita 682.

Gratiae gratis datae 694; sunt movem 694; fuerunt omnes perfectissime in Christo 696.

H

Habentes fidem 474 sqq.

Habentes spem 513.

Haeresis, etymon 487; definitio 487; formalis et materialis 489.

Haereticus negans unum articulum fidei non habet fidem infusam circa alia 481; ab Ecclesia puniri potest 490.

Homo justus exercet operationes naturales moraliter bonas sola motione et concursu naturali Dei 73; solum indiget auxiliis generalibus ordinis supernaturalis ad quamlibet operationem supernaturalem singillatim eliciendam 74; indiget vero auxilio intra ordinem gratiae speciali ad recte vivendum longo tempore 75; item ad perseverandum 78; non semper peccat venialiter in suis operibus 83; cum gratia ordinaria potest vitare omnia peccata venialia distributive 84; non tamen omnia collective per totam vitam sine speciali privilegio 86; haec impossibilitas videtur esse physica 87; quale sit privilegium ad hoc necessarium 88; an cuipiam concessum fuerit 89.

Homo lapsus 34; sine speciali gratiae auxilio potest potentia antecedente et in sensu diviso, non potentia consequente, diligere Deum super omnia amore naturali 35, 36; ad hoc requiritur gratia sanctificans ut removens prohibens 37; sine gratia potest adimplere divisive quodlibet praeceptum naturale, excepto praecepto diligendi Deum et superandi gravem aliquam tentationem 40; sine auxilio gratiae nequit servare collective omnes leges naturales 41; ad hoc indiget gratia sanctificante 43; sine auxilio gratiae potest vincere quamlibet tentationem levem divisive, non omnes collective 46; probabilius nequit vincere omnes tentationes graves divisive 47; viribus naturae non potest mereri primam gratiam 57; per orationem naturalem, quam facit viribus naturae, non potest impetrare gratiam Dei 59; viribus naturae non potest ad gratiam positive se praeparare 62.

Humanitas Christi non fuit nec esse potuit simpliciter omnipotens 733; non fuit causa principalis physica gratiae et operum supernaturalium, nec miraculorum, nec creationis 736; bene tamen causa principalis moralis effectuum supernaturalium et miraculorum 737; imo et causa instrumentalis physica miraculorum et effectuum supernaturalium 738; objectio 739; quatenus est Verbo hypostatice unita, adoratur latria 822; praecisive a Verbo, quatenus per intellectum abstrahitur a deitate, colenda est hyperdulia 822.

I

Idioma 769; communicatio idiomatum 769; admittenda est in Christo 770; regulae pro usu communicationis idiomatum in Christo 771.

Idolus quid 842.

Ignorantia 764; nescientia 764; ignorantia *purae privationis* et *pravae dispositionis* 764; non fuit in Christo nec esse potuit 764, 766.

Imago 842; distinguitur ab idolo 842; usus imaginum est pius et utilis in Ecclesia 844; decet imagines Christi et sanctorum colere 846; imagines Dei et angelorum pingi et coli possunt 850; actibus internis et externis coluntur in Ecclesia 852; eodem specifice cultu ac earum prototypi 853; cultu relativo 854; imagines Christi et sanctorum a daemone pictae venerari possunt 855; imo et imagines apparentes 855.

Impeccabilitas 982; solus Christus fuit impeccabilis 982; impeccabilitas in Christo 754; bene conciliatur cum ejus libertate 791.

Imperfectio seu defectus moralis 761; non fuit nec esse potuit in Christo 763.

Imperium voluntatis, quo intellectus determinatur ad adsentiendum veritatibus revelatis, est supernaturale 458.

Impetratio 58; impetrari non potest gratia Dei per orationem naturalem, quae fit viribus naturae 59.

Incarnatio Verbi, nomina 570; definitio 571; errores 572; est possibilis 574; ratio naturalis sine fide non potest cognoscere possibilitatem incarnationis Verbi 575; fuit in se conveniens 578; fuit homini conveniens 580; fuit conveniens ex parte circumstantiarum 581; non fuit absolute necessaria 583; bene tamen hypothetice 584; incarnatio Verbi facta est 587.

Incrementum dogmatum credendorum 391; incrementum *simpliciter* et *secundum quid* 391; prima principia fidei nunquam creverunt 391, 392; objectum materiale fidei quoad explicationem articulorum, qui in substantia fidei implicite continebantur, continuo crevit usque ad mortem apostolorum 393; post mortem apostolorum nulla facta fuit Ecclesiae revelatio catholica, nec unquam ea crevit vel crescet simpliciter 395; incrementum *secundum quid* 396; est profectus seu progressus fidei 396; quomodo fiat 396, 398.

Induratio 119; indurati 119.

Infernus 954; quatuor inferni 954; Christus post mortem descendit ad inferos 956.

Infideles 124; negativi et positivi 124; infidelibus negativis conferuntur auxilia sufficientia ad salutem 126; quomodo infideles negativi recipiant gratias remote sufficientes 128; infideles non sunt vi compellendi ad amplectendam fidem 486; non omnia infidelium opera sunt peccata 485.

Infidelitas 482; *negativa* et *positiva* 482; datur in aliquibus infidelitas negativa inculpabilis 483; infidelitas positiva est in intellectu tanquam in subjecto 484; est gravissimum peccatum 484; gravius caeteris peccatis, excepto odio Dei 484.

Infidelium et peccatorum opera non omnia sunt peccata 30.

J

Jansenii systema circa gratiam efficacem 143; est improbandum 144.

Jansenismus 13.

Jesus 860.

Jovinianus docuit gratiam sanctificantem ex parte subjecti esse aequalem in omnibus 216.

Justi sunt filii Dei adoptivi 233.

Justificatio, etymon 249; active et passive 249; passive potest significare *virtutem, declarationem forensem,* et *internam hominis rectitudinem* 249; indicat plerumque processum a peccato ad gratiam 249; hic processus consideratur *in fieri* et *in facto esse* 249; doctrina catholica 250; non est sola imputatio justitiae, ut volunt Refor-

http://www.obrascatolicas.com

mistae 251; ordo eorum, quae requiruntur ad justificationem 252, 288; in justificatione omnia peccata mortalia remittuntur 254; in justificatione impii infunditur a Deo et recipitur in anima gratia sanctificans 258; gratia sanctificans immediate et formaliter producit sanctificationem animae et remissionem peccatorum 262; et quidem independenter ab alio favore Dei extrinseco 266; justificatio non fit sine praevia peccatoris dispositione 265; fides est necessaria ad salutem 278; sed sola non sufficit 280; perfecta dispositio ad justificationem fit actu fidei et quinque actibus voluntatis 282; non sunt omnes necessarii formaliter, sed in actibus fidei et dilectionis caeteri possunt virtualiter contineri 283; justificatio fit in instanti 284, 290, 297; justificatio impii est opus nobilius quam rerum creatio, non tamen nobilius omnibus aliis operibus 298.

Justitia 922; generalis et particularis 922; *commutativa* et *distributiva* 922.

Justitia originalis 962; ut accidens naturae speciei 962; transmittenda erat ad posteros Adae 962.

Justitia qua merito debetur praemium 305.

Justus perfectus magis Deo placet quam plures tepidi ac imperfecti 555.

L

Legum observantia divisive et collective 38.

Libertas a necessitate 783; potest esse *specificationis* seu *contrarietatis* et *exercitii* seu *contradictionis* 783; in Christo fuit libertas a necessitate seu liberum arbitrium 785; optime conciliatur cum ejus impeccabilitate 791.

Libertas hominis 134; *a coactione* et *a necessitate* 134; libertas a necessitate dividitur in libertatem *specificationis* et in libertatem *exercitii* 134, 450, 455.

Lucianus antiochenus circa animam Christi 572.

Lutherus et vires intellectus ac facultatum 22; negat hominem, etiamsi adjuvetur gratia, posse legem naturalem implere 39; dixit justum in omnibus suis operibus, etiam bonis, peccare 82; impugnavit gratiam sufficientem 101; docet divina praecepta esse homini impossibilia 117; docet hominem per peccatum originale amisisse libertatem arbitrii 135.

M

Magi 933.

Magnitudo gratiae sanctificantis ex parte *finis* seu objecti et ex parte *subjecti* 215; ex parte finis est aequalis in omnibus 217; quomodo sit aequalis vel inaequalis ex parte subjecti 218.

Manifestatio Christi 933; pastoribus, Simeoni, magis 933.

Maria Virgo vere dicitur *Deipara* 599; non meruit de condigno incarnationem Verbi nec maternitatem divinam 616; colenda est hyperdulia 839; fuit corpore modeste pulchra 962; animam bonam sortita est 962; duplici via potuit praeservari a peccato originali 962; in primo instanti suae conceptionis completae praeservata fuit ab omni labe peccati originalis intuitu meritorum Christi 963, 965; habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale 968; fuit in lumbis Adae sicut in capite naturae 969; descendit per naturalem generationem ex Adamo 969; et accepit carnem peccato primi parentis infectam 969; debitum contrahendi peccatum originale penitus exstinctum fuit in ea in instanti suae conceptionis 969, 971; sanctificata fuit in primo instanti suae conceptionis 977; ex eo instanti habuit ampliorem gratiam quam quilibet homo vel angelus 980; probabiliter habuit majorem gratiam extensive et intensive quam omnes homines et angeli collective 981; in prima sua sanctificatione confirmata fuit in gratia 985; ita ut immunis fuerit ab omni peccato etiam levissimo 986; non tamen fuit confirmata simpliciter sed inferiori modo 987; semper suscepit augmentum gratiae, dum vixit 990; quibus operibus 991; quae sacramenta susceperit 991, quo progressu ejus gratia creverit 992; habuit omnes virtutes theologicas et morales 993; donis Spiritus Sancti aucta est 993; habuit quoque gratias gratis datas 993; non habuit permanenter scientiam beatam, bene tamen scientiam per se et per accidens infusam et scientiam acquisitam 994; fuit virgo mente et sensu 995; fuit virgo corpore ante partum, in partu et post partum 997 sqq.; an habuerit fratres et sorores 1001; votum virginitatis emisit 1002; vere nupsit S. Joseph 1002; est vere Mater Dei 1005; formaliter non sanctificata est per maternitatem divinam 1010; mortem aliquando subiit 1014; nescimus quando et ubi

1014; adsumpta est in caelum secundum corpus 1016.

Maternitas Dei complexive cum omnibus gratiis est major dignitas in Maria quam sanctitas 840; non vero maternitas Dei praecisive 840; maternitas divina beatae M. V. in quo consistat 1006, 1008; ejus excellentia 1009 sqq.; fuit dignitas praeclarissima 1011; excellentia ex relationibus inter deiparam et SS. Trinitatem 1013.

Maternitas humana in beata Virgine Maria 1018, 1019; quando initium habuit 1019; maternitatis officia 1019; Maria fuit omnium mater 1019.

Matris officiis indigemus in vita tam corporali quam spirituali 1018.

Mediatio 1020; mediatio universalis inter Deum et homines duplici ex capite competit beatae Mariae Virgini 1021.

Mediator 861, 1019.

Meritum 55, 299, 889; *de condigno* et *de congruo* 56, 304, 622, 889; est divisio adaequata 304; non tamen univoca sed analoga 304; meritum de congruo aliquando *fallibile*, aliquando *infallibile* 304; merito de condigno debetur praemium ex justitia 304, 305; qualis sit ista justitia 306; conditiones ad meritum 308; ex parte operis 308; ex parte merentis 309; ex parte Dei remunerantis 310; merita dicuntur vivere 345; per peccatum mortificantur 345; merita mortificata per gratiam reviviscunt 346; quo gradu reviviscant 347; variae sententiae 348.

Meritum de condigno 315; objectum meriti de condigno 315; nemo potest mereri primam gratiam 317; nemo potest mereri alteri de condigno primam gratiam 319; homo justus potest sibi mereri de condigno augmentum gratiae 320; quid de merito actuum remissiorum 321; homo meretur aliquando de condigno praemium gloriae 326; et augmentum gloriae 327; et gloriam accidentalem 328; non tamen gratias actuales efficaces 330; nec reparationem, quae ipsi danda est post lapsum 331; nec perseverantiam finalem in gratia 334; justus potest mereri bona temporalia, prout conducunt ad vitam aeternam 337.

Meritum de congruo 314; proprie et improprie dictum 338; objectum meriti de congruo 338; congruitas ex sola Dei misericordia et liberalitate 338; congruitas ex amicitia justi cum Deo 338; nemo potest sibi mereri de congruo proprie dicto primam gratiam, bene tamen de congruo improprie dicto 340; justus potest mereri alteri de congruo primam gratiam, augmentum gratiae et gloriam 341; nemo potest sibi mereri de congruo reparationem 342; justus potest sibi et alteri mereri de congruo gratias actuales efficaces 343; non tamen perseverantiam 344.

Modernistae circa fidem 352; ponunt duplicem Christum 572.

Molina 146; ejus systema circa gratiam, quod vocatur *Molinismus* 146; distinctionem gratiae efficacis et inefficacis sumit *ab effectu* 147; non intrinsece et physice 148; haec sententia videtur rejicienda 149.

Monarchiani erraverunt circa personam Christi 572.

Mors Christi 943; Christus vere mortuus est 944; motivo obedientiae, justitiae et caritatis 946; pro omnibus hominibus 950; etiam pro infidelibus 952; quando mortuus est 953.

Motiva credibilitatis non sunt objectum formale *quo* fidei 363.

Motivum incarnationis Verbi fuit redemptio generis humani, adeo ut Adamo non peccante, vi praesentis decreti, Filius Dei non fuisset incarnatus 590; gravis difficultas 591.

Motus in Deum et motus in peccatum 282.

Munera rationis erga fidem 502; munera fidei erga rationem 502.

N

Nativitas Christi 932.

Natura creata retinens propriam subsistentiam non potest adsumi ad subsistentiam divinam 650; natura creata tum angelica, tum sensitiva, tum inorganica potuit a Verbo hypostatice adsumi 653; convenientius adsumpta fuit humana natura 654; naturae incompletae sunt adsumptibiles 656; natura adsumpta a Verbo 660; naturae adsumptae status et conditio 664.

Natura divina et humana fuerunt in Christo 596.

Natura humana Christi exsistit unica et increata exsistentia Verbi 641.

Necessarium *necessitate medii* et *necessitate praecepti* 459; necessarium *absolutum* et necessarium *hypotheticum* 582; hypotheticum potest esse *simpliciter* et *secundum quid* 582.

Nestoriani et communicatio idiomatum 769.

Nestorius circa unionem divinae humanaeque naturae in Christo 572; nega-

http://www.obrascatolicas.com

vit in Christo fuisse unam tantummodo personam 598.
Nomina Jesu, Mariae et sanctorum adoranda vel colenda sunt eodem cultu, quo Jesus, Maria et sancti 855.
Novatores erraverunt circa influxum gratiae efficacis in voluntatem 141; eorum doctrina est haeretica 142.

O

Objectum 354; *formale* vel *materiale* 354; objectum formale *quod* et *quo* 354, 506; objectum formale *quod* fidei 357; objectum formale *quo* fidei 358, 422; quomodo objectum formale *quo* fidei sit supernaturale 424.
Objectum materiale fidei 368; omnes veritates formaliter, sive explicite sive implicite, revelatae pertinent ad objectum materiale fidei divinae 370, 371; item veritates virtualiter inclusive revelatae 380; non veritates, quae exprimunt proprietates physicas doctrinae revelatae 379; neque revelationes particulares, quae non sunt de credendis in ordine ad Deum 386; objectum materiale fidei divinae *quoad se* et quoad nos 388; quid requiratur, ut veritas aliqua sit de fide divina *quoad nos* 389; in objecto materiali fidei distinguenda sunt prima principia credibilitatis a caeteris articulis 391.
Objectum materiale spei 507; objectum formale *quod* spei 508; est *arduum* et *possibile* adipisci 509; objectum formale *quo* spei 510.
Obscuritas cognitionis 438; a quo proveniat 438.
Omnipotentia 731.
Opera ethice bona 26; fieri possunt sine speciali gratia actuali cum generali Dei motione 26, 33; hoc auxilium Dei est naturale 31; opera *naturalia, supernaturalia, supernaturalia* saepe repetita 70; opera *faciliora* et *difficiliora* 153.
Operationes theandricae 782.
Opinio 434; actualis et habitualis 434; actus opinionis non potest esse simul cum actu fidei in eodem intellectu de eodem objecto 435; nec habitus opinionis cum habitu fidei de eodem objecto in eodem intellectu 436; bene tamen habitus opinionis cum actu fidei, vel actus opinionis cum habitu fidei 437.
Oratio 58.
Ordinem supernaturalem constituunt gratia, virtutes et auxilia divina 4.
Ordo adsumptionis in incarnatione 668, 669.
Ordo caritatis 532; diligimus unum magis quam alium objective, appretiative et intensive 532; Deus diligendus est super omnia *objective* et *appretiative* 533; licitum est amare homines magis quam Deum intensive 534; homo secundum naturam spiritualem debet se magis diligere quam proximum 536; magis proximum secundum animam quam secundum corpus 537; ordo servandus in diligendis proximis 539.
Ordo naturae et temporis 665.

P

Participatio 185; moralis et physica 185; physica potest esse *virtualis* vel *formalis* 185; et formalis potest esse *univoca* vel *analogica* 185; participatio divinae naturae in nobis 190.
Passio 767; appetitus concupiscibilis et irascibilis 767; sex in parte concupiscibili et quinque in irascibili 767; in Christo fuerunt omnes passiones aliter tamen quam in nobis 768.
Passio Christi 938; extensive et intensive 940; fuit necessaria secundum quid 938; passio Christi in cruce 939; Christus passus est omnia genera tormentorum in summo gradu intensitatis 941.
Patres justi Veteris Testamenti non meruerunt de condigno substantiam incarnationis Verbi, bene tamen de congruo 627.
Peccatum 750; originale et actuale 750; actuale est mortale vel veniale 750, 761.
Peccatum habituale 252; nequit esse simul cum gratia sanctificante in anima 271.
Peccata mortalia nequeunt remitti per solum favorem Dei extrinsecum vel per solos actus amoris et contritionis sine intrinseca peccatoris mutatione 268.
Peccatum mortale 81.
Peccatum originale 962; in Adamo erat simul personale et originale 962; ejus transmissio 962.
Peccatum veniale 81; *ex genere suo, ex parvitate materiae, ex imperfecta deliberatione* 81; vitari possunt omnia *singillatim, collective, per longum tempus* 81.
Pelagiani circa gratiam 10; circa justificationem et observantiam legum 39; circa meritum 55; circa actum amoris supernaturalis 61; docent hominem posse vitare sine gratia omnia peccata venialia collective per longum tempus 82.

Perfectio virtutis duplex, in esse moris et in esse entis 564; perfectio caritatis 564.
Perfectum 199; physice et aestimatione morali 199; perfectum physice potest esse *simpliciter* et *secundum quid* 199.
Perseverantia 76, 982; activa et passiva 76; ad perseverandum requiritur auxilium intra ordinem gratiae speciale 78; est donum speciale et magnum 78, 79; est conjunctio gratiae cum morte 78; in quo differat a confirmatione in gratia 80.
Persona adsumens potest esse quaelibet ex Trinitate 645; una potest adsumere plures naturas 645; et plures personae unam naturam 645.
Persona Christi fuit una eaque divina 599; fuit composita 607.
Persona creata non potest adsumi ad subsistentiam divinam 647.
Persona divina potest adsumere naturam alienam 631.
Plenitudo gratiae 680; potest esse *intensiva* et *extensiva; absoluta* et *relativa* 680; in Christo fuit plenitudo gratiae absoluta, tum intensiva tum extensiva 681.
Philantropia sine relatione ad Deum non est caritas 530.
Possibile 573.
Praeceptum divinum et ecclesiasticum credendi 471; quae sint credenda 472.
Praedestinatio 806; ad gloriam et ad gratiam 806, 808; praedestinationis Christi terminus primarius 812; secundarius 813; praedestinatio Christi ex parte termini est causa exemplaris, finalis et efficiens nostrae praedestinationis 815.
Praedestinatiani circa gratiam 11.
Praeparatio ad fidem 414; ex parte intellectus 415; ex parte voluntatis 416.
Praeparatio ad gratiam 60; naturalis et supernaturalis 60; fit cum cooperatione liberi arbitrii 60; requiritur in homine adulto sibi conscio 213; quae sit haec praeparatio 213.
Praeservatio a peccato originali 962; dupliciter fieri potuit in Maria, excludendo eam ab influxu Adami ante praevisionem lapsus primi parentis, et retinendo debitum *remotum*, vel includendo eam in lege communi influxus Adami et retinendo debitum *proximum* 962.
Praesumptio 516; potest homo praesumere *innitendo nimis propriae virtuti* vel *innitendo inordinate virtuti divinae* 516; est ex genere suo peccatum mortale 516.
Prima gloria 324; homo meretur aliquando de condigno primam gloriam 326; et augmentum gloriae 327; et gloriam accidentalem 328.
Prima gratia sanctificans 316; nemo potest illam mereri 317.
Principium effectivum praecedit suum effectum 284.
Prioritas naturae et temporis 665; secundum ordinem intentionis et executionis 665.
Progressus fidei, vide *incrementum;* an et quomodo fiat 396, 398; rejiciendus est progressus objectivus fidei 399; datur progressus fidei secundum quid 401; veritates formaliter explicite a Deo revelatae declarantur ab Ecclesia 402; veritates formaliter implicite revelatae uberius explicantur 403; quomodo sit hic progressus 404; veritates virtualiter inclusive a Deo revelatae deducuntur ex suis principiis ab Ecclesia et definiuntur 405; progressus fidei processus, extensio, causa et conditiones 406.
Propheta 879; late, strictius, strictissime 879.
Propositio Ecclesiae non est objectum formale *quo* fidei 363; est conditio sine qua non, ut adsensus intellectus sit actus fidei divinae 366.
Propositiones particulares sub universali revelata contentae 373; sunt objectum materiale fidei 375.
Protestantes circa gratiam et justificationem 11; negant hominem posse facere opera ethice bona 27.

Q

Qualitas 178; complectitur species geminas 178.

R

Rationalistae renuunt admittere fidem in sensu catholico 351; speculativi et critici 351.
Redemptio 860, 926; Christus redemit nos a potestate diaboli 929; soluto pretio Deo 930; liberavit nos a peccato et morte spirituali 930; ad redemptionem duo requiruntur, pretium et deputatio hujus pretii 931.
Renan docuit Christum non fuisse impeccabilem 752.
Resolutio adsensus fidei in auctoritatem Dei revelantis 417; actus fidei apostolorum et prophetarum resolutus est in auctoritatem Dei revelantis cognitae ab ipsis per lumen propheticum 419;

http://www.obrascatolicas.com

in catholicis, qui revelationem mediate acceperunt, actus fidei ex parte subjecti et dispositive resolvitur in formalem evidentiam credibilitatis et revelationis 420; actus fidei nostrae ultimo resolvitur in auctoritatem Dei revelantis per motiva credibilitatis certo nobis cognitam 422.

Resurrectio Christi 958.

Revelatio communis et particularis 383; an revelationes particulares pertineant ad fidem divinam 385; 386; qua fide admittendae sint revelationes privatae 387.

Revelatio stricte et latius 355; *clara* seu *evidens* et *obscura* seu *inevidens* 355; *formalis* et *virtualis* 355; formalis est *explicita* vel *implicita* 355; virtualis *inclusive* vel *connexive* 355; quomodo implicite revelentur 355, 372.

Rex 869; duo sunt in rege consideranda, dignitas et potestas 869; quoad spiritualia et quoad temporalia 971.

S

Sacerdos 865; ejus munus 865; effectus sacerdotii Christi 868; sacerdotium Christi manet in aeternum 868.

Sacrificium 882; definitio 882; potest esse *latreuticum, eucharisticum, impetratorium* et *propitiatorium* 883.

Salus dicitur sanctificatio animae et beatitudo aeterna 459.

Sancti 830; merito coluntur in Ecclesia 832; cultu duliae 833.

Sanctitas 671; quid importet 671.

Sanguis naturalis Christi in triduo passionis mansit hypostatice Verbo unitus 662; totus sanguis naturalis in passione effusus adsumptus est a Christo in resurrectione 663; quid de guttulis sanguinis, quae conservari dicuntur in terris 664.

Satisfactio 584, 906; homo purus gratia auctus potest satisfacere Deo imperfecte seu de congruo pro peccatis propriis vel alienis 585; conditiones ad satisfactionem 906, 918; satisfactio perfecta ex parte materiae est *condigna*, et perfecta ex parte formae dicitur *ex toto rigore justitiae* 906, 918; satisfactio Christi fuit condigna et superabundans 911; fuit simpliciter infinita 912; et universalis pro omnibus hominibus 913; fuit condigna, superabundans, infinita et universalis ex se et ab intrinseco 916; fuit infinita, quia operatio personae divinae 917; secundum rigorem justitiae 920; non potuit obligare Deum ad remittendum hominum peccata 921; fuit actus justitiae commutativae 924.

Scientia humana potest esse *beata, infusa* vel *acquisita* 710; haec triplex scientia fuit in Christo 712, 714, 715.

Scientia infusa Christi fuit simpliciter perfectior quam scientia infusa angelorum 725.

Scotistarum systema circa gratiam efficacem 158; efficacia gratiae non provenit ex decreto Dei condeterminante 159.

Semipelagiani circa gratiam 10; circa meritum 56; dicebant initium fidei tribuendum esse libero arbitrio 61.

Sensus divisus et sensus compositus 134.

Servitus 801; *naturalis, legalis* et *moralis* 801; Christus nullatenus fuit servus Dei 801, 803.

Sessio Christi ad dexteram Patris 960.

Soteriologia 860; ejus objectum 860.

Spes 503; in appetitu irascibili et in voluntate 503; residens in voluntate potest esse *naturalis* vel *supernaturalis* 503; spes supernaturalis seu theologica definitur 503; distinguitur realiter a fide et caritate 504; actus spei 511; spes est in voluntate tanquam in subjecto 512; est necessaria *necessitate medii* ad salutem 514.

Subjectum fidei 474 sqq.

Subordinatiani circa divinitatem Christi 572.

Substantia nequit esse supernaturalis 185.

Syncretismus 153; rejiciendus est circa efficaciam divinae gratiae 154.

T

Terminus totalis incarnationis fuit Christus, Deus et homo 621; terminus *quo* humanitas ut unita Verbo 621.

Tentatio 44; tentant nos diabolus, mundus et caro 44; levis et gravis 44.

Theoriae et speculationes philosophorum non semper merentur nomen scientiae 500.

Thomas S. in bono sensu explicari potest circa mysterium immaculatae conceptionis B. M. Virginis 970.

Thomistarum systema circa gratiam 160; multis ac solidis argumentis probatur 161; est omnibus theoriis praeferendum 161.

U

Unio Verbi cum humana natura est substantialis hypostatica 614.

Unio hypostatica est quid creatum 616; supernaturalis 617; maxima unionum 618; in genere doni seu beneficii et perfectionis maxima omnium 619; indissolubilis 620.

Unio inter duas substantias triplex, *essentialis, personalis* et *accidentalis* 594; unio in Christo facta fuit in persona 599; non in natura 596; haec probabilius explicari nequeunt nisi admissa distinctione reali inter naturam singularem et personam in creatis 600.

Unionem hypostaticam nemo, nequidem Christus, meruit de condigno 624 sqq.

Unum in genere masculino et in genere neutro 772.

V

Valentiniani circa humanitatem Christi 572.

Verbum divinum in incarnatione nullatenus est mutatum 611; quia unio facta est per modum termini 612; adsumpsit verum corpus humanum in thalamo B. M. V., et animam rationalem 660, 743; etiam partes integrales humani corporis 662; et sanguinem naturalem 662; adsumpsit omnes partes simul tempore 668; prius natura animam rationalem et signo posteriori naturam humanam 669; adorandum est cultu latriae 817.

Veritas quid sit 425.

Veritates a Deo formaliter revelatae aliae sunt formaliter *explicite*, aliae formaliter *implicite* revelatae 368; omnes veritates formaliter sive explicite sive implicite revelatae sunt objectum materiale fidei et definibiles ab Ecclesia 370, 371.

Veritates naturales 21; veritates naturales, etiam Deum et religionem respicientes, cognosci possunt sine speciali auxilio gratiae 23, 24; non omnes collective sumptae 25.

Veritates virtualiter a Deo in alia veritate revelatae 376; in veritate formaliter revelata continentur *inclusive* vel *connexive* 376; quid hoc significet 376; eadem veritas potest a Deo revelari formaliter in se et virtualiter in alio 377; veritates virtualiter inclusive tantum revelatae sunt objectum materiale fidei 380; non vero quae exprimunt proprietates physicas doctrinae revelatae 379.

Virginitas *corporis, mentis* et *sensus* 995; virginitatis votum 1002.

Virtus quid sit 688; *intellectualis, moralis* et *theologica* 688.

Visionis beatificae objectum primarium et secundarium 716.

Vita abscondita Christi 935.

Vita publica Christi 936.

Voluntas 776; in Christo sunt duae voluntates, divina et humana, et duae operationes ab utraque voluntate elicitae 778; principium *quod* volitionum Christi est unum, Christus persona divina 779; principium *quo* remotum duplex, natura divina et humana 779; principium *quo* proximum duplex, voluntas divina et humana 779.

Voluntas Christi absoluta semper impleta fuit 742; non vero ejus voluntas antecedens inefficax 742.

Voluntas humana est quodammodo instrumentum Dei, et etiam causa secunda principalis actuum salutarium 138 sqq.

http://www.obrascatolicas.com